DE TVRCO-PAPISMO:

Hoc eſt,

DE TVRCARVM ET PAPISTARVM ADVERSVS CHRIſti eccleſiam & fidem coniuratione, eorumque in religione & moribus conſenſione & ſimilitudine;

LIBER VNVS.

Eidem præterea adiuncti ſunt, de Turco-papiſtarum maledictis & calumniis, aduerſus Gulielmi Giffordi *famoſi Pontificum Rom. & Iebuſitarum ſupparaſitaſtri volumen illud contumelioſiſſimum, quod ille*

CALVINO-TVRCISMVM

inſcripſit,

LIBRI QVATVOR.

In quibus non tantùm huius hominis leuiſſimi, ſed etiam aliorum importuniſſimorum ſcurrarum aduerſus orthodoxam Chriſti eccleſiam continenter latrantium, malitia & petulantia reprimitur, hominumque piorum fama ab eorum calumniis vindicatur.

Matth. 7.

Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui.

BIBL. CANT. ACAD.

LONDINI,

Excudebant GEORGIVS BISHOP, RADVLPHVS NEWBERIE, & ROBER. BARKER.

Anno Domini, 1604.

413;03

IN TRACTATVM DE TVRCOPAPISMO AD Lectorem Prę́fatio.

MIRABERIS *fortaſſe, Lector humaniſſime, inſcriptionis huius nouitatē: nihil enim fortaſſe antea de hac re audiſti. Præterea, non minus admirabere accuſationis noſtræ ampullatam grauitatem: neque enim leue eſt, homines nomine tenus Chriſtianos, & qui ſibi ſolis* Catholicorum *appellationem arrogant, Turcicæ perfidiæ & impietatis inſimulare. Sed ſi aduerſariorum inſolentiam, & reliquas cauſas, quæ nobis hoc nomen, licèt inuitiſſimis expreſſerunt, ſemel intellexeris; non dubito, quin ſicut nos culpâ omni liberabis, ſic etiam hanc inſcriptionem huic operi aptiſſimam fuiſſe, & hoc aduerſarios commeruiſſe fateberis. Edidit enim anno proximè præterito ſcriptum in nos virulentiſſimum*

Gulielmus Giffordus, *ſcriptor maledicentiſſimus, &, vt omnibus conſtat, iracūdus. Si alias eius virtutes ſcire deſideres, eſt ille ex Anglia ad Hiſpanos transfuga, hoſtium mancipium, hoſtis patriæ, turpiſſimū popularium ſuorum propudium. Hoc opus ſuum trāsfuga iſte* Caluino-turciſmum *inſcripſit, vt omnes pios viros à pontificis Roman. tyrannide, ſuperſtitione, impietate & hæreſi abhorrentes, cum Turcis ſentire ſignificaret. Sed quantum ille falſus fuerit, qui res tantas verborum ampullis effici putauerit, aliâs dicemus. interim nemini dubium eſſe poteſt, quin valde ipſi titulus iſte placuerit, quem alternis paginis vbique præfixit. Placuit etiam aliis Papiſtis, ex fame valdè, vt videtur, iratis, hoc commentum. quinetiam hoc nomine* Stapletonus *ſcurra veteranus, qui & ipſe ad hoſtes transfugit, ſcriptum illud ſuffragio ſuo comprobauit; & Cardinalis, & ſenatus regius priuilegio Typographū ornauit.* [a] *Cardinalis Polus,* [b] *Farneſius, &* [c] *Adrianus 6. olim temerè hoc maledictum vſurparunt: aduerſarii autem noſtri, quod illi irati effutiuerunt, hoc ſobriè obiiciunt, rationibusq;*

[a] *Contra Henr. 8. Angliæ regem.*
[b] *Sleid. hiſt.*
[c] *In mandatis Charegat.*

nibusq; vndiq; conquiſitis comprobare conati ſunt. Hāc ergo eorum petulantiā nulla ratione melius retundi poſſe cenſui, quàm ſi comparatione cauſarum noſtrarum facta, Papiſtas potiùs, quàm noſtros homines, cum Turcis ſentire demonſtrarem. Qua in re eſt, quod Giffordo *&* Reginaldo, *Caluino-turciſmi idoneis authoribus, gratias agam. ipſi enim nos alioqui dubios & valde hæſitantes, in viam deduxerunt, & quibus rationibus Papiſtas ad Turcicā impietatem inclinaſſe probemus, viam demōſtrarunt. eos enim vel iam amplexos eſſe Turcicam religionem, vel ſaltem eò propēdere dicunt,* qui vel eadem habent religionis principia & dogmata, vel de Trinitatis myſterio, & reliquis fidei capitibus malè ſentiūt, *atq; hoc illi plus millies inculcant, & hoc fundamēto omnis eorum nititur contra nos diſputatio. At ſi hoc nobis conceſſerint, actum eſt de pontificis cauſa. iam enim Papiſtæ & Turcæ fratres erunt germani. nos enim clarè demonſtrabimus multos Papiſtas & Turcas in plurimis religionis ſuæ fundamentis conſentire, & de fide Chriſti pariter vtroſq; malè docere, &*

ſentire. Imo, vt Papiſtas vel Turcas eſſe, vel Turcis longè deteriores intelligas, Turcas in multis minus errare, & minus eſſe reprehendendos quàm Papiſtas oſtẽdemus. Huic ergo aduerſariorum Caluino-turciſmo, *rectè tractatum de* Turco-papiſmo *oppoſuimus, & eum hoc titulo ornatum emiſimus.*

Quod ſi ex hirſutis & barbatis ſectæ cõtrariæ momis, aliqui ſibi iniuriam in hoc factam querentur; ſe planè rerum omnium imperitiſſimos eſſe, & non niſi ſtultiſſimè facere oſtendent. Si enim transfugis iſtis nequiſſimis dicto nos laceſſere licuit; nobis certè nemo vitio vertere poteſt, quod ſimili dicto reſponderimus. ſi ſummè placuit ipſis dicta in nos audire & dicere; quid eſt quod reſponſum noſtrum ipſis diſpliceat? illi tanquam per fluminis riuos viam ad mare præmonſtrarunt, maledictis nobis reſpondendi viam oſtendentes: ferant ergo ſe aliorum ſalibus perfundi, & dictis noſtris peti. An illi, cum fanda & nefanda in nos dixerint, diemque malè loquendo contriuerint, ſe impunè euaſuros putent? non ſanè faciet. Si dederunt malum, ferant æquum neceſſe eſt.

eſt. ſtultè querantur iniuriam ſibi fieri, cum ipſi volumen iniquiſſimarum calumniarum in nos primi conſcripſerint. οἷ τ' αὐτῷ κακὰ[a] τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων. qui alteri perniciem parat, eum paratum eſſe oportet, vt participet parem. *Niſi ipſi nobis hanc menſuram menſi eſſent, nos eis eam remetiri non cœpiſſemus. meminerint ergo verborum Chriſti:* quâ menſurâ metimini aliis, illâ rementietur vobis.

[a] *Democrit. apud Ariſtot. rhetor. 3.*

Si abſtinuiſſent à Caluino-turciſmo *ſuo, nihil à nobis de* Turco-papiſmo *accepiſſent. ſi etiam adhuc abſtinere velint à maledictis, facile ſentient nos mordaci hoc & dentato ſcriptionis genere non delectari. Sin certa ſtet illis ſententia, omni maledictorum & calumniarum genere pugnare; nihil eſt quod ſuos pontifices, ſacrificos, & monachos, totamque illam ſynagogæ Satanæ factionem clementius tractatam iri ſperēt. Recte*[b] *Euripides:*

Σώφρων καθ' ἡμᾶς, σώφρονι ἀντιλήψεται,
Θυμούμενος δὲ τεύξεται θυμουμένων.

ſentient nobis nec conſilium, nec vires ad talium ſcurrarum ferocitatem comprimēdam deeſſe.

[b] *In Andromacha.*

Quod quidem non dubito tibi ex hac noſtra ad clamores & calumnias aduerſariorum reſponſione perſpicuum fore. Vniuerſam.n.eorũ accuſationem, ſiue potius confabulationem, nihil aliud continere oſtendimus, quàm calumnias, maledicta, mendacia, nugamenta, fabulas, & Iberas (ut vocant) nenias. Primò nobis Anabaptiſtarum, Serueti, Blandratæ *& aliorum hæreticorum imponunt crimina: at nos illis omnibus anathema dicimus. Caluinus etiam fortiſſimè, & diſertiſſimè contra peſtes iſtas pugnauit. quid autem cogitari poteſt abſurdius, quàm aliena peccata à quibus alieniſſimi ſumus, nobis accepta ferre? Præterea* Lutheri *ſingulares opiniones Caluino aſcribuntur. At illas Caluinus non magis, quàm Papiſtarum peculiares ſententias defendere tenetur. quid, quod nobis etiam Caluini omnia dicta nõ niſi ineptiſſimè imputantur? nos enim, ſicubi errarit Caluinus, eius dictis ſtare non tenemur. hoc aduerſariorum vulnus eſt, quod illi in ſui pontificis verba iurarint, & omnia eius decreta & ferè dicta præſtare tenentur. ab ipſo enim ſua omnia habent, & propterea rectè*

Papiſtę

Papiſtę & Papolatræ *vocantur. hunc e-nim, vt ſuum in terris Deum colunt, & omnes eius ſordes & nugas venerantur. Nos neque à Caluino, nec à Luthero, nec à quoquam alio mortali fidem noſtram hauſimus, ſed à Chriſto Ieſu, & propterea immeritò* Caluiniani *aut* Lutherani *dicimur. Præterea Luthero & Caluino dogmata aſcribunt abſurdiſſima, à quibus ipſi valde abhorruerunt; cumq; nullum alium ſuppetit probationis genus, ex aduerſariorum* Caluini & Lutheri *calumniis teſtimonia corrogant, & ſodales ſuos quid illi ſenſerint, interrogant. quis autem non aſpernetur inimicorum capitalium teſtimonia? quis non rideat huiuſmodi diſputatorum nugas?*

De inſtitutis Turcarum & Maurorum multa memorant, quæ ad hanc cauſam nihil attinent; nempe bullatis vt ſibi nugis pagina turgeſcat, *vt inquit Perſius. atq; vt* [a] nugis canoris *paginæ inopes rerum implerentur.* a *Horat. in art. poet.*

Præterea, longo ſermone noſtros inſectatur, quod nec purgatorium, nec preces pro mortuis, nec inuocationem & cultum hominum defunctorum, nec lumen interdiu

in templis accenſum, nec huiuſmodi quædam alia dogmata à Papiſtis & Turcis cõmuniter recepta probemus. ſed hæc aduerſariorum noſtrorum criminatio vniuerſam de Caluino-turciſmo diſputationem à fundamentis conuellit: oſtendit enim nos à Turcica ſuperſtitione plurimum abhorrere. noſtram verò ſententiam confirmat. ex eo enim intelligimus mirificè Turcas & Papiſtas in multis religionis ſuæ capitibus cõſpirare. aduerſarii autem aut in tota diſputatione nutant; aut ſanè quid cauſæ ſuæ proprium, quid alienum ab ea fuerit, non intelligunt.

Quoniam verò aliis probationibus deſtituuntur, verba quædam Lutheri, Zuinglii, Caluini, & aliorum doctorum virorũ contra ipſorum ſententiam inflectunt & detorquent. at hoc [c] calumniatorũ proprium eſt, verba conſectari, & contra ſententiam torquere.

[c] Libr. 2. ad Iouin.

Poſtremò, vbi nec crimen habent, nec ſuſpicionem criminis; ibi tamen impudenter mentiuntur, & calumnias confingunt. vbi mentiri illos puduit, ibi nugas vaniſſimas deblaterant; atque (vt eſt apud [d] *Hieronymum)*

[d] In præfat. in pẽtateuch.

pium) Iberas nenias, & Ægyptia portenta ſectantur,

Quis autem hanc ipſorum in mentiendo malitiam, in calumniando audaciam, in male loquendo rabiem non ſumme oderit? attamen cur nos eorum verba, argumentorum, & probationum inaniſſima metuamus, nihil cauſæ eſt. neq; enim hoſtium, nec transfugarum, nec ſcurrarum leuiſſimorũ teſtimoniis credendum eſt, neque cuiquam dubium eſt, iſtos tales fuiſſe. præterea, & alias legitimas habemus aduerſus eos exceptiones.

Reginaldus, qui primum huius infamis ſcripti fundamentum poſuit, olim à noſtris partibus ſtetit, verbiq; miniſterio apud nos functus, magnum religionis ſtudium præ ſe tulit. poſtea verò apoſtata religionis factus ad hoſtes tranſiit; apud quos non antea receptus eſt, quàm ſe emiſſarium in nos fore recepiſſet. hinc illæ [c] Paganiſmi *&* Turciſmi *accuſationes, aliâs ab ipſo aduerſus nos inſtitutæ. hinc omnis malè loquendi rabies. Sunt etiam qui ipſum amore vxoris cuiuſdam M. mulieris Oxonienſis famoſæ captum, è poteſtate mentis exiiſſe dicunt. quod*

[c] *De iuſta reip. Chriſtianæ aduerſus reges, &c. authoritate.*

non eſt plane incredibile: nam ex eo tempore velut malo ſydere afflatus, aduerſus populares ſuos oblatrare nunquam deſiit. poſtea in Henricum tertium regem Galliæ, & regem Nauarrenum, qui nunc in Gallia regnat, ſtomachosè [a] *inuectus eſt. hunc hæreſis accuſat; illum iure à monacho cæſum dicit. ſiue nouarum rerum captus ſtudio, ſiue flagitiorum ſuorum conſcientia territus ad hoſtes ſe contulit; & in eorum gratiam hoc ſuum de Caluino-turciſmo deliramentũ inchoauit: ſed in medio curſu raptus, & viuendi, & obgãniendi finẽ fecit.*

Huic ſucceſſit Gulielmus Giffordus, alius ex Anglia transfuga, fraterque ipſius in malitia geminus, ſacrificus, vt aiunt, comptus & calamiſtratus, & apud mulieres Belgicas gratioſus. hic in editione huius operis tyrocinium poſuit, vt ſe planè hoſtem patriæ declararet. ſed eius erga nos odii maiora habemus argumenta. [b] *Sauagio enim, homini ſceleratiſſimo, qui propter coniurationis in patriam crimen a°* 1586. *publico ſupplicio affectus eſt*, ſereniſſimæ reginę Elizabethæ trucidandæ [c] author erat. *Edmũdus etiam Iorkius, qui ab Ibarra Hi-*

ſpano

a Ibidem ſub nomine Roſſei.

b Giffordus author trucidandæ ſereniſſimæ Reginæ.

c Ex confeſſione Sauagii.

ſpano magna pecunia conductus ſe reginam Angliæ interfecturum ſuſceperat, ſe ad facinus illud perpetrandum huius ſceleratiſſimi transfugæ, & aliorum patriæ hoſtium conſilio, & hortatione inductum [a] confeſſus eſt. Richardus etiam Williams alius ſicarius, qui propter conſilium illud de nece reginæ ſuſceptum publicè pœnas dedit, hoc ſe facinus, impulſore & authore iſto Giffordo, ſuſcepiſſe [b] dixit. eãdem etiam de principib. per ſicarios trucidãdis ſententiã habuit Reginaldus, & palàm ſe habere [c] profeſſus eſt.

[a] Ex confeſſione Yorke an. 1593.

[b] Ex confeſſione Williams 1593.

[c] In libro de iuſta reip. Chriſt. &c.

Cum ergo à duobus iſtis transfugis, patriæq; & veræ religionis hoſtibus, vniuerſa hæc maledictorum & conuitiorum farrago profecta ſit; nihil eſt quod quiſquam operoſam & accuratam reſponſionem exſpectet. neque enim vel argumenta, vel teſtes proferunt. ipſis aũt qui tanto malè faciendi ſtudio flagrant, quis malè loquentib. credat? crimina multa congerunt: ſed nec ſuſpicionẽ aliquam, vel ſcrupulum æquo lectori iniiciunt. Sed nec genus dicendi tale eſt, vt vel moueat quenquam, vel delectet. verba barbariem redolent, ſententiæ merum odium. omnes ſanè vident maleuolentia eos potius, quàm eloquentia ſtuduiſſe. totum

opus partim ex calumniis aliunde contra-
ctis & crebrò repetitis, partim ex vanis o-
tioſorum hominum confabulationibus cō-
flatum eſt. barbaro isto ſtilo, μήτι δεδραμένα μή-
τι εἰρημένα [e] confingentes, & ſolœciſmis crebris
ſententias ſuas diſtinguentes; nulla ordinis
aut ornatus habita ratione, dialogiſmorum
& nugarum tragicarum volumen hoc per-
texuerunt.

[e] Ariſtoph. in concion.

Quod quidem etſi propter authorum
indignitatem, totiusq; ſtructuræ peruerſi-
tatem, & narrationis vanitatem, à viris
doctis deſpectum eſſet, & ſecundo populo à
me ſilentio præteriri poſſet: malui tamen &
authores liberius exagitare, & ſcurrarum
reliquorum loquacitatem retardare. neque
enim alia ratione vel iſtorum inſania cura-
ri, vel inſignis hoſtium impudentia refelli
potuiſſe videtur.

Ex hoc libro etſi nihil aliud proficiſca-
tur commodi; tamen non iniucundum tibi
fore confido, cum & aduerſariorum ferociā
compreſſam, & bonorum virorum famam
defenſam videbis. præterea, ex ſingulari ho-
minum petulantiſſimorum inſolentia, an-
tichriſtum illum odiſſe diſces, qui iſtos ad
male lo-

male loquendum conduxit. poſtremò, vniuerſam poſthac Papiſtarū factionē omnib. odio futuram ſpero, quæ abſq; calumniis, mēdaciis, & ſcelere conſiſtere non poteſt.

De aduerſariorū ſanitate nihil eſt quod ſperem: cauteriatas enim habent conſcientias, & omnem ſenſum & pietatis in Deū, & amoris in patriam amiſerunt. eos tamē monere non verebor, vt pudentius poſthac mentiantur, & modeſtius agant. verborum petulantia nō eluuntur cauſæ maculæ. præterea [f] diſperdet Dominus labia doloſa & linguam magniloquam: & repētè [g] conſurget perditio detractorum. *Balaamum puduit populo Dei maledicere.* quomodo, *inquit ille*, maledicam, cui non maledixit Deus? *at iſti vel ipſo Balaamo videntur impudentiores, qui prudētes & ſcientes, viuis & mortuis detrahunt & maledicunt.*

f *Pſalm.* 12.

g *Prou.* 24.

Sed quid ego fruſtra verba fundam? iſti me non audient. nam velut ſerpentes aures obturant ſuas. ad te ergo Lector optimè ſermonem meum conuertam. Tu vides cum quo hoſtium genere tibi negotiū ſit, & quod genus belli aduerſus pios geratur. vigila er-

go & caue: iſti caput petunt, tu ergo fortiter capiti Chriſto adhære, & antichriſti inſidias vita. & quoniam non tam legitima diſceptatione, quàm violentia & calumnia cauſam ſuam obtinere volunt, Chriſto cauſam fidei commenda, & te aduerſus omnes Papiſtarum impetus & inſidias para.

T. M. S.

DE TVRCOPAPISMO,

Siue

DE TVRCARVM ET PAPISTARVM ADVERSVS Eccleſiam & fidem Chriſti coniuratione, eorumq; *in religione & moribus ſimilitudine,*

LIBER VNVS.

Cap. I.

Quod & Turcæ & Papiſtæ pariter Chriſti eccleſiam & doctrinam oppugnant.

TVrcarum inueteratum & penitus in animis inſitum aduerſus populum Chriſtianum odium, nihil opus eſt verbis explicare. euidentia enim facti docet, & res ipſa probat, eſſe ipſos Chriſtiani nominis hoſtes capitales. quod ſi autem libet varios eccleſiæ Chriſtianæ caſus & calamitates recordari; ſic reperiemus, à nullis eam externis

hoſtibus, quàm à Turcis & Sarracenis, qui iam in vnum regnum coaluêre, grauius afflictam & vexatam fuiſſe. Mahometus, qui primus imperii huius fundamẽta iecit, perpetuę etiã inter Chriſtianos & ſuos futurę inimicitię ſemina ſparſit: διανίστησι καὶ ἐξοπλίζει παντοιοτρόπως τοὺς βαρβάρους, inquit [1] Zigabenus, πρὸς τὸ τῶν χριστιανῶν αἵμασι καταχραίνεσθαι. qui ipſi ſucceſſere Saracenorum duces, Arabiam, Perſiam, & magnã Aſię partẽ occuparunt. ex Aſia in Europã trãſeuntes ei maximã cladẽ intulere. deuictis imperatorũ Gręcorũ copiis, prouincias Chriſtianorũ latè populati ſunt. Duce Muhania Siciliam in poteſtatẽ ſuam redegêre. ex Sicilia in Africã profecti regni ſui fines protulere. Italiã etiã & Sardiniã, aliasq; prouincias vicinas ingreſſi, cuncta agere & ferre cœperunt. ex Africa in Hiſpaniã arma intulere: magnaq; cũ multitudine traiecto freto, maximã ei⁹ partẽ ſubegerũt. Oppreſſis demũ Saracenis, Turcę primũ Aſiã minorẽ, & magnã orientalis imperii partẽ occuparunt. ex Aſia deinde progredientes in Europã, magnũ Reip. Chriſtianæ terrorẽ intulerũt. occupatis .n. ampliſſimis Græciæ, Thracię, Illyrii, & Pannonię prouinciis, nunc Germanię imminẽt, & finitimis regnis excidiũ minantur. atq; hęc omnia facta ſunt, dum principes Chriſtiani, cõmittente eos inter ſe põtifice Rom. bello cõtẽderent, & põtifices ambitioſe regnũ affectarẽt, & popul⁹ chriſtianus vitiis ſuis fract⁹ ad res gerendas torpeſceret. Quãto autẽ lati⁹ limites imperii ſui Turcę ꝓtulere, tãtò ſẽper anguſtiores erãt eccleſiæ

[1] In hiſtoria Iſmaelit.

Chri-

Chriſti fines. religio .n. vbiq; iacebat, tẽpla euertebantur, epiſcopi fugiebant, pii viri aut inſtar ouium mactabantur, aut in ſeruitutem triſtiſſimam abripiebantur.

Pręterea [1] Saraceni & Turcę, recepta Mahometi impiiſſima lege, quę partim ex Iudęorũ cęremoniis, partim ex Arrianorũ & aliorũ hęreticorũ impiis cõmẽtis, partim ex nouis blaſphemiis conflata erat, verã Chriſti fidẽ odiſſe & oppugnare cœperũt, Chriſtianoſq;, vt eos à fide abducerẽt, grauiſſimis tributis afflixerũt. atq; ita dominãte impio Mahometi dogmate, religioni Chriſtianæ nullus honos, nec ferè locus in ampliſſimis Aſię regnis relictus eſt.

1 Zigaben. & Vincent. lib. 23. Spec. Hiſt.

Quàm autẽ ex diametro pugnet cũ Chriſti fide Mahometana perfidia, omnes vident. Chriſtũ .n. [2] Saraceni cũ Arrio Deũ eſſe negãt, iidẽq; ex hæreſi Marcionis nõ eſſe paſſum docẽt. in his autẽ duobus capitib⁹ pręcipua pars religionis Chriſtianæ poſita eſt. Pręterea de virgine Maria, & Chriſti incarnatione fabuloſa narrant. Spiritũ ſanctũ, vt Macedoniani, Deũ eſſe nõ credũt, atq; vniuerſũ ſanctiſſimę Trinitatis myſteriũ tollunt. Poſtremò, nõ tãtũ ſacramenta eccleſiæ, & ſacra ſymbola contemnunt, ſed etiam vniuerſam Chriſti doctrinam, portentoſiſſimis ſuis fabulis & commentis corrumpunt & euertunt.

2 Zigaben. in hiſt. Iſmaelit. Alcoranus, Menauinus, Ginffreus.

Neq; ſanè minus Papa Rom. & eius factio, Chriſti eccleſiam & fidẽ afflixit & oppreſſit. Turcę .n. velut externi hoſtes, foris, & quaſi extra eccleſiã graſſati sũt. Papa Rom. in tẽplo

Dei iam dudum ſedens, inteſtinam cladem attulit. Illi non tam aduerſus fidem, quã populum Chriſtianum pugnarunt: iſte aduerſus veram fidem potiſſimum regnum ſuum erexit; ſed populum fidelem idem non minus, quam Turcæ oppugnauit: eſt enim [3] *ebrius ſanguine ſanctorum*, & decretum edidit, vt [4] *omnes qui non adorarent imaginem beſtiæ*, hoc eſt, qui non obtemperarent pontificis Rom. decretalibus, [5] *occiderentur*: hinc illa eccleſiæ vaſtitas, quam & noſtra ætate, & ſuperioribus temporibus viri pii viderunt. Pontifici etiam Rom. factio Papiſtica pulchrè conſentit. reges enim & principes, & locuſtarum clauſtralium copiæ, & mercatores animarum hominum ſacrifici *virtutem & poteſtatem ſuam beſtiæ tradiderunt*, & cum pontifice Rom. aduerſus ſanctos eccleſię ſeruos conſpirarunt, & præliati ſunt aduerſus agnum. Hæc Spiritus ſanctus futura prædixit, nos iam præterita & impleta eſſe videmus. Nam ex quo tempore antichriſti regno iam firmato, viri pii, ſe illi opponere auſi ſunt; infinitas Chriſtianorum ſtrages factas videmus. In Gallia, ex iis quos Albigenſes & Waldenſes dixere, multa millia cæſa ſunt. Ferro enim & flammis multos annos in eos ſæuitum eſt. In Anglia Wiclephi diſcipuli nonnulli extincti ſunt. In ſynodo Conſtantienſi oppreſſi ſunt Huſſus & Pragenſis. poſtea conſequutum eſt bellum Bohemicum, contra fideles Dei ſeruos magna ſęuitia geſtum. In quo licèt Bohemi ſe

3 Apoc.17.
4 Apoc.13.
5 c. ad abolendam, de hæreticis.

mi ſe ſtrenue geſſiſſent, multos tamen viros bonos pontificum ſæuitia oppreſſos fuiſſe conſtat. In Anglia effoſſa ſunt oſſa Wiclephi & combuſta. Neque enim viros bonos vel viuos vel mortuos quieſcere ſinunt.

Exortus eſt tandem in Germania Lutherus, in Heluetia Zuinglius, duo veritatis ſtrenui defenſores. Horum prędicatione cũ verbum Dei latè diſſeminari intellexiſſent papiſtæ; Deus bone, quanta trepidatio, quanta concurſatio ſequuta eſt? quot illi conſilia ceperunt, quot conuentus habuère, vt lucem ſolis exorientis vel occultarent, vel ſaltem obſcurarent? Lutherus non tantum blanditiis, ſed etiam minis tentatus eſt. Poſitæ ſunt etiam ipſius vitæ multiplices inſidiæ, & pontifex Rom. & Cæſar, & principes maximi aduerſus eũ conſpirarunt. interim verò *Eckius*, & *Cochleus*, & *Louanienſes*, & *Pariſienſes* doctores, multique vndique monachi impetu facto in eum, eiuſq; doctrinam incurrerunt, doctrinamque ſynagogæ Romanæ, velut ollas fictiles, ampliſſimis verbis ornare cœperunt.

Poſtquam verò nec Cardinalium aſtutis conſiliis, nec Sophiſtarum captionibus, nec regum proſcriptionibus & minis, doctrinæ otthodoxæ curſus impediri potuiſſet, miſſus eſt in Germaniã fax belli cardinalis [1] *Farneſius*, qui velut Megæra, Carolũ quintum, & alios principes Chriſtianos ad bellum contra Germanos gerendum accenderet. Hoc

[1] Sleidan. lib. 26.

enim incendiũ non aliter, quã ruinâ Germaniæ extingui poſſe. calumniis ergo, & precibus, & promiſſis ille Carolo quinto perſuaſit, vt bellũ contra noſtros difficilimum, Germaniſq; & populo Chriſtiano exitioſum ſusciperet. Ita papiſtæ Turcas omittentes, qui iam Germaniæ imminebant, ad euangelii lucem iam iterum ſplendentem opprimẽdam incubuerunt. [a] Pontifex Rom. decem millia peditum, & aliquot equitum turmas auxilio miſit, copias ſcilicet triplo maiores, quam aliquo bello contra Turcas miſerat. quis ergo non iure miretur, vnum Lutherum aduerſus tot hoſtes potuiſſe conſiſtere? & quis non videt hanc Dei eſſe inuictam veritatem, quam tuemur, vtpote quæ nullis hominum conſiliis aut copiis expugnari queat?

[a] Ibid. lib. 17.

Heluetios postquam doctrinæ Apoſtolicæ aures adhibere, & eam publicè profiteri cœpiſſent, non modò externi hoſtes, verum etiam amici veteres & vicini, quibuſcum auitum erat fœdus, oppugnarunt. Põtifex Rom. magnam cõtra eos inuidiam excitauit. Pſeudoepiſcopus Conſtantienſis contra eos ſcriptum edidit. tandem, cum aliàs lites iſtæ ſopiri non poſſent, armis rem tentandam papiſtę exiſtimarunt. neque ſanè quicquam omiſſum eſt, quod cauſę pontificiæ aliquod adiumentum afferre poſſet.

Contra *Henricum* octauum Angliæ regem, reformationem eccleſiæ meditantem, Paulus tertius multa machinatus eſt: bellum foris,

foris, domi ſeditionem inteſtinam excitauit, cum autem rex in propoſito maneret, ipſum diris [3] denouit, regnumque Angliæ in prædam omnibus vicinis expoſuit. Anglis, niſi ab eo deficerent, non modò iram *Petri* & *Pauli* in cœlis, ſed damnum in terris pręſentaneum minitatus eſt. Cardinalis Polus ad res turbandas in Galliã miſſus eſt. in Anglia [4] ſacrifici & monachi mendaciis & calumniis graues tumultus excitarunt.

[3] Sanderus de ſchiſm. lib. I.

[4] Holinſhed in Henr. 8.

Defuncto *Edouardo* ſexto Angliæ rege, nihil habuere papiſtæ antiquius, quam vt Chriſti gregem multorũ laboribus collectũ, cæſis ducibus diſſiparent. atque ita magna ſęuitia multi clariſſimi viri exuſti ſunt. Occiſus eſt *Cranmerus* venerandus ille ſenex, & fortiſſimus Dei athleta; nec ei profuit vel dignitas Archiepiſcopalis, vel ætas, vel morum modeſtia. flãmis etiam doctiſſimus *Ridletus*, & bonus ille ſenex *Latimerus* exuſti ſunt, ambo epiſcopatu inſignes, ſed martyrio multo nobiliores. ex reliqua eccleſiæ paſtorum & piorum multitudine multi grauiſſimo ſupplicio affecti ſunt. atque hæc ſæui lupi fecerunt in ouile Chriſti irruentes, & regnum ſuum iam ferè euerſum, ſanguine & ſæuitia tyrannica inſtaurare molientes.

Vt *Elizabetham* ſereniſſimam Angliæ nunc reginam à iure ſuo excluderet, è Capitolio fulmen ſuum torſit contra ipſam & matrem ipſius, velut alter Iupiter Capitolinus, Paulus tertius. Vt ipſam opprimeret, papi-

ſtica factio nihil non tentauit. Gardinerus ei hæreſim & rebellionem, alii alia crimina obiecerunt. Sunt qui clã ipſi inſidiati ſunt. Sed Deus omnes eorum machinationes euertit: ipſa enim diuino auxilio regnat, & multos iã annos regnauit; iſti miſeri apud inferos perfidiæ ſuæ & ſceleris pœnas dant. Ipſa vel inuitiſſimis papiſtis nobis veram religionem reſtituit, nec ab ea vel laudibus Oſorii, vel promiſſis Pii quarti & quinti, nec precibus & hortationib⁹ principum, nec calumniis inuidorum, nec cõiurationibus ſubditorum, nec bellis principum externorum, nec vllo ſuo periculo abduci potuit. Quoniam ergo nihil aliud ſupererat; ſicarios & veneficos maximis pollicitationibus & præmiis papiſtę cõduxerunt, qui aut vi, aut fraude ei vitam eriperent, iidemque magnis contractis exercitibus & claſſibus, armorum violentia cogendam exiſtimarunt.

[5] Popellinie-re & Dinothus de bel. Gallic.

In Gallia regũ authoritate diu veritas oppreſſa iacuit. Ipſam enim papiſtæ variis [5] mẽdaciis & calumniis ſuſpectam populo fecerunt, & inuiſam. Poſtquam verò tandem emergere cœpiſſet quod diu latuerat euangelii lumen; vbique papiſtę occurrerunt, & quãtum poterant, obſtiterunt, ne latius ſe diffunderet: & primò quidem, Guiſio authore & ductore, pacem cum noſtris factam turbarũt: poſtea audaciores facti, & ſeditioſis monachorum & ſacrificorum vocibus incitati, impetum populariter in homines pios fecerunt,

runt, eósque inermes & nihil tale opinantes, & fœdera & publicam fidem violatam querentes, velut oues innocentiſſimas mactarũt. Deinde iterum pacis facta eſt mentio, eamq; noſtri cupide arripuerunt. Sed ita tandem compererunt, inſidias ſub pacis nomine latere, & nihil ſibi eſſe pace funeſtius. Anno enim 1572. in Bartholomæi feſto, noſtris nefaſto, Admirallius, & multi alii clariſſimi duces, in funeſtis regis Nauarreni nuptiis, fidem regis nequicquam implorantes, fœdiſſimo exẽplo trucidati ſunt. Nec quicquam illos iuuerunt vel pacta fœderis, vel iuſiurandum regis ſolenne, vel aliorum principum authoritas, vel nomen Dei, quod vel Turcis ſacroſanctũ habetur. Hæc enim Cardinalis Alexandrini opera & põtificis Rom. iuſſu contempta ſunt omnia.

Cum verò nec ſeditione populari, nec armorum vi eradicari poſſent fideles Chriſtiani, aduerſus eos omnes per Galliam papiſtæ factioſi coniurarunt. [1] Regem etiam ipſum ad rem vnâ ſuſcipiendã attrahere conati ſunt, eumque demum, quod iſtas coniurationes non probaret, per nefarium monachum, ad perpetuam papatus & monachatus infamiam, trucidarunt. omni denique fraude, calumnia, nequitia, ſcelere, violentia, veritatẽ fidei Chriſtianæ per regnum Galliæ oppugnarunt.

[1] Memoires de la Ligue.

Eandem rationem in opprimendis Belgis, quibus veritas Euangelica affulgere cœpit,

ſequuti ſunt. primo legibus & iudiciis pugnarunt; poſtea verò armis Hiſpanorum rem tẽtarunt. venit in Belgium Albanus, Pontificiæ & Hiſpanicæ crudelitatis idoneus miniſter: cuius ſi ego omnes res crudeliter, iniuſtè, perfidè geſtas commemorarem, nihil ego aliud facerem, niſi vt multas vnius carnificis palmas numerarem. Iudiciis multi ab eo oppreſſi [a] ſunt: alii in exilium pulſi: nonnulli clam necati: plurimi armorũ ſpecie, quantũuis maximè inermes eſſent, trucidati. multiplex erat variæ mortis facies. vna autẽ omnis mali origo, papiſtarũ aduerſus veram doctrinam rabies. Pace demum Anno Domini 1578. facta, papiſtæ nihilominus bellum cordibus premebant, omnibus enim pactis, quãtumuis licèt à rege, & aliis iuratis pontificis Rom. nequitiâ violatis, ad arma iterum concurſum eſt. atq; ita in Belgio Christianam religionem naſcentem extinguere, creſcentem impedire, roboratam tollere papiſtæ conati ſunt.

[a] Dinothus de bello Belgic. & Dimetr. Meterani hiſtor. Belgic.

In Italia & Hiſpania vigilant homines oculatiſſimi, ne aliquod doctrinę ſalutaris ſemen ſpargatur. doctores pœnis deterrent, libros ſanæ doctrinæ exurunt, Scripturas quantum poſſunt, occultant, fideles exquiſitiſſimis ſuppliciis necant; legibus denique & edictis, iudicumque ſententiis, & incendiis, & quouis ſuppliciorum genere aduerſus veram eccleſiam depugnant.

Acerrimè etiam papiſtæ verã Chriſti do-

ctrinam

ctrinam oppugnāt. relicto enim Chriſto, adulterinum caput & ſponſum ſibi aſciuerunt, cuius imperio & nutu reguntur. vbi de monarchia eccleſiæ loquuntur, nihil aliud intelligunt, quam Pontificis Rom. regnum. hunc ergo regem habent & agnoſcunt. [3] eius denique doctrinæ, tanquam verbo Dei, & Pontifici Rom. tanquam Prophetæ de cælo delapſo, qui errare non poteſt, auſcultant. quid ergo mirum, cum hunc religionis ducem ſequantur, qui plerumque nec Deum eſſe credit, nec religionis aliquod dogma rectè intelligit, ſi in rebus grauiſſimis errent? errare ipſos, vel pueris notum eſt; adeò ſunt ipſorum tenebræ & errores palpabiles. myſterium Trinitatis Scholaſtici Philoſophicis argumentis prophanant; veritatem Chriſtianæ religionis obſcurant, ſubtilitatibus in dubium vocant. Chriſti officium Pontifices Rom. cum ſanctis communicant, merita & gloriam minuũt, humanam naturam deſtruunt, ſalutem noſtram non tam Chriſti meritis, quam operationibus noſtris acceptam ferunt, ſatisfactionem pro peccatis ab hominibus exigunt, ex purgatorii doctrina inferos in dubium vocant; eucharistiam, hoc eſt, cõmunionẽ corporis Chriſti & ſynaxin, in ſacrificium mutant, & Chriſti ſacrificio ſemel peracto derogant; ſacra cœnæ ſymbola per ſuam tranſubſtantiationem abolent; calicem populo, imò omnibus præterquam ſacrificio,

[3] Stapleton. princip. doctrin.

Sacramentum euchariſtiæ adimunt, ex pane idolum faciūt; ligna & lapides colunt; de Scripturis detrahunt; traditiones non ſcriptas, de quibus nulla eſt certitudo, cum verbo Dei æquant; verbum Dei ſcriptum in lingua ignota occultant; populum ſua myſteria celant; in lingua ignota preces fundunt: atque, vt breuiter complectar, omnem Chriſti religionem aut ſuſtuliſſe, aut ſaltem adulteraſſe videntur.

Non minus ergo aduerſus Chriſti eccleſiā pugnant papiſtæ, quam Turcæ. doctrinam verò eccleſiæ multò ſubtilius corrumpunt, & acutius refellunt. Turcæ armis tantum, & apertis, & craſſis blaſphemiis; iſti omnibus naturę, & doctrinæ adminiculis, & multis præterea argutiis & ſubtilitatibus eam oppugnare, & adulterare ſolent.

Sed multis prętere a rebus papiſtæ Turcis vel pares ſunt, vel deteriores; quæ nunc poſt vocabulorum Turciſmi & Papiſmi interpretationem ſigillatim explicandæ ſunt.

Cap. II.

De ſignificatione Turciſmi *&* Papiſmi, *& prima vtriuſque origine.*

ETſi non libenter in vocabulis quæramus argutias; tamen quoniam ex vocabulorū obſcura ſignificatione graues naſcuntur errores, & quia, vt inquit [1] Philoſophus, εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, idcir-

[1] Plat. in Cratyl.

idcirco explicandum cenſuimus, quid vocabula hæc, *Turciſmus*, & *Papiſmus* nobis hoc loco ſignificent: eoque magis, quia de Turciſmo, & papiſmo omnis hoc loco inſtituitur diſputatio, quæ niſi explicatis vocum ſignificationibus, commodè definiri non poteſt.

Eſt igitur *Turciſmus*, omnis illa impietas, & errorum colluuies, quam nunc Turcę vel à Mahometo, vel aliquo alio eius ſucceſſore acceptam tenent, & defendunt, ſiue illa in Alchorano, ſiue alio aliquo libro, ſiue in traditione non ſcripta cõtineatur, Turciſmi etiam appellatione nonnunquam intelligimus, cum dogmatum Turcicorum impuritate coniunctam morũ turpitudinem. Quod ſi autem communia aliqua cum eccleſia Dei dogmata defendant, ea Turciſmi vocabulo non veniunt intelligenda: eius enim ſectæ propria non ſunt. atque hac de re nulla nobis cum aduerſariis noſtris controuerſia eſt. Illi enim eodem modo vocabulum hoc intelligere & interpretari videntur.

De papiſmo autem non idem nobiſcum ſentiunt. Papiſtam enim [2] Bellarminus *idem ſignificare dicit, quod vox catholicus, aut Chriſtianus, & deduci à Papa, qualem ille Petrum & ipſum Chriſtum fuiſſe autumat.* hoc nos aliàs abſurdiſſimum eſſe oſtendimus. nunquã enim Chriſtus, aut Petrus, monarcha erat in terris qualis Papa, nec doctrinam illam promulgauit, quæ in Decretalibus continetur, & ex traditione non ſcripta defenditur: nec de-

2. De notis Eccleſ. c. 4.

niqueClementis 8. ſimilis erat. ſed hoc loco, quid illi ſentiant, non quid rectè de hoc vocabulo ſentiant, referimus. nos autem longè aliter hoc vocabulum interpretamur. [3] *Papiſmum* enim dicimus, omnem illam in fide & moribus labem, quam cõtra apoſtolicæ & verè catholicæ Chriſti eccleſiæ mores & diſciplinam, hominum & temporũ vitio ſynagoga Rom authore PapaRom.&eius factionis hominibus contraxit. neque ad rem intereſt, ſiue labes illa in decretalibus, & miſſalibus, & aliis libris ritualibus, ſiue in traditionibus non ſcriptis fundamẽtum habeat: traditiones enim illas factio pontificia non minus, quam verbum Dei ſcriptum [4] veneratur. multa illa etiam ex veteri Apoſtolorum diſciplina retinet & rectè credit, vt etiam alii omnes hæretici; ſed quia à Chriſto & Apoſtolis manarunt, ea ad hunc locum non pertinent. Loquimur enim de zizaniis ſuperſeminatis, & de traditionibus & moribus, qui poſt veram doctrinam per Paparum Rom. authoritatem in ſynagoga Roman. inualuerunt. an autem aliqua huiuſmodi labes inuecta ſit, quærere, nihil aliud eſt, quàm de rebus clariſſimis, & ſolis radiis an meridie luceant dubitare. nam & aliàs hoc fuſè oſtenſum eſt, & nos etiam in hoc libro breuiter attingemus.

[3] Papiſmus quid ſignificet.

[4] Concil. Tridentin. ſeſſ. 3.

De his duabus veræ religionis corruptelis, magna aduerſariorum prouocati iniuria dicere inſtituimus: ſed quanta poſſumus breui-

breuitate. nam vt peſtes & venena, ſic labes iſtę contagione nocent, & vt perniciem afferunt illis, qui eas imbibunt, ſic memoratu iniucundæ ſunt. Primò autem de vtriuſque erroris origine dicendum eſt, idque non tantum vt Satanæ in eo malitiam agnoſcatis, qui tantam veneni vim vno tempore in humanum genus effudit, ſed etiam vt in tempore, & prima origine, Papiſmo & Turciſmo rectè conuenire intelligatis.

Papiſmus ergo circa annum Domini 606. Bonifacio tertio authore, palàm ſe oſtendere cœpit. [1] obtinuit enim ille primus à Phoca parricida, *vt ſedes Romana caput omnium eccleſiarum & diceretur, & haberetur.* Eo tempore etiam Antichriſtus papiſmi author primùm reuelari cœpit, quod diu antea Gregorius primus futurum prædixit. *Omnia*, [2] inquit, *quæ prædicta ſunt, fiũt: rex ſuperbiæ prope eſt, &, quod dici nefas eſt, ſacerdotum ei præparatur exercitus.* Et ne quis alium quàm põtificẽ Rom. intelligi putet, ipſius Gregorii facit authoritas. Ego, [3] inquit, *fidẽter dico, quod quiſquis ſe vniuerſalem ſacerdotem vocat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit.* Cum ergo iam præter pontifices Rom. nulli ſe eccleſiæ monarchas, & vniuerſales epiſcopos nominent, hoc ad eos ſpectare manifeſtò conſtat.

Poſt Bonifacii tempora, ſinguli pontifices Rom. in ædificando regno papiſtico laborarunt: alii decretis, alii cõciliis, alii armis illud auxerunt. & primò quidem aduerſus Græ-

1 Plat. in Bonifac. 3.

2 Libr. 4. epiſt. 37.

3 Libr. 6. epiſt. 30.

[4] Platina.

[5] Onuphrius & Zonaras.

[6] Theodoric. à Niem de ſchiſm. lib. 2.

corũ imperatores ſtrenue pugnarunt.[4] Gregorius ſecundus imperatorem anathemate percuſſit.[5] Authore Gregorio tertio, Italia ab illo defecit. Leo tertius Francos cum Græcis cõmiſit, & imperii nomen ex populi Rom. mandato ad Carolum Magnum tranſtulit. Poſtea in Italia pontifices Rom. prouincias aliquas partim ex dono principum, partim vi armorum, partim aſtutia & fraude acquiſiuerunt. Multa ipſis donauit Carolus Magnus, multa Ludouicus: ſed plura ipſi ſine vllo titulo occuparunt. Tandem vrbem Romam, & territorium vniuerſum ſibi ſubegit[6] Bonifacius nonus. Poſt imperatores Orientis debellatos, Gregorius ſeptimus in Germanos arma vertit. Neque ab eo tempore ceſſarunt contentiones inter pontifices & imperatores, donec ſubactis iſtis, pontifices ſoli regnarent. Ex eo tempore leges ſuas aliquot voluminibus comprehẽſas promulgarunt. Quinque libros edidit Gregorius nonus: reliquos edidere Clemens quintus, Bonifacius octauus, & Ioannes viceſimus ſecundus. In iſtis libris omnia fere papiſmi myſteria tradita ſunt, quæ olim ſcholaſtici, & nunc Ieſuitæ & alii pontificum Rom. aſſeclæ, omni contentione & induſtria defendũt. Hæc autem myſteria ſua papæ Rom. à variis hæreticorum ſectis mutuati ſunt; à Simonianis, Carpocratianis, & Armeniis, cultum imaginum; ab Angelicis, cultum & venerationem Angelorum; à Collyridianis, virginis

ginis Mariæ cultum ; à ſtaurolatris , adorationem crucis; à Pelagianis, liberi arbitrii laudes & operum iuſtitiam; à Nazareis, legales cæremonias; à Tatianis & Manichæis, nuptiarum prohibitionem & contemptum; ab Eutyche, humanæ naturæ in Chriſto deificationem ; à Narcitis , transſubſtantiationem acceperunt. neque fere vlla eſt antiqua hæreſis, 7 cuius non aliquod caput in ſuam ſectam tranſtulerunt. *Papiſmus*, inquit Danæus, *tandem exortus eſt*, *qui ſuperiores omnes hæreſes partim, vt alueus recepit ; partim vt mare abſorpſit, alieno quidem nomine, ſed tamen earum dogmate retento & confirmato.* Cuius teſtimonium licet aduerſariis ſuſpectum videatur, illud tamen ſuperiorum hæreſiôn enumeratio , & experientia rerum hatum magiſtra confirmat , & nos poſtea documentis clariſſimis probabimus. atque ita & primam originem , & incunabula papiſmi tenemus. Neque obſtat, quod dogmata hæc ſua papiſtæ ab apoſtolis repetunt: non enim tam ſpectandum eſt, quid ipſi aſſerant, quam quid probent. labes papiſticæ ſectæ nunquam illi vel ab Apoſtolis, vel à viris apoſtolicis profectas docebunt. Præterea, fruſtra antiquiſſimorum patrum teſtimonia in ſuæ ſententiæ confirmationem proferunt. nam ſi eorum authoritate ſtabilita eſſet ſynagogæ Rom. fides , quid opus erat tot Decretis & Decretalibus, quæ poſtea diuerſis temporibus emerſerunt ?

7 In Auguſtin. de hæreſ. c. 95.

miſſę papali, & cultui ſynagogæ Rom. pontificis Romani tyrannidi vniuerſæ, nihil eſt in patrum ſcriptis præſidii. Poſt annum verò 606. quotidie magis magisque omnia ſectæ papalis dogmata in lucem proferri & certatim recipi cœperunt. Annis etiam ſequentibus, euerſo imperio Rom. nouum regnum extruere cœpit pontifex Rom. atq; ita impletum eſt vaticinium Ioannis, Apoc. 13. *Beſtia .n. aſcēdens de terra, quæ cornua duo habuit ſimilia agni, loquuta eſt vt draco, & poteſtatem prioris beſtiæ fecit in conſpectu eius, & fecit terram & inhabitantes in ea adorare beſtiam primā, cuius curata eſt plaga mortis.* Hoc eſt, pōtifex Rom. obſcuris initiis velut de terra exurgens, qui ſe Chriſti agni immaculati vicarium facit, & interim loquitur magnificè vt ſolent tyranni, & vocem fundit venenatam vt draco, euerſo imperio Rom. quod per pardum in principio [1] capitis deſignabatur, Romam quodammodo reſtituit, & cuncta more veterum imperatorum egit. ipſe enim vrbem illam à Gothis captam, & ferè dirutam reſtituit, & eô opes, & cauſas totius orbis terrarum attraxit.

[1] Apoc. 13.

Eodem ferè tempore in Oriente, Saracenorum dogma, quod quia à Turcis poſtea receptum & defenſum eſt, Turciſmus dicitur, exoritur. *Mahometiſmus*, inquit [1] Danæus, *papiſmum ſequutus eſt proximè. anno decimoquinto Heraclii* (vt [2] inquit Paulus Diaconus) *Arabum princeps Muhamad*

[1] In Auguſtin. de hæreſ. c. 96.
[2] Lib. hiſt. 18.

mad habebatur. huic aſſentiuntur alii fide digni authores. Οἱ Σαρακηνοὶ, inquit Euthymius Zigabenus, μέχρι τῶν Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως χρόνων, εἰδωλολάτρουν, &c. ὅτι δὲ ψευδοπροφήτης αὐτοῖς ἀνέστη Μωάμεθ, ὁ ταῖς βλασφημίαις μέγας καὶ πρεσβεύοντος. *Natus fuit*, inquit [3] Breidenbachius, *ille perditionis filius Mahomet currente iam dominicæ incarnationis Anno 606.* temporibus Heraclii imperatoris eum & ducem Arabũ factum, & legem ſuam promulgaſſe ſcribit [4] Vincentius Beluacenſis. [5] Laonicus etiam Chalcondilas imperium Mahometi temporibus Heraclii cœpiſſe dicit. huic etiã Blondus & [6] Nauclerus ſuffragatur. *tandem*, inquit Philippus [7] Lonicerus, *ſub Heraclio Anno 613. Mahomet Saracenorũ, & Arabũ dux & propheta factus eſt*. Et primò quidem, ſceleſtus iſte Saracenorum pſeudopropheta regnum anguſtis & exiguis finibus contractum poſſedit: poſtea verò eius poſteri, deuicto imperatore Rom. fines ſuos latè propagarunt. paulatim etiam, antiquatis aliis libris, vniuerſa perfidiæ ſuæ dogmata in librum dictum Alfurcam contraxerunt. Hic eſt ille execrabilis decretorum Mahometicorum codex, quem Alcoranum vocant, quem ex omnibus, vt poſtea dicemus, hæreſibus execrandi illi Mahometi ſucceſſores, illo viam ſibi præmonſtrante, conflarunt.

In elench. Iſmaelit.

[3] In hiſtor. ſuæ peregrinat.

[4] Lib. 23. c. 39. Specul. hiſtor.

[5] De rebus Turcic. lib. 3.

[6] Generat. 22.

[7] Turcic. hiſt. lib. 1.

Tempora igitur Mahometiſmi & Papiſmi rectè conueniunt. temporibus enim Phocæ & Heraclii, primò ſe oſtendere vtraque

peſtis cœpit. Ex eiſdem etiam cauſis, peſtes iſtæ profectæ ſunt, & vires acquiſiuerunt. Nã poſtquam ſingulis hæreſibus diabolus Chriſtianæ fidei lucem ſe extinguere non poſſe animaduertiſſet, Mahometiſmum & Papiſmũ moliri cœpit, qui vniuerſam ſimul Chriſtianam religionem aut opprimerent, aut ſaltem corrumperent: quod nos tandem effectum videmus. Papiſmus enim Chriſti merita minuit & obſcurat, Mahometiſmus negat. Ille ſacramenta eccleſiæ ſacroſancta mutilat, aut corrumpit; hic prorſus tollit. Hæ duæ ſectæ veræ religioni oppoſitæ videntur. In eas enim, tanquã in lacum fœtidiſſimum, omnes hæreſes olim ſeneſcentes, nouis coloribus, tanquam riuulis decurrerunt, quod paucis his exemplis perſpicuũ fiet. Eutyches in Synodo Chalcedonenſi conuictus & condemnatus conticuit. At dũ Chriſti corpus in locis infinitis ſimul eſſe docetur, conſequitur illud quod Eutyches docuit, nempè, Humanam in Chriſto naturam, à Diuina abſorptã fuiſſe. Sublata eſt etiam vetus idololatria, & Staurolatrarum & Armeniorũ, qui imagines colebant, hæreſis damnata. Poſtea tamen ſub ſpecie venerationis crucis & imaginum, & idololatria, & cultus crucis & imaginum idololatricus, & veteres hæreſes poſtliminio reuocatæ ſunt. Auſpiciis denique & authoritate Pontificum Rom. Pelagianorum, Manichæorum, Marcitarum, Montaniſtarum, Nazaræorum, Audæanorum, & aliorum hæreti-

reticorum veteres & iampridem extinctæ hæreſes, de nouo in Eccleſiam introductæ ſunt. Similiter Mahometus ſub ſpecie nouæ legis, veteres reduxit hæreſes. Nam cum Sabellio perſonarum in diuina eſſentia diſtinctionem, & cum Arrio Chriſti diuinitatem, & cum Macedonio Spiritus ſancti deitatem, & cum Sergio duas in Chriſto voluntates ſuſtulit. Idem etiam cum Marcionitis & aliis hæreticis Chriſtum paſſum eſſe negauit.

Ex ruinis imperii Rom. & papatus, & Mahometi regnum & primò emerſit, & poſtea auctum eſt. Phocas propter iniuſtam domini ſui cædem populo inuiſus, vt pontificis Rom. gratiã promereret, eccleſiæ Rom. primatũ in omnes alias eccleſias tribuit, ſed authoritas illa pontifici Rom. cõceſſa neruos poſtea imperii incîdit. Similiter Arabes, duce Mahometo, imperatori Heraclio militantes, & ab eo vſum armorũ accipientes, Saracenici imperii fundamenta iecerunt, & ei partes non contemnendas prouinciarum imperialium eripuerunt.

Eiſdem etiam artibus Mahometus & Papa Rom. famam ſibi apud populum imperitum compararunt. *Mahometus* (inquit [1] Breidenbachius) *cum cerneret ſe regnum Arabiæ per vim conſequi non poſſe, per ſimulatam ſanctitatem id tentauit, fingens ſe prophetam, & nuntiũ Dei.* [2] Vincentius Beluacenſis *eum impoſturis ſuis credulos Arabes decepiſſe* ſignificat. Ipſi etiam Arabes decepti, alios decipere conati

[1] De peregr. ſua c. 3.

[2] Lib. 23. ſpec. hiſt. c. 41. 42.

ſunt. *Arabes*, inquit [3] Nauclerus, *præſtigiis Mahometi decepti, apud Perſas, vt eandẽ legẽ reciperẽt, inſtitere.* fraude & imposturis magnã ſui nominis famam eũ cõparaſſe conſentiunt [4] omnes. Similiter etiam pontifices Rom. cũ tenues initio opes, & exiguas facultates haberent, per fraudes tamẽ & imposturas ampliſſimum poſtea regnũ adepti ſunt. Italis enim ne hæreticis parêrent facile inductis, imperatoriam quodammodo ſibi authoritatem apud eos compararunt. Poſtea aſcitis in ſocietatem Gallis, Italiæ prouincias aliquot in victoriæ præmium acceperunt. Aucti opibus, ſe Chriſti in terra vicarios, & ſupremos rerum controuerſarum iudices eſſe iactarunt, iidem ſe capita eccleſiæ vocarunt, & Chriſti honores ſibi arrogarunt. *Papa*, inquit [5] Turrecremata, *non eſt omninò aliud caput diſtinctum à capite quod eſt Chriſtus, ſed eſt eius vicarius, & vicem eius, & perſonam, authoritatem & poteſtatem repræſentans in terris, & eius iudicium iudicium Dei reputatur, & ſententia eius & conſiſtorium, conſiſtorium Dei.* quinetiam nõ [6] verentur ſe *deos* vocare. iidem etiã quæ Dei ſunt, in peccatis remittendis & retinendis, ſibi ſumpſerunt. Imperatores verò adeo cõtẽpſerunt, vt *quantum ſol luna præſtat, tantum ſe illis præſtare* [7] *affirmarint*. hanc autem tantam poteſtatem, niſi ementitis prodigiis & mendaciis callidè diſſeminatis, & variis imposturis, acquirere nõ potuerunt: idcirco mendaciorum, & miraculorum commentitiorũ plenas

[3] Generat. 22.

[4] Lonicer. Turc. hiſt. lib. 1.

[5] Lib. 2. ſummæ de eccleſ. c. 26.

[6] Diſt. 96. c. ſatis.

[7] c. ſolitæ, de Maior. & obed.

nas legendas emiſerunt, Scripturas ſacras p-uerterunt, & in alienum ſenſum detorſerunt, Chriſti deniq; & Petri authoritatem callide ad ſuam ſtabiliendam poteſtatem adhibuerunt. atq; ita diabolus, qui hæreticorum fraudibus diu nihil efficere potuit, pōtificis Rom. & Mahometi impoſturis multos mortales miſerè deceptos in æternum exitium ſecum pertraxit. *Solet enim ille, quo valētius vincitur, eo ardentius ad inſidias inſtigari*, vt inquit [a] Gregorius.

[a] Gregor. moral. lib. 4.

Cap. III.

De præcipuis authoribus & doctoribus Mahometiſmi, & Papiſmi.

De Mahometiſmo nulla controuerſia eſt, quin à diabolo mendacii patre originem habuerit, neque enim aliūde tot blaſphemiæ & impietates proficiſci potuerunt. Præterea hoc diſertè teſtes fidedigni affirmarunt. *Diabolo*, inquit [1] Vincentius, *inſpirante, hanc legē ſubito, neſcio vnde emerſiſſe cognouimus*. Breidenbachius *Diabolo authore ſectam hanc excogitaſſe* [2] *dicit Mahometum*: quod & euentus clare oſtendit. neque enim aliunde quam ex humani generis hoſte tot cędes, tot incendia, tot calamitates quę per hanc Mahometi perfidiam introductę ſunt, proficiſci potuerunt.

[1] Spec. hiſt. lib. 23. c. 50.

[2] De peregr. ſua c. 3.

At de papiſmo fortiter repugnāt aduerſarii. res autem indicat, & *Papiſmum* & *Turciſmum* ab vno fonte fluxiſſe. Nam prætérquam quod papiſmus ex variis hæreſibus cōflatus ſit, quarum diabolus author eſt: nullo alio adminiculo multę eius partes ſuſtinētur.

quàm mendaciis. hinc trãſubſtantiatio, hinc miſſa, hinc purgatorium, hinc pontificum Rom. primatus, hinc angelorum & ſanctorũ cultus, & multa alia Synagogæ Rom. dogmata confirmantur, cuius rei mendaciſſimæ legendæ documenta infinita continent: mendaciorum autem pater Diabolus eſt. pręterea cædes & incendia, & tot regnorum clades & interitus, & infinitæ aliæ calamitates, quæ ex hoc vno fonte manarunt, oſtendunt papiſmum ab inferis eſſe excitatum, vt & corpora & animas hominum perderet. *Vos*,[1] inquit Christus, *ex patre diabolo eſtis, & deſideria eius facitis: ille homicida erat ab initio.* Chriſti ſanè religio nunquam tales calamitates induxit, nec cædes & bella aduerſus innocentes facienda ſuaſit. Poſtremò, Pontifices Rom. quorũ miniſterio hæc ſuperſtitio propagata eſt, diaboli erãt miniſtri.[2] Ioannes decimus tertius diabolo *homagium fecit*, & eum inuocare ſolitus eſt. Silueſter ſecundus operâ diaboli in multis vſus, ab eo tandem interfectus eſt. Benedictus nonus magiæ peritiſſimus per ſiluas dæmones inuocare ſolitus eſt.[3] Gregorius ſeptimus nunquam peregrinatus eſt abſque libro Necromantico. idem[4] confeſſus eſt moriens, *ſe ſuadente diabolo contra humanum genꝰ iram & odium Dei concitaſſe*. Paulus tertius, à quo Synodus Tridentina indicta eſt, vnde papiſmus præcipuam authoritatem habet, cum diabolo magnum habuit commercium, vt pote[1] Necromantiæ &

[1] Ioan. 8.

[2] Faſcic. tẽporum.

[3] Beno card.

[4] Matth. Paris in Wil. conquæſt.

[1] Io. Sleidan. lib. 21.

tiæ & magiæ peritiſſimus. Ex diaboli teſtimonio multa papiſtæ dogmata ſua in legendis probare ſolent. inde cõfirmat imaginum adorationem [2] Synodus Nicena ſecunda. inde Franciſci ordo decus ſui primi fundatoris probat. *Diabolus dixit* (inquit [3] author libri Conformitatum) *quod Chriſtus videns Franciſcum ſibi datum pro ſignifero tanti ordinis, ipſi ſuorum vulnerum ſtigmata impreſſit, & clauos in manibus & pedibus, & in latere dextro vulnus: hæc diabolus. & quare ſit factum, diabolus adiuratus à quodam ſacerdote de veritate dicenda, poſt plura per os mulieris apud Rauẽnam morantis, nomine Zanteſe, ſic inquit; In cælo ſunt tantum duo ſignati, ſcilicet Chriſtus, & ſtomachoſus Franciſcus.* Iebuſitas in India diabolus filios ſuos [4] vocat, & ipſi operibus ſuis genus ſuum declarant. Ex diabolo ergo & papiſmus, & eius ſectæ præcipua ornamenta profecta ſunt.

2 Act. 4.

3 Fol. 130.

4 Hiſtoire des Indes.

Ad propagationem verò harum impietatum, diabolus hominum ſceleratiſſimorum opera vſus eſt. Turcici dogmatis primus author celebratur Mahometus Arabs, ex ignobili Iſmaelitarum gente natus. Is ex conſilio partim hæreticorum Neſtorianorum & Arrianorum, partim Iudæorũ, nefandum ſuum Alchoranum compoſuit. *In Hebræos,* inquit [5] Zigabenus, *primum incidit, deinde & in Arrianos, tandem & in Neſtorianos.* & poſtea: καὶ συνθέτον ἐξ αὐτῶν θρησκείαν ἑαυτῷ συνεστήσατο. [6] Breidenbachius & [7] Nauclerus eum præ-

5 In elench Iſmaelit.

6 De pereg. ſua cap. 3.

7 Generat 22.

cipuè monachi cuiuſdam opera, cui nomen Sergius erat, in componendo Alchorano vſum ferunt. poſtea acceſſit Iacobitæ cuiuſdã manus. atq; ita ab hæreticis, monachis, & Iudæis cõmuniter aduerſus fidẽ Chriſti cõſpirãtibus execrãdus ille Alchoranus cõflatus eſt.

Papiſmi autem conflandi prȩcipuus adminiſter erat Papa Rom. adiutores verò habuit omnis generis hȩreticos, monachos, & ſacrificos. ab hæreticis prȩcipua ſuæ ſectȩ dogmata mutuatus eſt. hæc monachi variè interpolarunt, & nunc ferè ſoli defendunt. ſacrifici in eius verba iurantes, quicquid Pontifex Rom. decreuerit, laudant, & ſub pœna anathematis vt plurimum, obſeruandum denuntiant. Huius rei in conuenticulo Tridentino documentum videmus clariſſimum. Pontifex legatis ſuis mandata dedit; monachi, ea in legatorum ædibus digeſſerunt, pſeudoepiſcopi & abbates per verbum *placet* decreta confirmarunt. Quid, quod papa Rom. neque à Iudȩorum cæremoniis, aut gentilium moribus abhorruiſſe videtur? à Iudæis. n. miſſæ ornatũ, * agnũ paſchalẽ, & legales cæremonias; à gẽtilib. purgatoriũ, ambarualia, & plures ritus & dogmata tranſtulit. ex hȩreticorũ, monachorũ, Gentiliũ, & Iudȩorũ placitis pontificum Rom. Alchoranus, hoc eſt, Decretaliũ codex cõflatus eſt. vtrobiq; ergo ſummus eſt, quoad authores Papiſmi & Turciſmi conſenſus, & conuenientia, Ex diabolo hȩreſes & blaſphemiæ, cædes piorum, euerſiones eccleſiarum, & re-

* In fine miſſalis Rom.

& rerump. ex diabolo regnum Turcicum, & papatus ad perniciem generis humani enatus eſt. hęreſeôn, blaſphemiarum, & ſcelerũ tam ſectæ Turcicæ, quam papiſticę monachi, pręcipui extitere adminiſtri, & adiutores.

Cap. IV.

Pariter Mahometum & Papam Rom. iactare ſuam doctrinam à Deo prodiiſſe, & illud ita eſſe, miraculis pariter docere.

VEteres legiſlatores, vt legibus ſuis authoritatem conciliarent, eas ſe à Deo aliquo accepiſſe finxerunt. Lycurgus Apollinis, Minos Iouis. Numa nymphæ Ægeriæ nomen & authoritatem ſuis legibus prætendit. Hoc cum veterator Mahometus magnam vim apud populum habere ſentiret, finxit ſe ab Angelo Gabriele Alchoranum accepiſſe, οὗτος, inquit [1] Zigabenus, διεθρύλλησε γραφὴν οὐρανόθεν, ἐπ' αὐτὸν κατὰ μικρὸν μέρος καταπεμφθῆναι ἔχουσαν τοιαύτην θεολογίαν. *Credidit*, inquit [2] Vincentius, *mulier & omnes Arabes & Iſmaelitæ, quod ex ore archangeli Gabrielis ſuas ſuſciperet Mahometus leges.* & quamuis hoc longè aliter ſe haberet, Sergii tamen monachi teſtimonio inducti ita factũ eſſe crediderunt. arcana præterea cũ Deo colloquia ſe habuiſſe, & in cœlum ſublatum hæc didiciſſe myſteria narrabat Mahometus.

Quid autem pontifex Romanus? nonne ille ſimiliter ſuas leges Diuinas eſſe iactat? hoc

[1] In elench. Iſmaelit.
[2] Specul. hiſt. lib. 23. c. 39.

ſane diſerte [3] conuenticulum Tridentinum oſtendit: *Traditiones enim eccleſiæ tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam ore tenus à Chriſto vel ſpiritu ſancto dictatas, pari pietatis affectu cum libris veteris & noui teſtamẽti ſuſcipiẽdas, & venerãdas eſſe ſtatuit.* Has traditiones & Bellarminus, & reliqui eius generis homines verbum eſſe Dei docent. at leges pontificum Rom. & decretales nihil aliud ferè continent, quam traditiones: neque aliunde melius cognoſcitur, quæ ſint traditiones. neque ſane mirum eſt, ſi legibus ſuis tã quam Diuinis decretis obediendum doceant, cum [4] apud papiſtas *iudicium Papæ, iudicium Dei; & eius conſiſtorium, conſiſtorium Dei cenſeatur*; cum eius arbitrium *cæleſte* vocent *arbitrium*, & Papam & Chriſtum vnum habere conſiſtorium affirment. Bellarminus aſſerit [5] *pontificem Rom. cum ea quæ fidei ſunt docet, omnino errare non poſſe.* poteſtatem pontificis Rom. [6] Ioannes viceſimus ſecundus dicit *non ab homine, ſed à Deo acceptam eſſe.* Spiritus ſancti aſſiſtentiam pontifici Rom. omnes datam affirmant, & quanquam experientia, & decretalium ſtultitia, & peruerſitas, contrarium doceat: hoc tamen monachi credunt, & populo imperito perſuadent. hoc ſanè videmus, maiore periculo violari leges iſtas pontificis, quam Diuinas.

[3] Seſſ. 3.

[4] Turrecr. lib. 2. ſum. de eccleſ. c. 26.

[5] Lib. 4. de pontif. Rõ. c. 10.

[6] c. ſuper gentes, extr. com. de cõſuetudine.

Neque tantum leges ſuas & traditiones Diuinas eſſe iactant; ſed etiam omnem illam doctrinam, quam ſynagoga Rom. tenet, &

aliis

aliis tenendam proponit. Petrus Lombardus doctrinæ ſcholaſticæ pater, doctrinam ſuam *ex pedibus ipſius Dei hauſtam eſſe* [7] dicit. Pontifices Rom. vt ſummos iudices, eorum ſententias, tanquam oracula Dei vulgo papiſtæ venerantur. [8] Stapletonus, cuius calculo ſcriptum hoc Reginaldi & Giffordi probatũ eſt, Gregorium *ſupremum in terris numen* appellat, & coram eo proſtratus, vt vile Antichriſti mancipium cernuus adorat. Iebuſitæ Loyolam à Chriſto, alii ordines, à virgine Maria, & angelis ſe leges ſuas accepiſſe ſcribunt.

[7] In fine libr. 4. ſent.

[8] In epiſt. dedicat. ante princip. doctr.

Quid verbis opus eſt? cum Mahometiſmum & Papiſmum à Deo prodiiſſe non omnes crederent, ſignis & miraculis vtriuſque dogmatis authores fidem ſibi conciliare conati ſunt. Mahometus cum populus ſignum apoſtolatus ei[9] flagitaret, *Obſeruate*, [9] inquit, *eiaculationes aſtrorum, quando Satanas aſcendit ad audiendum ea quæ in cælo dicuntur.* idẽ columbam manſuefactam ad aurem ſuam aduolare docuit. Alcorano verò ſuo fidem magnam conciliauit, poſtquam taurus ab eo edoctus in mediam turbam eum cornibus ſuis alligatum intuliſſet. *Vt miſſioni eius*, inquit [1] Breidenbachius, *inſtar Moyſi prodigia quædam atteſtari viderentur, aſſignata die populum conuocauit*, eo die [2] oſtendit columbam ſibi ad aurem deuolantem, & taurum cum Alcorano ad manus ſuas accedentem. Lupos etiam, & boues loquutos eſſe finxit.

[9] Zigaben. in elench. Iſmaelit.

[1] In hiſtor. pereg. ſuæ.

[2] Vincent. ſpec. hiſt. libr. 23.

Pariter etiam Pontifices Rom. in miraculis magnum ſuæ cauſę pręſidium,& ornamentũ ponunt.hinc legendæ, quæ publicè legi ſolent,pleniſſimæ ſunt miraculorum.cũ res aliter explicari nõ poteſt,miraculum prętenditur. Odo Cantuarienſis,vt tranſubſtantiationem probaret,[3] oſtendit populo hoſtiam ſanguineã. doctrinam Thomæ Aquinatis de Sacramẽto Euchariſtiæ ſtatua loquens apꝑbaſſe dicitur. Eadẽ ratione cum Dunſtanus preſbyterorum coniugia diſſoluere nõ poſſet, ex crucifixo ligneo vocẽ elicuiſſe [4] dicitur. Purgatorium [5] probatur ex apparitionibus mortuorum. Eanſwida apud Capgrauium trabẽ nimis breuem orationib⁹ ſuis produxiſſe fertur. ſed hoc multos alios feciſſe narrat. [1] Dominicus & Franciſcus plura quam Chriſtus edidiſſe miracula dicũtur. *Franciſcus in monte ſacro Aluerniæ*, vt eſt in lib. Cõformit. p. 231. *corporaliter eleuatus eſt, vt frater Leo ſocius, eum vidit.* Idem author narrat aſinam coram hoſtia conſecrata genua flexiſſe, & reuerentiam feciſſe. Miraculis [2] Briſtous miſſę ſanctitatem cõfirmat. [3] Bellarminus per varias ętates oratione circumducta, pontificię ſynagogę doctrinam & dignitatem ex miraculis probare conatur. Sed eiuſdem ſunt generis miracula Turcica, & Papiſtica. nihil .n. aliud ſunt, quam ſigna mendacia & fabuloſa cõmenta, ad decipiendos imperitos conficta, ſecundũ illud Apoſtoli, 2. Theſſ. 2. vbi dicit: *Antichriſti aduentum futurum in ſignis mendacibus.*

3 Mameſbur.

4 Io. Capgr. invit. Dunſt.
5 Dionyſ. Chart. in 3. ſent. diſt. 22. q. 6.
1 Antonin. hiſt. part. 3. & cõformit. Franciſci.

2 Motiua Briſt.
3 Lib. de not. eccleſ.

bus. Ioannes etiam [4] dicit beſtiam, quæ figu-ra erat Antichriſti *facturam ſigna.* [4] Apoc.13.& 16.

Cap. V.

De doctrina Turcicæ, & Papiſticæ ſimilitudine.

VT leges hominibus ſceleratis, ſic Scripturæ hæreticis & infidelibus ſuſpectæ & inuiſæ eſſe ſolent. non mirum ergo, ſi Turcæ & Papiſtæ à Scripturis refugiant. nam qui malè faciunt, oderunt lucem & [5] Scripturæ ſunt inſtar lucernæ ad furtiuas hæreticorum latebras detegendas. iſti nouũ opus inſtituerunt; & propterea non eſt mirum, ſi [6] fundamentum propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum relinquentes, nouam materiam ad ſuum ædificium extruendum conquiſiuerunt. Mahometus Alcharonum *ex traditionibus Hebræorum, Neſtorianorum & Arrianorũ magna ex parte cõfecit*, vt inquit [7] Zigabenus. *Exquiſitiſſimè*, [8] inquit Nauclerus, *de lege Hebræorum, quam magna ex parte Arabes ea tempeſtate ſectabantur, Chriſtianorumq́; traditionibus diſputabat, vt vnã eandemque eſſe vtramq́; doceret.* ex iſtis traditionibus totus ille liber, quẽ nunc deſertis, aut prę illis ſaltem contemptis Scripturis venerantur, conflatus eſt. ibi enim omnia illa Turcarum myſteria, & ceremoniæ, quæ nullum habent in Scripturis fundamentum continentur.

[5] Theophilact. Luc. 16.

[6] Epheſ. 2.

[7] In elench. Iſmaelit.

[8] Generat. 22.

Papiſtæ etiam eodem exemplo cum Scri-

pturas ad regnum ſuum fundandum nõ ſufficere vidiſſent, nouum ſuum Alchoranum ex variis põtificum decretalibus conſarcinarunt, vbi vniuerſa ferè traditionum ſynagogę Rom. moles continetur; ſub cuius onere fideles multos iã annos laborarunt. has traditiones pari affectu cũ verbo Dei ſcripto [1] recipiũt. Bellarminus *traditiones aquè, ac ſcripturas eſſe verbũ Dei contendit*: atq; in ea ſentẽtia alii Papiſtæ permanent. *Doctrina Apoſtolorũ* inquit [2] Hoſius, *nõ ſcripto tãtũ, verũ & traditione cõſtat*. Ex traditione iſti & miſſam, & officium Rom. & purgatorium, & preces pro mortuis, & tranſubſtantiationem, & adorationem Euchariſtiæ, & vnctiones, & conſecrationes, & ceremonia, & vniuerſum denique papiſmum defendunt. Traditionum nomine [3] Martinus Pereſius omnes controuerſias, ſeu dogmata potius controuerſa inter nos & papiſtas comprehendit. neque leuiter traditiones iſtas cõtẽnendas cenſent. omnes .n. ſanctiones ſedis Apoſtolicæ ſic accipiẽdas decernũt, tanquã diuina Petri voce firmatas.

[1] Seſſ. 3. cõcil. Tridẽt.

[2] Confeſſ. Petrik. c. 27

[3] De traditionib.

Scripturas tamen non ita contemnunt, quin multis ex veteri & nouo Teſtamento teſtimoniis vtantur. *Alchoranum ſuum Mahometus*, inquit [4] Breidenbachius, *vtriuſque teſtamenti coloratum authoritatibus compoſuit*. eo nomine Sergii illius impii monachi, & quorundam Hebræorum & hæreticorum opera abuſus eſt. *A monacho Sergio*, inquit [5] Vincentius, *aliqua de veteri & nouo teſtamento*

[4] In hiſt. pereg. ſuæ.

[5] Lib. 23. ſpec. hiſt. c. 31.

mento edoctus, ipſa in Alcorano ſuo *fabuloſe, ac mendoſe intexuit*. Turcę deniquevidentur Scripturas plurimi facere, licèt reipſa ne pili quidem æſtiment, vbi contra doctrinam Mahometi faciunt. Ita etiam pontifices Rom. veteris nunc & noui teſtamenti verba inculcant, ſed ea in alienũ ſensũ ineptiſſimè detorquent. *Verba Christi*, inquit [6] Æneas Syluius, *non prout Spiritus ſancti ſenſus expoſcit, ſed ſuopte ingenio interpretantur*. quod infinitis exemplis oſtendi poteſt. nos tamen pauca tantum, vt horum guſteris acumẽ, proferemus. Per luminare maius, Geneſ. 1. Innocentius [7] intelligit *Pontificis poteſtatem*: per luminare minus, *imperium*. Quia dictum eſt, *Ecce duo gladii hic*; idcircò concludit acutiſſimè [8] Bonifacius, vtrumque gladium ad pontificem pertinere. *Stabiliam thronum regni eiusvſque in ſempiternum*, 2. Reg. 7. hoc eſt, illis [9] interpretibus, *faciã, vt ſemper duret regnũ põtificis*. *Per fidelem ſeruum*, Luc. 22. [1] intelligunt papã, & eum volunt eſſe conſtitutum ſuper omnẽ familiam. *Quis appendit tribus digitis molem terrã*, Iſai. 40. Hinc colligit [2] Hoſius, *Signũ crucis tribus digitis faciendum eſſe*. *Sedes poſita eſt*, Apoc. 4. hoc eſt, inquit [3] Turrecremata, ſedes Apoſtolica: *In cælo*, id eſt, in eccleſia militante. *& ſupra ſedem ſedens*, id eſt, pontifex Rom. *& in circuitu eius ſedilia* 24. *& ſuper thronos* 24. *ſeniores*, id eſt, Cardinales. Verba hæc, *Ad hoc nos vnxit Deus oleo lætitiæ*, [4] Innocentius 3. ad ſe trahit. Bellarminus verba

[6] De geſt. concil. Baſil.

[7] cap. ſolitę, de iudiciis.

[8] c. vnam ſanctam. extr. de ma. & obed.

[9] Turrecr. ſummæ lib. 1. c. 90.

[1] Idem lib. 2. c. 80.

[2] Confeſſ. Petrik. c. 10.

[3] Lib. 1. ſummæ c. 8.

[4] Decret. lib. 1.

prophetæ de Chriſto enunciata, nõ eſt veritus ad pontificem rapere, & eum *lapidē angularē, & lapidem pretioſum in fundamento fundatū* [5] appellare. Neq; nunc aliquod ferè tam abſurdum dogma excogitari poteſt, quô non pontifices Rom. Scripturas detorquent. [6] Bonauētura verba reuelationis de Angelo ſignū Dei habēte, de ſuo Frãciſco interpretatur.

Doctrinã prӕterea ſuã & Mahometus, & Papa Rom. variis fabulis, velut ſtellis & noui generis ornamētis diſtinxit. Οὗτος ὁ Μωάμεθ, inquit [7] Zigabenus, καί τι ἀμαθὴς ὢν καὶ ἄγροικος, τέρατα, καὶ δεινὰ, καὶ ἐκ παντοίων συγγράψας μυθολεσχία. hoc etiã [8] Vincētius teſtatur. *In Alchorano*, inquit Vincēti[9], *intexuit fabulas de Formica, de ape & de aranea*. Idem [9] dicit *eū philoſophicis, & Diuinis authoritatibus deſtitutū, multa de lupis, & ouibus loquentibus, itē de arboribus & bobus fabuloſa ſcripſiſſe*. habēt etiã Turcę de *Mahometo, & Ali, & Homaro, & Sedichaſi*, & aliis ſanctis ſuis prolixas legendas. Papiſtę verò non tantū centū & tredecim, ſed innumeras habent de ſuis ſanctis, de miſſis, & purgatorio, & huiuſmodi reb[9] ſuis fabulas. In q̃relis ſuis Germani [1] aſſerũt, *legēdas gētiliū fabulis ſimiles eſſe. Noſtri fabulatores*, inquit [2] Valla, *paſſim inducunt idola loquetia*. Mira ſunt deliramenta quę de Georgio, Chriſtophoro, Katharina, & aliis ſãctis, etiã publicè in tēplis papiſtarū leguntur. *Dantes* [3] dicit vbiq; ſonare è pulpitis fabulas, & populum vento paſci. Singulæ gentes ſuas habent peculiares legendas. Multa narrãt Hiſpani

[5] In præfat. in lib. de pontif.
[6] In vita Franciſci.
[7] In elench. Iſmaelit.
[8] Spect. hiſt. lib. 23. c. 51.
[9] Ibid. c. 46.
[1] Grauam. Ger. Num. 21.
[2] Contr. donat. Cõſtant.
[3] Cant. 29.

ſpani de ſuis Iacobis, & Vincẽtio, & Hermengildo. Ioannes Capgraue legendas ſcripſit de ſanctis Britannicis fabuloſiſſimas. Narrat [4] ille *Sanctum Aidum octo lupis eſurientibus octo bidentes dediſſe: miſerebat enim eum luporũ famelicorum*. ſed vide quid poſtea cõtigerit. eoſdem bidẽtes iam deuoratos à lupis, oratione ſua integros ex ventribus luporum recepit. Sancti Bernaci vaccam idem [5] narrat, *Poſtquã fures eam occidiſſent, & in fruſta ſecuiſſent, & in lebetem impoſuiſſent, mugitũ ad vocem eius auditam è lebete edidiſſe*. Bedæ etiã lapides reſpõdiſſe, & Amen dixiſſe [6] aiunt. Sed quid nos quaſdã fabulas narremus, cũ tota legẽda nihil ferè aliud cõtineat, quã fabulas. De Franciſco & Dominico fratres otioſi volumina integra fabularũ ridicularum ſcripſere. Franciſcũ in cœlis ſtigmata circũferre [7] dicunt: iidẽ tamẽ corpus eius ſtigmaticum oſtendunt in terris. Stigmata hęc etiã pontificũ Rom. confirmãtur decretis. vt Dominicanos virgini Mariæ curæ eſſe doceant, [8] narrant eos in cœlis ſub chlamyde virginis cuſtodiri. Multas pręterea narrant Franciſci & Dominici cum diabolo pugnas. Ioannes [9] Capgraue dicit diabolum à Dunſtano miſerè vapulaſſe, & ſanctũ illũ virũ virgã in tergo diaboli fregiſſe. Iſtis fabulis & Turcę, & papiſtę populũ in errorẽ induxerũt.

Præter fabulas ad riſum excitãdũ cõfictas, multa abſurdiſſima & portẽtoſa etiã mẽdacia adhibere ſolẽt. *Veris quibuſdã*, inqt [1] Breidẽbachius, *Mahometus falſa multa & omnino ab-*

[4] In S. Aido.

[5] In vita Bernaci.

[6] In vita Bedæ.

[7] lib. Conform.

[8] Antonin. hiſt. part. 3. tit. 23.

[9] In Dunſtano.

[1] De peregrin. ſua.

ſurda commiſcuit. [2] Vincentius dicit *eum per multa mendacia delirantem totam pene ſcripturæ veritatem ſubuertiſſe.* Lupum enim & bouem loquutum eſſe in Alchorano ſuo narrat. Idem dicit, arborem ex iuſſu ſuo, coma inclinata, ſe adoraſſe. Huc referēda ſunt ipſius de Alborach beſtia ſua, & aſcenſione ſua ad cœlos, & huiuſmodi deliramentis portentoſiſſima mendacia. *Audacter*, inquit [3] Breidēbachius, *populis mentiebatur.* hunc etiam Papa Rom. imitatus, & hiſtoriam eccleſiæ, & acta publica abſurdiſſimis mēdaciis corrupit. Cuius rei fidem faciunt portentoſa legēdarū fabulamenta: nā & beſtias, & ſtatuas loquutas, & mortuos ambulaſſe, & ſanctos per ignes & aquas illęſos tranſiiſſe, & multa huiuſmodi deliramenta narrant. Præterea omnia ſua dogmata huiuſmodi mendaciis papiſtæ confirmant. mendaciis de donatione Conſtantini ius ſuum defendunt. iſtis narrationibus & ſuis ſanctitatis famam, & aduerſariis odium conciliant, *Aſſerentes Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti*, vt inquit [4] Cyprianus. nunc omnes hiſtorias corrumpunt. Aduerſus eos ergo Laurentius Valla liberè loquutus eſt. *ô miram* [5] inquit *hominum dementiam, qui his anilibus deliramentis fidem habent!* idem cum nonnulli reſponderent, recte fieri, vt huiuſmodi terriculamentis imperiti in officio cōtinerentur: *nō deſiderat* inquit, *ſynceritas Chriſtiana patrocinium falſitatis.*

De Chriſtianis Mahometus varias [6] ſparſit ca-

[2] Specul. hiſt. lib. 23. c. 45.

[3] De peregr. ſua.

[4] De ſimplicit. prælat.

[5] Contra donat. Cōſtant.

[6] Zigaben. & Vincent. lib. 23.

ſit calumnias, *quaſi nec rectam fidem tenerent, nec leges Dei ſeruarent*, cum tamen ipſe & eius ſectatores vniuerſam fidem euertiſſent, & omnium mortalium eſſent impuriſſimi. eo nomine ille Chriſtianos perſequutus eſt, & æterno exitio dignos pronuntiauit. nonne autem Papæ Rom. ſimiliter faciunt? nam vt calumnias eorum omittam contra imperatores, quos armis oppugnabant, nullus vnquam eis aduerſatus eſt, quem non odioſiſſimis calumniis in odium populi trahere conati ſunt. Waldenſes velut hæreticos, impios, & hypocritas calumniabantur. Ioanni Wiclepho impoſuêre paradoxa, quæ ipſi nunquam in mẽtem venêre. Huſſus grauiſſimam ſibi hoc nomine factam iniuriam queritur. *Patrocinium Lutheranorum* Adrianus ſextus [7] dixit *eſſe merum latrocinium, eos enim leges & magiſtratus contemnere, & omnia perturbare*. Papiſtę Tigurinos [8] accuſabant, quod docerent Mariam virginem plures habere filios & Iacobum pro ſe mortuum eſſe. iidem grauiſſima quæq; crimina nobis imponunt, nihil aliud ſpectantes, quam vt grauiter nos accuſent. Rectè ergo de eis Platina in Rom. 1. *Hi ſunt*, inquit, *qui fraude, malitia, dolo, maledicentia de humano genere bene meritos mordent, lacerant accuſant, corrodunt, tanquam ignaui canes & inutiles, nec feris ſeſe obiicientes ob timiditatem, ſed vinctas & caueis incluſas mordentes*. atq; hunc calũniandi morẽ & ſcriptis, & cõcionibus & ſermonibus perſequuntur.

7 In epiſt. Adriani 6. apud orth. grat.
8 Sleid. lib. 4.

Fallaciis & imposturis populũ ad ſectã ſuã allexit Mahometus. Nam cum columbam ad aurem eius deuolaſſe, & taurum ad eum acceſſiſſe, & ſecum Alchoranum attuliſſe vidiſſet; non dubitabat populus hæc diuinitus contigiſſe. at hæc impoſtor ille artificio conſequutus eſt. Præterea effoſſis vaſis quibuſdam argenteis lacte & melle plenis, quæ ille vafrè antea in terra defoderat, omnium rerum abundãtiam legis ſuę cultoribus portendi [1] perſuaſit. Huiuſmodi etiam impoſturis Papa Rom. magnam ſuæ ſectæ authoritatem apud populum acquiſiuit, ex ſtrepitu in templis & ædium penetralibus excitato, quẽ ab animabus mortuorũ fieri papiſtæ dixerũt, & miſſas cariores fecerunt, & purgatorium probarunt. ex motu, fletu, ſignificatione & loquutione imaginum, earum cultũ introduxerunt, ex reliquiis ſanctorum commentiis magnum quæſtum fecerunt. huiuſmodi impoſturę infinitę euerſis in Anglia idolis [2] deprehenſæ ſunt.

[1] Breidenbach. de peregr. ſua c. 3.

[2] Holinſh. in Henr. 8.

Reuelationibus etiam doctrinam ſuam, & Turcæ & papiſtæ confirmari iactant. Mahometus ſe in paradiſum raptum dixit, & ibi mirabilia vidiſſe. idem occulte famam diſſeminauit, quaſi cum Gabriele archangelo colloquutus, legem ſuam ab eo didiciſſet. ex ſomnio etiam Innocentii papæ, Dominici ordo receptus & velut columẽ ſynagogę pũtificię probatus eſt. *Dominicus* vt inquit [3] Antonin⁹, *multas habuit viſiones*. ex reuelatione

[3] Antonin. part. 3.

præ-

pręterea Franciſci [4] probata ſunt ſtigmata. ex reuelationibus iſti [5] purgatoriũ, & miſſæ valorẽ, & ſanctorũ interceſſionẽ, & multa ſua dogmata confirmãt. Monachus quidam de [6] Euesham ſomnians ea vidit, vnde crucis adoratio, cõfeſſionis negatę pœna, & miſſę efficacia probatur. Ex ſomnio Egwini imago virginis Marię publicè [7] propoſita eſt, quam omnes adorarent apud Euesham. atq; ita vt inquit Leonardus [8] Aretinus, *Ficta pro factis, inuiſa pro viſis*, turpiſſima impudentia aſſeuerare non dubitant.

[4] Lib. conform. [5] In vita Adriani, Io. Capgr. [6] Matth. Paris in Rich. 3. [7] Malmesbur. [8] Lib de hypocritis.

Cum ergo partim ex traditionibus nõ ſcriptis, partim ex ſcripturis impudẽter detortis, partim ex fabulis & mẽdaciis, partim deniq; ex ſcriptis adulterinis & apocryphis Turcæ & Papiſtę religiones ſuas factitias cõflarint; quis nõ pariter ab vtriſq; abhorreat? cũ nõ alia ratione, quã calũniis, impoſturis, & cõfictis reuelationibus dogmata ſuę religionis vtrique cõfirmare ſoleãt? quis nõ huiuſmodi religionum authores & ſectatores ſuſpectos habeat?

CAP. VI.

De Alchorani Turcarum & Papiſtarum ſumma ſimilitudine & conuenientia.

QVoniam ſcripturas propheticas & Apoſtolicas multi aut prorſus cõtempſerunt, aut ſaltem ignorarunt; idcirco pſeudoprophetarũ, & eorũ qui ſe falſo dicunt apoſtolorũ ſucceſſores, ſcriptis falſiſſimis & ineptiſſimis Deus ipſos in errorẽ abduci paſſus eſt. *Eo quòd charitatẽ veritatis nõ receperũt; ideo*, inqt

[1] 2. Theſſ. 2.

[1] Apoſtolus, *mittet illis Deus operationẽ erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati.* atque hæc factis Turcarum & Papiſtarum clarè illuſtrantur. Mahometus vt à ſcripturis homines abduceret, quas alioqui ſe plurimi facere ſimulauit, nouam legem promulgauit, & eius ſumma capita in librum illum, quem Alchoranum vocant, redegit. Similiter etiã pontifex Rom. omnes ſuas & maiorum ſuorum epiſtolas decretales variè antea diſperſas in certos libros contraxit, vt eſſent illi papiſtis pro Alchorano, ſeu lege papali. Hîc enim cœleſtia illa, vt vocant pontificum arbitria & decreta, & vniuerſa ferè eorum doctrina, & mandatorum ſumma capita comprehenduntur: hîc legum & traditionum ſynagogæ Rom. medulla cõtinetur.

Adeò ſane libri iſti ſimiles ſunt, vt nihil ſupra. Primum character & forma dictionis eadem eſt vtriſque. Alchoranus Turcarum cõtempto & humili, & parum connexo dicendi charactere conſcriptus eſt. *Nemo* inquit [2] Vincentius, *tam turpiter aliquid Arabicè ſcripſit. Tota illa ſcriptura*, inquit [3] Breidenbachius, *adeò commixta eſt, & confuſa, vt quicquid ibi eſt, totum ſine continuatione, ſine compoſitione abſque omni verborum & ſententiarum ordine, vel colore, poſtremo abſque ſenſu & ratione poſitum videatur*. Similis etiam eſt decretalium epiſtolarum contextus & ſtilus. verba barbariem olent Gothicam; ſententia men-

[2] Specul. hiſt. lib. 23. c. 55.

[3] In hiſt. ſuæ peregr.

mentem authorum pietate vacuā fuiſſe clamat. orationis genus eſt inconditæ, exanguis, hiulcæ, aſperæ, confragoſæ, confuſæ. ſic ego olim Getas & Scythas ſcripſiſſe credo. Neque hæc tantum noſtra ſententia eſt. *Plerisq; perſuaſum eſt,* inquit [4] Duarenus, *ius pontificium nihil aliud eſſe, quàm inconditam quandam decretorum, & conſtitutionum farraginem, à ſemidoctis pontificibus, ad quæſtum magis, quā reip. Christianæ commodum editarum.*

[4] In præfat. lib. de benef. & miniſt. eccleſ.

Alcoranus legem continet Mahometi, ſecūdum quam prouinciarum prætores, quos Turcæ *Baſſas* & *Beghos* dicunt: & prætores Vrbani, quos [1] Caldileſqueros vocant, ius dicunt. Similiter decretalium codex leges continet papales, ſecundum quas Cardinales & alii legatione fungentes & nuntii papales, itemque auditores, officiales, inquiſitores, & alii iudices Synagogæ Rom. ſententiam pronuntiant.

[1] Anton. Menauin. de relig. Turc.

[2] Alchoranus præcipuè in honorem Mahometi compoſitus eſt. ſtatim enim poſt mādatum de vno Deo colendo, honores Mahometi velut vltimi Prophetæ decantantur. Ita etiam decretales vbique pontificum Rom. inculcant laudes & honores. Nicolaus Papa, exemplo Conſtantini, docet pontifici Rom. ſummam deberi venerationem, *ipſum* [3] *enim Deum à Conſtantino dictum.* poſt Chriſtum ei primas deferunt. *Eccleſia,* [4] inquit Bonifacius, *vnius & vnica vnum corpus, vnum caput, non duo capita, quaſi monſtrum, Chriſtus vi-*

[2] Ibidem.

[3] c. ſatis. diſt. 96.

[4] c. vnam ſanctam, extr. de maior. & obed.

delicet & Christi vicarius Petrus, *Petrique ſucceſſor*. magnifice idem pontificum Rom. honores prædicat. Innocētius, vt dictum eſt, ſolis ſplendori pontificis dignitatem comparauit. Sed quid nos pauca proferamus exempla, cum vbiq; ſe ſuamq; poteſtatem iactent? ſe illi ſummos eſſe eccleſiæ Rectores, & Epiſcopos vniuerſales, & iudices controuerſiarū, & Christi vicarios prędicant, ſe denique ſententiam & mentem Dei, velut prophetas ab ipſo miſſos, tenere gloriantur.

Alchoranus Turcicus leges cōtinet à priſca Arabum diſciplina diuerſas. Mahometus enim ſe prophetam Dei dixit, miſſum ad mores reformādos, & diſciplinam collapſam inſtaurandam. vnde ſumma conſequuta eſt orbis magnę parti calamitas. Similiter decretalium codex nouam continet diſciplinam morum, à priſca eccleſiæ conſuetudine multum diſcrepantem: vnde maxima profecta eſt totius diſciplinæ Christianæ perturbatio.

[5] In præfat. in lib. de ſacr. miniſt. & benefic.

In decretalium volumine, inquit [5] Duarenus, *intueri licet, quæ à priſca illa diſciplina, quam decretorum liber à Gratiano editus continet, multum degenerent*. ſi ergo Gratianus à veſtigiis apoſtolicæ eccleſiæ longè diſceſſit, quātū poſteriores decretales à moribus priſcis diſceſſiſſe putabimus? inde dicit [6] Duarenus, *male cum rebus humanis actum eſſe, ex quo decretis ala acceſſerunt*: hoc eſt, ex quo decretales authoritatem obtinuerūt. hanc etiā nouationē diſciplinæ notauit [7] Machiauellus.

[6] Ibidem.

[7] Florent. hiſt. lib. 1.

Alcho

Alchoranus, vt dictum eſt, ex traditionibus non ſcriptis, & Scripturis male intellectis & detortis conſarcinatus eſt. Similiter pontificis Rom. Alchoranus continet apoſtolorũ, vt aiunt, traditiones; & ibi ex Scripturis multa colliguntur, ſed ita inepte & peruerſe, vt verè affirmare liceat, nuſquam ſcripturas torqueri & deprauari audacius. Exemplo ſit Nicolai ad Michaelem epiſtola, caput, *ſolita.* de maior. & obed. & caput *vnam ſanctam*, extr. com. de maior. & obed. vbi impudenter ex pluribus ſcripturæ locis male intellectis, & in alienum ſenſum detortis, ſummam poteſtatem penes pontifices Rom. eſſe diffiniunt.

De Alchorano, aut aliquo eius libri capite non licet cuiquam diſputare: [1] pœnaque capitis ei irrogatur, qui Mahometi conſtitutiones in dubiũ vocat. Similiter non licet contra decretales pontificum Rom. impune opinari. [2] *omnes enim aliter ſentientes & docentes de ſacramentis eccleſiæ, quam prædicat & tenet Romana eccleſia*, ſiue pontifices Rom. eius capita, ſupplicio capitis afficiendos eſſe decernunt.

[1] Cuſpin. de relig. Turc.

[2] c. ad abolendam. de hæreticis.

Ex Alchorano Turcico pẽdet religio Turcarum, & imperii ius. Mahometus eum *Curaam* [3] vocauit, quaſi dicas *principium & finem legis Turcicæ*, atque idcirco omnes religionis eius Antiſtites ſecundum eius libri leges eligebantur, & ius dicebant. Similiter papiſmi fæx, & ſectæ pontificiæ fides,

[3] Menauin. de relig. Turc. in præfat.

ſupra decretales pontificum Rom. fundata eſt. inde etiam pendet pontificum Rom. electio & ſucceſſio, & ſecundum earum preſcriptum ſacrifici vnguntur, beneficia conferuntur, totaque reſpub. pontificia adminiſtratur.

Mahometi Alchoranum ſtatim poſt eius mortem non ſolum à Chriſtianis, verum etiam à Iudæis oppugnatum & variè laceratum fuiſſe dicit [4] Vincentius. nunc etiam poſtquã vel emortua eſt, vel ſaltem frigere cœpit põtificum Rom. authoritas, decretalium inſulſitas & peruerſitas à pluribus reprehenſa eſt. [5] Cynus Piſtorienſis olim diſputauit, *totum illum pontificiarum conſtitutionum librum erroribus ſcatere.* [6] Budæus eas non tam iuſtitiæ adminiſtrandæ, quam argenti quærendi gratia compoſitas & editas dicit. nunc vbique ferè conſtitutiones illæ, tanquam legibus diuinis & rationi repugnantes antiquatæ ſunt. Sextus liber decretalium à Bonifacio octauo editus, in Gallia nunquam receptus eſt; à nõnullis velut eccleſiæ Gallicæ aduerſarius exagitari meruit.

[4] Specul. hiſtor. lib. 23. cap. 52.

[5] Apud Duaren. de benefic. in præfat.

[6] De aſſe.

Poſtremò nec Alchoranus, nec pontificiarum epiſtolarum codex cum lege Dei conſiſtere poteſt. quæ enim luci cum tenebris, humanis inuentionibus cum lege Dei ſocietas eſſe poteſt? quoties ergo de negotio religionis cõtrouerſia inſtituitur, humanis iſtis cõſtitutionibus & Alchoranis abiectis, ad aſylum nos ſcripturarum recipiamus. nec ex

Maho-

Mahometi, nec pontificis decretis religio Christiana ſtatui poteſt. *Auferantur*, inquã, [7] *de medio chartæ tales, procedat in medium codex Dei.* amoueantur denique pſeudo-prophetarum falſa dogmata, impię blaſphemiæ, & meræ nugæ; & in hac cauſa Christi ſolius verbum audiamus.

7 Auguſtinus in Pſal. 57.

Cap. VII.

De regni Papiſtici & Turcici pari propagatione, & administratione.

REgnum Christi pacificum fore accepimus. *Habitabit*, inquit [1] Propheta, *lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. vitulus, & leo, & ouis ſimul morabũtur, & puer paruulus ducet eos.* Præterea, Christus rex eſt pacis. idemq; non armorum terrore, ſed euangelii prædicatione regnum ſuum propagare ſolet. At longe alia ratione Turca, & pontifex Rom. regna ſua auxerunt. [2] Mahometus *ſe cũ gladio veniſſe* dicit: aduerſarioſque ſuos Turcæ non pœnitentiæ prædicatione, ſed armorum violentia ſubigunt. Similiter pontifex Rom. omnes à ſe vel leuiter diſſentientes cremandos, & mactandos eſſe pronuntiat. hæc ergo duo regna, vt Christi regno ſunt diſſimilima, ita inter ſe ſimilia ſunt.

1 Iſai. 11.

2 Zigaben. Saracenic.

Vno atque eodem tempore ſe mundo oſtendere cœperunt, vt iam dictum eſt. ſimiliter ex obſcuris initiis vtrumque regnum ad ſummam amplitudinem peruenit. Ac regno

quidem Turcico principium dedit pſeudo propheta Arabum Mahometus ex obſcura gente Iſmaelitarum oriundus. regni pontificii fundamenta poſuêre homines obſcuriſſimi. gladium ſpiritualem ſupra omnes eccleſias primus occupauit Bonifacius tertius. gladium materialem Gregorius 7. primum cum ſpirituali coniunxit; quorum tamen cõditio abiecta erat & cõtempta. à pontificibus Rom. qui ſe ſeruos ſeruorum ſcribunt, regnũ hoc obſcuris incrementis amplificatum eſt. atque hoc diu antè prædixit Spiritus ſanctus. Beſtiam enim, quæ huius regni figura erat, [3] Ioannes *è terra exorituram*, & agno ſimilem futuram prophetauit. quis autem in agni ſpecie, & humilitate regios ſpiritus latêre ſuſpicaretur?

[3] Ioan. apocal. cap. 13.

Mahometus ſub nouę legis nomine, maximi regni fundamentum poſuit: ſimiliter & pontifex Rom. dum ore iactat Petri ſucceſſionem, factis ſe Cæſaris hæredem & ſucceſſorẽ oſtendit. vterque longè alia ratione, quam Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum imperatores, regnum ſibi comparauit. Veteres enim imperatores, dum vel oppreſſis auxilium ferrent, vel de finibus cum vicinis certarent, latè fines ſuos propagarunt: de religione aut fide parum, aut nihil ſane laborarunt. at Pontifex Rom. & Turcarum imperatores religionis nomine ſe pugnare præ ſe ferunt: licèt religione euerſa, regnum ſolum quæſiuiſſe videantur.

Quos

Quos autem aliter ad ſectam ſuam trahere nequeunt, eos & Turcę & Papiſtæ armis perſequuntur. Mahometus de Chriſtianis verba faciens: *occidite ipſos,* [1] inquit, *vbicunque in ipſos incideritis.* copioſam etiam eis mercedẽ promittit *qui Chriſtianorum ſanguinem funderent.* cum autem hanc ipſius doctrinam mirarentur diſcipuli; dixit ſe *non cum ſpiritu, ſed cum gladio veniſſe, & propterea occidendos eſſe, qui hanc ſuam lege admittere nollent.* Hinc tot gentium interitus, & ciuitatum euerſiones, & bella nefaria, dum ſectam illam impiiſſimam ipſius ſucceſſores armorum potentiâ propagare conati ſunt. Similiter pontifices Rom. ferro & igne aduerſarios ſuos perſequuntur. aduerſus hæreticos leges complures edidêre, quę propter inſignem crudelitatem ſanguine exaratæ videtur. omnes enim hæreticos eſſe [2] pronuntiât; *qui contra eccleſia Rom. traditionẽ ſentiunt aut docent;* eoſque ſine ætatis, aut ſexus: aut conditionis diſcrimine, ferro tollendos eſſe decernunt. hinc bella olim aduerſus Albigenſes & Bohemos originem habuerunt. noſtris verò temporibus, vna pontificum Rom. rabies aduerſus viros pios, cauſa eſt omnium ferè bellorum, quibus Chriſtianus orbis iã multos annos conflagrauit. dum noſtri in Germania fratres aut legitimum concilium, aut ſub æquis iudicibus diſceptationem Scholaſticam & colloquium flagitabant; Paulus tertius, Carolo quinto duce, arma expedire &

[1] Zigaben. in elench. Iſmaelit.

[2] c. ad abolendam, de hæreticis.

bellum eis inferre cœpit. idem plures milites aduerſus Germanos miſit, quam vllo in bello contra Turcas. non enim conuerſionem, ſed euerſionem Germaniæ quæſiuiſſe videtur. Superioribus his annis eius ſucceſſores, Turca omiſſo, aduerſus pios Chriſtianos bella geſſerunt. Authore Pio quinto, & Gregorio decimo tertio, grauiſſimi in Gallia tumultus excitati ſunt. Pius quintus militibus ſuis in auxilium regis Galliæ, aduerſus noſtros profecturis in mandatis dedit, vt quoſcunq; noſtrûm poſſent, interficerent, quod ille à Mahometo potiùs, quam Chriſto didicit.

Pontificis Rom. hortatu Hiſpani multos iam annos aduerſus Belgas bella gerunt. eiuſdem conſiliis aduerſus nos Philippus Hiſpanię rex multas iã expeditiones ſuſcepit. quod ſane nihil aliud eſt, niſi vt pontificem Rom. non ſpiritu, ſed gladio accinctum veniſſe intelligamus. magna itaque ſęuitia & Turcæ, & papiſtæ leges ſuas impiiſſimas defendunt. Neque obſtat quod Papiſtæ reſpondent, ſe nullos ad fidem armis adigere. nam ſimiliter Mahometus dixit, fidem nõ eſſe cogendam. non *adigetis*, [3] inquit, *ipſos ad fidem*. ſed facta dictis non reſpondent. nam ob hanc vnam cauſam bella gerunt, mactant innocentes, ferro & incendiis in populum miſerum graſſantur.

[3] Zigabenus in elench. Iſmaelit.

Præter armorum potentiam adhibent etiam & Turcæ & papiſtæ inſignes fraudes. fidem rarò ſeruant, pacta pro commodo ſuo vio-

violant: periuriis imperitos in fraudem inducunt: hoc vnum denique ſpectant, vt vel aperta vi, vel inſidiis vincant.

Poſtremò, vt leges non diſſimiles habent, quibus regnum ſuum adminiſtrant; ſic ſimiles etiam habent magiſtratus. Apud Turcas & Papiſtas vnus eſt, qui ſummæ religioni præeſt, apud illos is Mofti, apud iſtos Papa dicitur. Vt Turcæ ſuos habent Baſſas; ſic pōtifex ſuos habet cardinales, qui vel vnâ conſultant, vel in alias prouincias legati proficiſcuntur. Vt Turca ſuos habet Ianizaros; ſic pontifex Heluetios. Vt magiſtratus Turcici religionem defendunt Mahometicam; ſic pontificii antiſtites in hoc incumbunt, vt ſarta tecta conſeruetur religio pontificia. Quid ergo ſupereſt, niſi cum vtrumque regnum aduerſus orthodoxos inſtitutum ſit, vt Deū precemur, vt afflictæ eccleſiæ cauſam agens, vtrumque funditus euertat?

CAP. VIII.

De Papa & Mahometi, quoad fidem & mores, ſimilitudine.

EX fure furem, ex lupo lupū, vt eſt in prouerbio, cognoſcimus. Cur non ergo ex Mahumeto pontificem, & ex pontifice Mahometum, inter quos tanta eſt ſimilitudo, odiſſe diſcamus? primò, vterque ſe claues paradiſi habere iactat. τὰς κλεῖς τοῦ παραδείσου ἑαυτὸν λέγει λαβεῖν, inquit Zigabenus de Mahometo. Conſequenter profitetur ſe, excluſis aliis, ſuos in paradiſum introducturum. Quid au-

tem pontifex Rom. nonne ſibi datas claues regni cœlorum iactat? negari certè nō poteſt. ſe enim *æternæ vitæ clauigerum*; ſe Petri eſſe ſucceſſorem, cui claues datæ ſunt, dicit. & ſanè hac ſua claue ianuam ad multas calamitates aperuit.

Mahometus, licèt planè impius & ἄθεος eſſet; ſe tamen Dei eſſe prophetam dixit, & magnam prę ſe tulit ſanctitatem. ſic etiam pontifices Rom. licèt de Chriſti religione minimè omnium laborent, & nonnulli eorũ nec Deum eſſe credant, nec Chriſti euangeliũ [1] curent, nec de cœlis aut inferis aliquid ſuſpicentur: ſe tamen Chriſti vicarios, & ſummos eccleſiæ & religionis antiſtites, & patres ſanctiſſimos, & doctores irrefragabiles haberi & dici volunt. Soldanus ad Innocẽtium quartũ [2] ſcribens, *De Chriſto* inquit, *plus ſcimus quã vos ſcitis, & magnificamus eum plus quam vos magnificatis*. nouerat fortaſſe ille Innocentium de Chriſto parum honorificè ſentire.

1 Io. Villan. hiſt. Florẽt. de Ioan. 22.

2 Crantz. metropol. lib. 8. c. 14.

Mahometus & pontificẽ & regem ſe eſſe [1] profeſſus eſt, vtriuſq; gladii ſibi poteſtatem arrogauit. ſimiliter pontifex Rom. & regem ſe, & pontificem eſſe dicit. Bonifacius octauus duos gladios tempore Iubilęi ſibi pręferri [2] mandauit. idemq; vtriuſq; gladii poteſtatem pontificii eſſe iuris [3] diffiniuit. [4] Bellarminus non modò regnum dat pontifici, ſed etiam poteſtatem ſupra omnes reges. ſe denique ſuperbi iſti Luciferi, filii reges regum, & dominos dominantium ſalutari non recuſant,

1 Menauin. & Breidenbach. & Lonicer. de reb. Turc.

2 Vſpergenſ.

3 c. vnam ſanctam, de maior. & obed.

4 De põtif. Rom. lib. 5.

ſant,& hæreſim ſuam,ſicut Mahometus, humana potentia defendunt. At longè aliter Chriſtus ſe geſſit. Nam cum Iudæi vellent eũ regem creare, *Fugit*, inquit [5] Lyra, *ne fides catholica potentia humana aſcriberetur, ſicut lex Mahometi.* [5] In Ioan. 6.

Hac ſua regia poteſtate fretus & Mahometus & pontifex Roman. ſcripturas ad voluntatem ſuam accommodauit. Ille pro arbitratu ſuo corrupit; iſte & verſione corrupit & praua interpretatione ad ſuum propoſitum detorſit. *Gregorius ſeptimus*, inquit [6] Auentinus, *diuinas literas falsò interpretando ſua cauſa ſeruire coegit.* vtei que nouas leges, & nouas viuendi formulas proponens, ſcripturas ab oculis vulgi quantum poteſt, occultat. [6] Auentinus de Gregor. 7. annal. Boior.

Armorũ potentia, fraudibus, & impoſturis, & pontifex Rom. & Mahometus, & regnũ primo acquiſiuit, & nunc defendit. fraude Bonifacius tertius primatum in omnem eccleſiam: armis Gregorius ſeptimus potentiã adeptus eſt. ſingulari fraude Bonifacius nonus Romanos [7] ſubegit. [7] Valla cõtr. donat. Cõſtant.

[1] Mahometus *abſtinentiam ſingularẽ præ ſe ferens, & nouam religionem fingens, in animos populi influxit* ita põtifex Rom. ficta religionis ſpecie dum ſe reliquis ſanctiorem ſimularet, famam ſibi apud imperitos cõparauit. [1] Minadoi de bello Perſic.

Nihil tamen erat Mahometo [2] impurius. nam præterquã quod ipſe turpiſſimus eſſet, & ſe omni ſpurcitie contaminaret; *alios ad* [2] Vincent. Spec. hiſt. lib. 23. &

fruendas voluptates [3] *inuitauit*, & in eis ſummam felicitatem collocauit. quid autem pontifex Rom? audite aliorum teſtimonia. *Egreſſa eſt iniquitas*, inquit [4] Bernardus, *á ſenioribus iudicibus vicariis tuis*. Tempore Lotharii ſecundi, *ſanctitatem papas dimiſiſſe, & ad imperatores acceſſiſſe* dicit author faſciculi temporum. [5] Platina *Gregorium ſextum, Benedictum nonum, & Silueſtrum tertium*, vocat *tria teterrima monſtra*. Idem Ioannem 13. turpiſſimũ fuiſſe dicit. *Homo*, inquit, *erat ab adoleſcentia omnibus probris ac turpitudinibus contaminatus*. Ioannes 8. vt põtificem Rom. eſſe magnam matrem fornicationum intelligamus, fœmina erat impuriſſima. notiſſimas Sergii tertii & Ioannis duodecimi libidines deſcripſit Luitprandus.

De Clemente 5 narrant Vrſpergenſis & [1] Villanus multa nefanda. ille eum *publicum fuiſſe fornicatorem* dicit. Ioannis 22. aulam Babyloniam vocat [2] Petrarcha: ipſumque vino & Veneri fuiſſe deditiſſimum ſignificat. *Petrum de luna & Gregorium duodecimum Theodorus* à Niem [3] vocat, *ſeniores Babylonis, & tantam ab eis egreſſam iniquitatem* dicit, *vt catholica fides obnubilaretur, & omnis religio naufragium pateretur*. Concilium Conſtantienſe in Ioannem viceſimum tertium ſententiam tulit, eumque [4] pronuntiauit, *Eſſe inuerecundum, impudicum & vitiis deditum, eundemque fratris ſui vxorem & moniales inceſtaſſe, & cum virginibus ſtuprum, cum coniugatis adulterium, & alia incontinentiæ cri-*

mina

[3] Zigaben. Saracenic.

[4] Serm. 1. in cõuer. Pauli.

[5] In Gregor. 6.

[1] Hiſt. Florent.

[2] In carmin. Italic.

[3] De ſchiſ. lib. 2. c. 42.

[4] In appendice concil. Conſtant.

mina, propter quæ ira Dei deſcendit in filios diffidentiæ, commiſiſſe. Sixtus quartus a deo propter turpitudinem infamis erat, vt in ſepulchro inſcriptum ſit, *Hic ſcelus omne clauditur, & vitium.* Innocentius octauus, ſexdecem filios ſpurios ex diuerſis mulieribus ſuſcepiſſe dicitur. vnde Marullus:

Octo nocens pueros genuit, totidémq; puellas;
Hunc meritò poterit dicere Roma patrem.

Alexander ſextus Vanoziæ famoſæ meretricis amore captus, ne ſcandalo quidem deterreri potuit, quò minùs in oculis ciuium Rom. eam teneret. idem ex aliis mulieribus multos liberos ſuſcepit. Leonem decimum, qui ipſum laudant, non [5] negant vino & Veneri fuiſſe deditiſſimum.

[5] Si daua â otioſi diletti, Guicciard. hiſtor.

Iulius ſecundus & tertius nefandas ſequuti ſunt libidines: ad Pauli tertii ſpurcitiem deſcribendam multa charta opus eſt. [6] cum ſorore, cum filia, aliiſque mulieribus, vt ſus in cœno volutatus eſt. Neque tantum ipſi libidinibus vacant, ſed etiam aliis ſcandalū præbent. Sixtus quartus lupanar vtrique Veneri [7] extruxit. omnes pontifices in tabulis multa meretricum millia deſcripta habent, vnde magnum quæſtum faciunt. Quid opus eſt verbis? Mahometum omni morum ſpurcitie pontifices Rom. aut ſuperant, aut æquant.

[6] Sleidan. commentar.

[7] Agrip de Lenocin. & Weſſel.

Eiuſmodi verò turpitudinibus cum vacare ſolerent, & Mahometus & illi ſe Dei nuntios eſſe ſanctiſſimos iactant. *Simulauit*, inquit [8] Breidenbachius, *Mahometus ſe Dei*

[8] De peregrinat. ſua, c. 2.

prophetā & nuntiū. ita pontifex Rom. ſe eſſe Chriſti in terris vicarium & Petri ſucceſſorem, & certiſſimum rerum dubiarum iudicē credit, & verbis præ ſe fert.

Præterea Mahomet⁹ ſe *Dei Apoſtolū* prædicauit, & tamen cōtra legem Dei *adulteria, ſtupra, cædes & latrocinia* [9] *cōmiſit.* Similiter pontifex Rom. licèt ſe efferat tanquam Dei Apoſtolum, & vbique apoſtolicum ſuum munus iactet: multa tamen flagitiosè aduerſus apoſtolicam doctrinam committit. Ac de flagitioſis libidinibus iam dictum eſt.

[9] Vincent. ſpec. lib. 23. c. 41. 42. 44.

De cædib. nihil op⁹ eſt multa dicere, cum ipſo authore tot latrocinia, & homicidia noſtris temporibus cōmiſſa ſint. Præterea Gregorius ſeptimus multos ante ſe pōtifices ſuſtuliſſe dicitur, [1] vt ſibi ad papatū viā aperiret; imperatori inſidias poſuit; priuatos multos occidit. Clementis quinti conſilio Henricus Lucemburgicus veneno ſublatus eſt. [2] Vrbanus ſextus aliquot Cardinales in ſaccos inſutos in mare deiecit, idemq; multa crudeliter cōtra Ioannā Neapolitanam, & alios nobiles viros deſignauit. Ioannem viceſimum tertium, Alexandro quinto mortem attuliſſe [3] teſtantur acta concilii Conſtantienſis. [4] Sixtus quartus ad Mediceos tollendos percuſſores Florentiam deſtinauit: idemq; bella per orbem excitans multos mortales perdidit. Alexādri ſexti immanem ſæuitiam [5] Onuphrius tacere non potuit. eius temporibus Romam *Carnificinam factam* dicit. Paulus tertius, matre & ſorore interfectis, quò hæreditatem

[1] Beno card.

[2] Theod. à Niem. de ſchiſm. lib. 1

[3] In appendice.

[4] Raphael. Volaterran. & Politianus de coniurat. pact.

[5] In vita Alexandri ſexti.

tatem ad ſe totam deriuaret, viā ſibi ad ſummum eccleſiaſticæ dignitatis [6] faſtigium muniuit. Poſt papatum, bello per Germaniam excitato, multorum mortalium morti occaſionem dedit. Per Galliam & Belgium plusquam vigeſies centies millies hominum interfecerunt. *Mahometus*, inquit [7] Vincētius, *perfectiſſimus magus effectus eſt. tradidit magus iſte & præſtigiator*, inquit [8] Zigabenus, *magica quædā artificia & dæmoniacas ceremonias aliáſq; nefarias ſceleſtáſque artes.* ſimiliter Magię operam multam dediſſe leguntur pōtifices Rom. Silueſter ſecundus, quò papatum adipiſceretur, diabolo ſe totum mancipauit. Ioannes duodecimus diabolum in alea inuocauit, eique vinum libauit. Benedictus octauus & [9] nonus poſt mortē horrenda ſpecie apparuerunt; viuentes diaboli operâ pręſtigias fecerūt. Gregorius ſextus cum diabolo ſe in vita addixiſſet, Chriſtiana ſepultura ſe indignum iudicauit. [1] Gregorium ſeptimum ſynodus Brixinenſis necromanticum, & magum pronuntiauit. idque merito. ipſe enim magicos libros circumferre ſolitus eſt. & poſt incantationes magicas, *ex ſacramento altaris* [2] *reſponſum petiit.* Magiæ crimen etiam Ioanni 23. obiectum eſt in ſynodo Cōſtantienſi. Paulum tertium cum Cecio Aſculano, magię & necromantiæ inſigniter perito, magnam familiaritatem habuiſſe teſtantur [3] hiſtorię. prętereà & ipſū magię peritū fuiſſe cōſtat: filium .n. ſuum Petrum Aloiſiū [4] monuit,

[6] Vergerius.
[7] Lib. 23. ſpec. hiſt.
[8] In elencho Iſmaelit.
[9] Platina.
[1] Benocard.
[2] Beno cardinal.
[3] Sleidan. & Verger.
[4] Iidem.

vt à die illo caueret, quo à coniuratis cæſus eſt. Atque de iſtis hiſtorici non tacuerunt. Nos autem non dubitamus, quin alii multi pontifices Rom. inſignes fuerint magi, licèt nihil huiuſmodi de illis memoriæ proditum fuerit. nã ita *Pium ſecundum* geomanticum fuiſſe negat [1] Platina, vt de ceteris illud ſubindicare videatur. *Somnia portenta, prodigia,* inquit ille de Pio ſecundo verba faciens, *contempſit ſemper. fulgura procurauit numquam. geomantibus, & ceteris id genus nullam fidem adhibuit.* quod ſtultè ſcripſiſſet, niſi ceteri fidem talibus adhibere ſoliti eſſent.

[1] In Pio 2.

Erat etiam Mahometus inſignis impoſtor, vt antea dictum eſt: ſed nihil ad pontificem Rom. Ille homines agreſtes & imperitos decepit: hic doctiſſimos in errorem induxit, idemque contra ſenſuũ iudiciũ efficit, vt quiduis ei popul⁹ credat. Per iſtas impoſturas carnem & ſanguinem in ſacramento oſtendit, ſtatuaſque ambulantes & loquentes induxit, mortuoſque ad vitam reduxiſſe viſus eſt. *Bonifacius Octauus tubis parieti inſertis decepit Celeſtinum quintum,* vt inquit [2] Valla. idemque, vt vulpes, in papatum ingreſſus dicitur. Gregorius duodecimus incredibili verſutia & fraude pontificatum adeptus eſt. *Fraudes, machinationes, dolos, cautelas, hypocriſes, ſubtilitates,* inquit [3] Theodoricus a Niẽ *quibus electus eſt Gregorius duodecimus, Chriſtianitatem ludificando, & decipiendo, & colluſiones, verſutias, & palliationes deſcribere,* *charta*

[2] Contr. donationem Conſtant.

[3] Lib. 2. de ſchiſm. c. 42.

charta & atramentum non ſufficiunt. Huiuſmodi impoſturis recentiores pontifices principibus Chriſtianis obrepſerunt, populum Chriſtianum in errorum tenebris retinuerunt.

Reprehenſionem ferre non potuit Mahometus. *Senem quendam Iudæum*, inquit [4] Vincentius, *ingulari fecit dormientem, quod ſe ab eo reprehenſum audiuiſſet.* itemque ſiue vigilantes ſiue dormientes aggredi non dubitauit eos, qui ſibi in maleficio & ſcelere contradicebant. Ita etiam pōtifex libertatem loquendi ferre non poteſt. nam licèt multa animarum millia ſecum in infernum trahat, nemini tamen [5] canoniſtæ poteſtatem concedi volunt, vt ei dicat; *Domine, cur ita facis?* vt nec ſecurim aduerſus eum, qui ſecat, ſic nec aliquem aduerſus pontificem Rom. obloqui debere contendunt. Iidem denique ſacrilegium eſſe iudicant, diſputare de facto papæ. Temporibus Alexandri ſexti *pro dicto leuiſſimo* mors irrogabatur, vt teſtis eſt Onuphrius. nunc autem pontifex Rom. aduerſus pios graſſatur, quia errores & flagitia ſynagogæ Rom. populo Chriſtiano nota faciunt.

4 Specul. hiſt. lib. 23. c. 43.

5 Ibidem.

Aduerſarios ſuos quauis ratione tollere fas eſſe [6] putauit Mahometus, quid autem pontifices Romani? nonne & ipſi pariter exiſtimant, & quod exiſtimant, faciunt? aduerſarios ſuos primò hæreticos [1] pronuntiant: & deinde in eos tanquam in hoſtes humani

6 Vincent. vbi ſupra.

1 C ad abolendam. de hæreticis.

generis totum orbem concitant. Gregorius Septimus ſicarium [2] conduxit, qui Henricũ quartum imperatorẽ trucidaret, eidẽq; in tẽplo Dei inſidias ſtruxit. Innocentius quartus per Manfredum, Fridericum ſecundũ primũ veneno aggreſſus eſt: poſtquã vero illud non ſucceſſit, eidẽ Manfredo [3] author erat, vt puluino in os imperatoris iniecto eum ſuffocaret. A Clemente quinto extinctus eſt Henricus [4] Lucemburgicus. Venenum illi in ſacramento per fraterculum dandum procurauit. Sixtus [5] quartus percuſſoribus ſubmiſſis Iulianum Mediceum, dum ſacra in tẽplo peragerentur, occidendum curauit. Vrbani ſexti cõſiliis [6] interfecta eſt Ioanna Neapolis & Siciliæ regina. Conradus rex à pontifice venenopetitus eſt. [7] Matthæus Paris ſcripſit Ioannem Maurum à pontifice conductum fuiſſe, vt eum interficeret.

[2] Benocard.

[3] Bizarr de Bello aduerſ. Frideric.

[4] Auẽtinus anal. lib. 7.

[5] Politian. de coniur. Pactiana.

[6] Theodor. à Niem de ſchiſm. lib. 1.

[7] In Henric. 3.

Sed quid nos antiqua memoremus? nõne factionis põtificię inſidiis & Iacobꝰ prex Scotiæ, & princeps Auranienſis prouinciarũ Belgicarũ gubernator perierũt? põtificis Rom. authoritate inductus nefarius ille Iacobus Clemẽs ex ordine Dominicano fraterculus, Henricum tertium Galliæ regẽ audaciſſimè cõfodit. atque hoc Sixtus Quintus probauit, authoremque in cõuẽntu Cardinalium ampliſſimis verbis laudauit. Sereniſſimam vero Angliæ reginam Elizabetam, eiuſq; caput iã à primis temporibus regni ipſius auſpicatiſſimi inſidiis petere nunquam pontifices Rom. deſtiterunt. Pius quintus per Mortonum

num ſacrificum ſeditioſum rebelles ſubditos contra eam excitauit. rebellionem etiã contra eandem in Hibernia tentauit Gregorius decimus tertius. *Parrium* etiam idem maximis promiſſis induxit, vt eam trucidaturum ſuſciperet: quod & ipſe ſupplicio affect⁹ faſſus eſt, & ex literis Cardinalis Comenſis ad *Parrium*, quæ iam extant, clarè liquet. Somerfeldius etiã & Ardenus, ab Hallo ſacerdote pontificio inducti, conſiliũ de regina ſereniſſima trucidãda ceperunt. quo nomine Ardenus publico iudicio conuictus & condemnatus eſt: *Somerfeldius* mortem ſibi cõſciuit. Hoc idem facinus aggreſſi ſunt Babingtonus, & alii aliquot adoleſcentes ſectæ pontificiæ ſtudioſi, à Ballardo ſacrifico perſuaſi. Lopezius medicus Luſitanus, à Perſonio Ieſuita & Hiſpanis quibuſdam magna pecunia conductus, rem fortaſſe perfeciſſet, niſi vigilantia & ſagacitate Comitis illuſtriſſimi Eſſexiæ, hominis perfidia & ſcelus deprehenſum fuiſſet. Holtius, Hartius, Sherwoodius, aliique transfugæ Angli, Patritio Ocollenio, Polvvheelo, Yorkio hoc idem facinus ſuaſerunt. Giffordus etiam Caluino-turciſmi iſtius beli⁹ author, vt ſe Turcopapiſtam planè declararet, nihil non tentauit, vt Sauagio, Yorkio, & aliis hominibus nefariis demonſtraret, ipſos in cœlos rectà peruenturos, ſi Elizabetham interimere poſſent. Nuper denique ex Hiſpania miſſi ſunt Squierus, Stanleius, & alii aliquot adole-

ſcentes deſperati, à VValpoolio Iebuſita adiurati & perſuaſi vt eandem vel veneno, vel gladio è medio tollerent. Norunt enim iſti omnes hoc vnum pontifices Rom. maximè cupere. vnde videre licet, & nomen & crimē aſſaſſinorum, ſeu percuſſorum cōductorum à Turcis ad pontifices Rom. nunc traductum eſſe.

De conſilio ſummi ſacerdotis Turcarum, Solimanus filium Muſtaphā occidit, vt narrat [1] Giffordus: ita etiam Philippus ſecundus Hiſpanus, ex [2] conſilio ſceleratiſſimi illius fraterculi, quem Pium quintum papam vocant, filium ſuum innocentiſſimum Carolū à carnificibus iugulari permiſit.

[1] Lib. 3. Caluinot. c. 12.
[2] Vit. Pii quint. Ital.

Veneno tandem [3] extinctus eſt Mahometus, quod Albunor vnus ex ipſius diſcipulis ei propinauit, quo mortis genere multi etiā pontifices Rom. vt ſe Mahometo & in vitæ & mortis genere ſimiles eſſe declararent, periiſſe dicuntur. Ante Gregorium ſeptimum breui tempore ſeptem pōtifices Rom. [4] hauſto veneno mortui ſunt. neque dubium erat ipſius opera illis inſidias ſtructas fuiſſe. Victor tertius in calicem Domini iniecto veneno interfectus eſt. [5] Alexandrum quintum ex ordine fraterculorum papam, ipſius ſucceſſor Ioannes viceſimus tertius potione venenata ſopori dedit. Cæſar Borgia patrem ſuum Alexandrum ſextum veneno aliis parato extinxit, vt narrat [6] Guicciardinus. veneno etiam epoto Clemens ſeptimus ad inferos

[3] Philip Lonicer. de rebus Turc. lib. 1.
[4] Benocard.
[5] Appendix ad concil. Conſtant. apud Petr. Crabb.
[6] Hiſt. Guic.

feros deſcendit, vt in eius funere cecinit *Paſquillus*, Poeta planè veridicus. atq; hoc mortis genere & olim multi põtifices & nuper Sixtus quintus, Gregorius decimus quartus, Vrbanus ſeptimus, & Innocentius nonus interiiſſe dicuntur. Planè ergo deſipiunt, qui negãt pontifices Rom. Mahometo & in moribus & mortis genere eſſe ſimilimos.

Cap. IX.

De particularibus quibuſdam doctrinæ principiis, ſectæ Turcicæ, & papiſticæ cõmunibus.

QVàm vniuerſa doctrina Turcica, papiſticæ ſimilis ſit, iã antea dictũ eſt. Inde facile colligimus vtramq, ex traditionibus nõ ſcriptis, & ſcripturis malè intellectis, & variis fabulis eſſe conſarcinatã: niti autem partim mendaciis & calumniis, partim impoſturis, reuelationibus, & miraculis commentitiis. Quin etiam ſummã eſſe inter decretales epiſtolas & Alchoranum. inter pontificẽ Rom. & Mahometũ ſimilitudinem oſtendimus: adeo quidem, vt inter authores & fundaméta harũ ſectarũ non malè conueniat. Nũc ergo. vt non malè hæc inter ſe comparari intelligamus, multa prætereea particularia dogmata eſſe vtrique ſectæ communia docebimus. Saraceni in obſeruatione legis[1] Mahometi; papiſtæ in obſeruatione[2] decretaliũ põtificis, hoc eſt, vt ipſi loquuntur, in obſeruatione mandatorum eccleſiæ, iuſticiam collocãt: neque minus peccare cenſent, qui legem Mahometi & pontificis, quam qui legem, & mandata Dei tranſgrediuntur.

[1] Menauia. de relig. Turc.
[2] Cenſura Colon. & enchirid. Nauarr.

Turcæ exiſtimant præcipuum Dei cultum in ſacrificiis cõſiſtere. idcirco crebra offerũt ſacrificia: *immolant victimas*, inquit [3] Septẽcaſtrenſis, *ſed plerũq; votiuas. ingens*, inquit [4] Menauin[9], *immolantiũ zelus eſt, ingẽs feſtinitas. perſuaſum enim habent, cultũ hunc Dei eſſe eximium, & inprimis Deo gratũ.* ſimiliter etiã gentiles antiquitus fecerunt. Quid autẽ papiſtæ? nonne crebras miſſas cantillant? nõne ſe Chriſtũ in miſſis ſuis quotidie immolare dicunt? nonne hoc ſacrificium & viuis & defunctis prodeſſe dicunt? nõne ex hoc ſuo ſacrificio ſanitatem, opes, felicitatem, liberationem à malis, peccatorum remiſſionem, & æternam ſalutem ſperant? certè. Chriſti enim ſacrificium in cruce peractum, aut nullum, aut ſine iſto non ſatis efficax eſſe putãt.

3 De morib. Turc.
4 Lib. 2. de relig. Turc. c. 10.

Votis etiam Turcæ, vt olim gentes, ſe obſtringunt. *Sanctè*, inquit [5] Cicero, *vota reddunto*; votáque Turcæ crebrò faciunt, & diligenter ſeruant. eóq; nomine ad ſepulchrum Mahometi, & aliorum ſanctorum peregrinãtur, & vouent ſe caſtitatẽ ſeruaturos. quod etiam papiſtæ vulgò faciunt, qui etiam in votis magnam perfectionis ſuę partem locant. maximè enim placere, quæ ex voto fiunt.

5 De legib. 2.

Liberum arbitrium homini ad bonum & malũ dari credunt Turcæ: gratię ſunt inimici. *omnis rectè viuens, boniquegeſtor*, inquit [1] Mahometus, *indubitanter fauorem diuinum aſſequetur.* ſimiliter papiſtæ in libertate arbitrii ſui multum confidunt, & gratię meritum

1 Alch. azoar. 2.

& effica-

& efficaciã minuunt, atque in operibus ſpem ponunt ſalutis.

Vtrique licet flagitioſe viuant, & ſcelerate: ex operibus tamen ſuis, & precibus ſanctorũ ſe iuſtificatos iri credunt.

Preces ꝓ defunctis dicũt Sacerdotes Turcici. accedentes enim ad mortuum [2] dicunt, *Deus miſereatur eius.* ſimiliter ſacerdotes põtificii preces ſuper mortuos demurmurant & ſibi inde lucrum magnum parant; & dicunt, *requiem æternam dona eis Domine.*

[2] Menauin. de ſepultur. Turcar.

Similia etiam habent Turcæ & Papiſtæ ieiunia. vtrique enim abſoluto ieiunio, cibo & potu ventres diſtendunt.

De horis etiã canonicis idem ferè vtrique ſentiunt. [3] *Magno rigore præcepit Mahometus, vt quinquies in die ſinguli orarent.* ſimiliter ad horas (vt vocant) dicendas, eccleſiaſticæ perſonę apud papiſtas [4] obligantur: nec leuis reputatur noxa horas omittere.

[3] Septẽcaſtr. de relig. Turcar. c. 23. & Richer. lib. 2. de morib. Turcar.

[4] c. final. diſt. 92. & Innocent. in c. 1. de celebrat. miſſar.

Turcæ lingua Arabica, quã pauci inter illos intelligunt, preces fundunt, & multiplici vtuntur in precibus battologia. ſic etiam homines plebeii apud papiſtas in lingua orãt nõ intellecta; & dum ſæpius ingeminant, *Aue Maria:* & *pater noſter*: ſe facilius auditos iri credunt.

De ſanctis defũctis pariter & Turcæ & papiſtæ docẽt, eorũ interceſſione ſupplices iuuari. *Multi*, inquit [5] Septemcaſtrenſis, *Turcis ſunt peculiares ſancti, quorũ alii á peregrinãtib. alii á parietib. alii a calamitoſis, alii a viatorib. inuocãtur, eorũq; ſepulchra in magna habetur*

[5] de relig. Turcar. c. 15.

veneratione. ſed præcipuus in Turcia tota habetur Sedichaſi quidam, hoc eſt, ſanctus victor, ſeu victorioſus inter ſanctos. ita etiam papiſtis peculiares ſunt ſancti: nam in Anglia coluntur, & in Hiſpania, qui ab aliis ignorantur. in variis etiam neceſſitatibus alios atque alios inuocant ſanctos.

Apolloniam enim dentibus, Antonium vlceribus & gangrenis, Fiacriū febribus quartanis, Sebaſtianum & Rochum peſti, Dominicum & Franciſcum fratrum & diſcipulorū ſuorū lui venereæ, & alios aliis malis & morbis mederi putant. hinc factum eſt etiam, vt Criſpinum ſutores calcearii, Nicolaum nautæ, Georgiū, Iacobum & Dionyſium milites, Antonium porcorum cuſtodes, Ludouicum equiſones, alioſq; alii inuocent.

Apud Turcas nefas eſt aduerſus Alchoranum diſputare, coſque hæreticos eſſe pronūtiant, qui aduerſus Mahometi traditiones & doctrinam ſentiunt. Similiter apud papiſtas non leue crimen eſt, aduerſus pontificum decretales opinari, eoſq; pro hæreticis habent & malè multant, qui contra decretales epiſtolas & pontificum Rom. traditiones tenēt, aut opinantur.

Vtrobique ferro perſequuntur aduerſarios ſectæ ſuæ, & hoc meritorium eſſe, docēt. Mahometus paradiſum [1] promittit eis, qui pro lege ſua fortiter depugnarint, hoſteſque ſectę ſuæ plurimos occiderint. [2] Pontifex Rom. remiſſionē peccatorum largitur, cœloſque

1 Zigabeni. Saracenic.
2 c. ad abolendam. de hæret.

loſque aperit eis, qui pro Synagoga Rom. & religione papiſtica bella gerunt, & hæreticos, vt vocant, plurimos trucidant. Mahometum [1] vocant Turcæ *AcurZaman pegamber*, hoc eſt, vltimum prophetam: eiusq; ſucceſſoribus ſummam fidem habent. ita etiam papiſtę ſuum pontificem ſummum religionis iudicem eſſe credunt, & in ſucceſſione pontificum velut in petra ſuas opiniones ędificant. — 1 *Menauin. de relig. Turcar. in præf.*

Turcæ de Chriſto non aliter, ac de mero homine exiſtimant, nec ad munus mediationis diuinam naturam requiri credũt. à qua ſententia non longè abhorrent Papiſtæ. ipſi enim Chriſtum tantùm ſecundum humanam naturam mediatorem eſſe [2] volunt; quod nihil aliud eſt, quàm mediatorem cõſtituere nudum hominem. perſonæ enim actionem naturæ humanæ aſcribunt, & à diuina natura remouent, & ſegregant munus mediationis, perſonæ officium & naturas quadammodo diſſoluentes. Legem habent [3] Turcæ, quæ *legiſlatori parêre iubet, & non obtemperantem morte multandum decernit.* ſimiliter papiſtæ eos qui papæ non obtemperant iugulandos eſſe cenſent, & hoc leges papales iubent. ex [4] Deuteronomio etiam diſputant, moriendum eſſe ei, *qui pontificis imperio non obtemperat.* eandem enim eſſe rationem pontificis Rom. & ſummi Iudęorum ſacerdotis. — 2 *Bellar. libr. 5. de Chriſt.* — 3 *Laonic. Chalcon. lib. 3. de reb. Turcic.* — 4 *cap. 17.*

Legem [5] Turcę nefas eſſe putant in lin- — 5 *Septẽcaſtr. cap. 13.*

gua vulgari publicè legi. myſteria enim prophetæ non eſſe vulganda. ſimiliter Papiſtæ ſcripturas in linguis vernaculis publicè legi prohibent; & eadem ratione, qua illi nituntur.

Antichriſtum in fine ſeculi venturum, & Iudæos in eum credituros aſſerunt [1] Turcę. præterea poſt interfectum antichriſtum Iudæos conuerſos iri credunt. quæ papiſtę cōmuniter cum eis credunt, & [2] Bellarminus rectè credi diſputat, non leuiter ad Turcarum ſententiam inclinans.

[1] *Bibliand. in præfat. Alchoran.*
[2] *De pontif. Rom. libr. 3.*

[3] Turcæ figuram corpoream Deo tribuunt. ſimiliter papiſtæ tres perſonas Trinitatis tribus formis corporeis depingũt; quod impiè & abſurdè fiat neceſſe eſt, niſi Dei figuram corpoream eſſe credant. De exorciſmis & adiurationibus dæmonum, & earum origine papiſtæ cum Turcis ſentiunt. nam & exorciſmos habent vtriq; deſcriptos, & Salomonis authoritate & [4] Turcæ & Papiſtæ ad earum demonſtrandam efficaciam abutuntur.

[3] *Zigaben. in elench.*
[4] *Ibidem.*

Corporis voluptates futuræ felicitati nō officere credidit Mahometus. vnde Turcæ ſtupra & fornicationes, & carnis concupiſcentias vix pro peccatis habent. quod & papiſtis commune eſt. Nam etſi operibus ſuis ſalutem acceptã ferant; voluptatibus tamen indulgent: lupanaria publica permittunt & defendunt: adulteria & fornicationem inter minora crimina [5] recenſent, concupi-

[5] *c. at ſi clerici, de iudiciis.*

piſcentiam in renatis peccatum eſſe negant.

Vſuras publicè exercent Turcæ & Papiſtæ. & de Turcis quidem teſtatur Septemcaſtrenſis. de Papiſtis, & vrbs Roma & ipſi pontifices Roman. teſtimonium perhibent. Papa.n. Iudęis in vrbe locũ liberum fœnori exercendo præbet, & Iulius Tertius, Paulus Quartus, Pius Quartus, & multi prætereà pontifices Rom. *montes*, vt dicuntur, *pietatis* [1] permittebant. nihil autem aliud ſunt montes iſti, quàm pecuniæ fœnori locatæ ſub ſpecie quidem pauperibus opitulandi, reuera autem, vt fœnus & lucrum inde pontifices Roman. percipiant. Gregorius Septimus Iudæi cuiuſdam opera ad pecunias fœnori locandas [2] vſus eſt. temporib. Henrici Tertii regis Anglię, eccleſiam Anglicanam grauiſſimis vſuris à fœneratorib. & miniſtris pontificis Rom. vexatam & exhauſtam fuiſſe narrat [3] Matthęus Paris.

1 *Onuphrius.*

2 *Beno Cardinal.*

3 *In vita Henrici 3.*

De clauibus cœlos aperientibus eandem habent Turcę & Papiſtę ſententiam. Illi enim Mahometo & eius ſucceſſoribus, non minus quàm iſti pontificibus Romanis aperiendi & claudendi tribuunt poteſtatem. & non minus inde Turcæ, quàm Papiſtę peccatis ſuis remiſſis ſe paradiſum ingreſſuros ſperant.

Turcæ per creaturas licitè iurari putant. *Iurat Mahometus*, inquit [4] Zigabenus per *ſolem, lunam, aſtra, igneum ſplendorẽ, anima,*

4 *In elench. Iſmaelit.*

lia & huiusmodi. Nec ab huiuſmodi iuramentis abſtinent papiſtæ. iurant enim per miſſam, per ſanctos, per angelos, imò, vt illos Turciſſare intelligamus, per ſolem, per lucem, & panem, & huiuſmodi res alias.

[1] *Ibidem.*

Turcæ [1] negant quidem ſe idololatras eſſe, cum tamen maximè ſint. nam in Mecha Saturni & Mercurii effigiem colunt, & Veneri ſacrũ faciũt, & ſanctos defunctos inuocant & adorant. Similiter Papiſtę, licèt negẽt ſe idololatras eſſe, & hoc ſacramento confirmare parati ſint; tamen verè idololatrę ſunt. nam & ſanctos & ſanctorum imagines, & reliquias, & cruces ligneas in idola verterunt, & eos cultu ſupra humanum venerantur & colunt. imo negare non poſſunt, ſe cruci, & Dei Patris, & Chriſti & Spiritus ſancti imaginibus latriam exhibere. tribuunt etiam virginis Mariæ ſtatuis, & non tantùm ipſi virgini, hyperdouliam. Romæ autem in templo Petri, Iouis ſtatuam ex ære fuſam pro Petro colunt. adeo ſunt cęci, & in ſuperſtitione ſua ſtupidi miſeri illi papiſtæ, & idololatrę certiſſimi.

[2] *Septlcaſtr.*

Sacerdotes & ſtudentes [2] aluntur in Turcarum Xenodochiis, qui pro anima fundatoris preces fundant. atque eundem in modum apud papiſtas ſacrifici ex miſſis pro mortuis, & adoleſcentes nouitii ex precibus pro eiſdem ſuſtentantur.

Atque ita videmus multos ritus, multaque religionis dogmata & Turcis & Papiſtis

com-

communia eſſe. quæ quidem licèt Reginaldus & Giffordus à lege naturæ, & priſcorum Chriſtianorum more deſumpta, & ad ſuos deriuata dicant; reperient tamē hęc omnia, vt à Papiſtis vſurpantur, à moribus eccleſiæ apoſtolicæ eſſe alieniſſima. Abſit enim vt putemus, hanc feritatem & immanitatem papiſtarum in ſecta ſua propugnanda, cum prima Chriſti eccleſia fuiſſe communem. Præterea, nullum habuerunt Chriſtiani veteres ſacrificium externum, præter vnum illud quod in cruce peractum eſt à mediatore, & omnibus numeris abſolutum eſt. antiquitus votorum laqueis non implicabantur, nec aliam habuêre legem, aut religionē, præter legem Dei, & ſacroſanctum euangelium. preces pro defunctis fundendas, & liberum hominis arbitrium in vtramque partem valere nuſquam docuerunt Chriſti apoſtoli. ieiunia & horæ papiſticæ, antiquitus ignotæ erant. vſum verò linguæ ignotæ in precationibus, certum eſt ab apoſtolo [1] prohibitum fuiſſe. ſanctorum & imaginum cultus à papiſtis vſurpatus, adeo quidem legi Dei, & priſcæ eccleſiæ moribus aduerſatur, vt nihil ſupra. pontificum poteſtas noua eſt, & eccleſiæ Chriſti antiquiſſimæ inaudita. Dæmonum exorciſmi ſuperſtitionem olent. vſuræ & fœdæ voluptates temperantiæ Chriſtianæ plurimum repugnant. Concupiſcentiam apoſtolus diſertè peccatum [2] vocat. [3] inceſtuoſo Corinthio anathema

[1] *1. Cor. 14.*
[2] *Roman. 6. & 7.*
[3] *1. Cor. 5.*

dicit. iuramenta per creaturas, & leges diuinæ, & humanæ æquiores condemnant. idololatriam ipſi Papiſtæ verbo execrantur. ſuperſtitioſas pro mortuis ſupplicationes religio orthodoxa aſpernatur. quis ergo non videt dogmata hæc, quæ diximus, & ritus papiſticos, à primæ eccleſiæ moribus multum abhorrere? At fortaſſe dicent, videri hæc omnia à naturæ principiis fluxiſſe. quaſi verò non abſurdum ſit à Turcis & natura corrupta legem petere. præterea pleraque ex iſtis naturæ repugnare videntur.

CAPVT X.

De ritibus, cæremoniis, diebus feſtis, & peregrinationibus ad ſepulchra mortuorum, Turcis & Papiſtis, communibus.

PRæterea ſicut dogmata; ſic etiam ritus & cæremonias in cultu diuino habent Turcæ & Papiſtæ communes. tempore quadrageſimæ corpus ſuum caſtigant Turcæ. Pariterque Papiſtæ tunc temporis ſe caſtigant, & coria ſua flagellis concidunt.

Tẽpore Paſchatis ſacrificant agnos Turcæ. quo tẽpore etiã Papiſtæ agnum Paſchalẽ conſecrant, & immolant. Iudæorum vtrique cæremonias multas vſurpant. horas canonicas ſeruant & Turcę, & Papiſtæ: iidemque in lingua populo ignota ſacra peragunt, & preces fundunt labiiſque ſuis

Deum ſe honorare ſimulant, cum corda eorum longè abſint, & nihil intelligant.

In ſacris ſuis peragendis geſtibus vtuntur, & flexibus hiſtrionicis: voce nonnunquam ſubmiſſa, nonnunquam tragica. corpus furioſè & ineptè agitant.

In ſacerdotibus Turcicis non magna [1] requiritur doctrina. ſatis eſt enim ſi Alchoranum & Muſaphum, ſiue breuiarium ſuum norint legere: neque ſanè in ſacrificiis pontificiis multa poſtulatur ſcientia. Habent enim Deo gratias, ſi miſſale & breuiarium legere, & paululum cantillare norint. In Anglia olim ita fuiſſe indoctos ſignificat [2] Matthæus Paris, vt pro miraculo haberentur, qui Latinè intelligerent. in Hiſpania & Italia adeo ſunt illiterati & indocti, vt nihil ſupra. [3] Petrus de Alliaco *queritur fatuos & pueros præponi ſcientificis & ſapientibus.* ignorantiamque præſulum Papiſticorum & Budæus & Lindanus grauiſſimis verbis exagitant.

[1] *Anton. Geufreus lib. 2. de Turc. relig.*

[2] *In Wilhelmo Conquaſt.*

[3] *De reform. eccleſ.*

Aquâ ſæpius ſe abluunt Turcæ, eaq; immunditiem deleri putant. ſimiliter aquâ Papiſtæ lemures fugari, & noxas ſuas veniales ablui credunt.

Quando [4] Turcæ mortuos ad ſepulchrũ efferunt, cærei eis accenduntur. ſequuntur monachi & ſacerdotes cantillantes: requiemque mortuo vulgò precantur. ſimiliter etiam fit in Papę regno tenebroſo. multæ coram mortuis accenduntur candelæ,

[4] *Ant. Geuf. & Septemcaſtr.*

liceèt ipſi nihil videant. confluunt monachi & ſacrificuli, eorumq; pueri, velut corui ad cadauer, prædam inde captantes. deniq; inſtar bubonum feralium omnes illi triſtes voces edunt.

Poſtquam verò corpus in ſepulchro conditum eſt, amici defuncti apud Turcas ſæpius ad monumentum[1] redeunt, lugent, orãt, & pro anima eius eleëmoſynas largiuntur. hoc etiam inter papiſtas ſolenne eſt. luctu enim ſuos proſequuntur, orant pro defunctis, eleëmoſynas largiuntur, miſſas & ſuffragia dicunt ſacrifici, emunt laici.

[1] *Ibidem.*

Peculiares ſanctos Turcæ peculiaribus officiis colunt: quod papiſtæ etiam faciunt. ipſi enim alio officio diuam virginem, alio ſuum Franciſcum, alio Dominicum propitium reddunt. atque idcirco noua quotidie cudunt officia, vt nouos ſanctos, & ſanctas.

In Turcarum templis, ſeu[2] Moſcheis, Lampades ex laquearibus dependent, & totum locum nocte dieque colluſtrant. quid autem papiſtę? nonne ipſi in templis ſuis lumina multa interdiu accendunt? certè. atq; hoc ſcilicet faciunt, vt Ieſu Chriſto qui lumen eſt iuſtitiæ, facem ex ſuis ſuperſtitioſiſſimis inuentionibus addant.

[2] *Barthol. Georgeuit.*

Neq; ſanè mirum eſt, multas cæremonias Turcarum & papiſtarum inter ſe conuenire, cum non minus Turcarum Muſaph, & libri rituales, miſſali & breuiario Romano,

quàm

quàm Alchoranus, libro Decretalium re-ſpondeant.

In peregrinationibus etiam ad ſepulchra ſanctorum, ſimilem morem habent Turcæ & papiſtæ, Mahometi ſepulchrum in vrbe *Mecha* ab omnibus Turcis magna ſuperſtitione viſitatur. *Ex lege Mahometi ſingulos Turcas teneri ad viſitandum quotannis eius ſepulchrum*, ſcribit [1] Breidenbachius. Viſitare etiam ſolent *Sedichaſi* ſepulchrum in Caramania. qui autem iſto modo viſitant horum ſepulcra, inde ſe peccatorum remiſſionem, & ęternam beatitudinem adepturos putãt. Sacerdotes autem & ſepulchrorum cuſtodes ex donis eorum amplas adipiſcuntur opes. Similiter papiſtę certis temporibus Romam adeunt, ſanctorum delubra viſitant, cineres & putrida oſſa mortuorum contrectant & oſculantur, ad memorias defunctorum ſtationes obſeruant & orant;& inde nõ modicum emolumentum ſperant. quicquid autem illi ſperant, ſacrifici aurum præſentarium & lucrum amplum ex iſtis peregrinationibus capiunt. illi opem à ſanctis defunctis exſpectant. iſti opes amplas à peccatoribus viuentibus adipiſcuntur. Sanctos iſtos & Turcæ, & papiſtæ diebus feſtis honorant, vtrobique dies iſtos epulis & ſumma lætitia celebrant. non aliter ſanè quàm Iſraelitæ, Exod. 32. qui in dedicatione vituli aurei *manducarunt, biberunt, & luſerunt.*

[1] *De peregrin. ſua c. 3.*

Reliquias mortuorum vtrique in magno

honore habent. eas enim in templis ſeruāt, & auro & gemmis ornant; coramque eis humiliter ſe proſternunt, & ſupplicant. quod magno argumento eſſe poteſt, hanc peregrinationem ad reliquias, & hunc cultum hominum mortuorum, à diabolo profectū, & per pſeudoprophetas iſtos in mundum introductum fuiſſe, vt verum Dei cultum per nouas has inuentiones obſcuraret.

CAPVT XI.

De variis monachorum apud Turcas & Papiſtas ſectis & ordinibus.

CVm Dominus noſter Ieſus Chriſtus perfectionis præceptum daret diſcipulis ſuis, nullum vitæ genus, nullam hominum conditionem à perfectionis ſpe excluſit. omnibus enim Chriſtianis communiter [1] dictum eſt, *Perfecti eſtote ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* brauium (inquam) in medio ſtatuit; ad currendum curriculo omnes inuitauit, neminem prorſus excepit. Quod ergo gloriantur monachi & fraterculi, vitę illud genus quod ipſi elegerunt, ſtatum eſſe perfectionis; nimis illud ſtultè & ridiculè faciunt. nihil enim Chriſtus cogitauit vel de monachis, vel de eo vitę genere; nec aliquid habet ex verbo Dei monachi præ aliis Chriſtianis ſingulare. nihil denique eſt in monachatu vel perfectionis nomine, vel vlla laude dignum: quod quidem aliâs ab hominibus

[1] *Matth.* 5.

bus noſtris fusè & copiosè oſtenſum eſt. nos illud ex eo colligimus, quod etiam Turcæ ſuos habent monachos, papiſticis oppidò ſimiles, apud quos vix aliquod eſt veræ religionis, aut virtutis veſtigium, aut ſimulachrum. perfectionem verò in iſtis ponere, non aliud eſt, quàm aurum in ſtercore quærere, & magnas nugas agere.

Apud [1] Turcas *monachi quidem nudi incedunt, magnam præ ſe ferentes patientiam*. ſunt etiam apud eos ex veterum hæreticorum proſapia Nudipedales. apud Papiſtas quoq; monachi propè nudi oberrant in eremo; & Cordigeri & Capucini nudis incedũt pedibus, patientiam magnam ſimulantes.

[1] *Septēcaſtr. de rel. Turc. c. 14. Richer. de morib. Turc libr. 1. & Menauin. libr. 2.*

[2] Alii monachi Mahometani, *paupertatem profeſſi nihil de rebus terrenis cogitant, nec in craſtinum aliquid reſeruant*, quod verbis quidem profitentur omnes ſectę põtificiæ monachi, & ſe ſolenni paupertatis voto obligant, ne aliter faciendi vlla ipſis relinquatur facultas.

[2] *Ibidem.*

Apud [3] Turcas alii *monachi viuunt inter homines, pleriq; in nemoribus & ſyluis.* ita etiã ex monachis papiſticis, alii Cœnobitæ ſunt, alii Heremitæ; & ex Cœnobitis hi in vrbib. habitant, illi extra vrbes. illi, inquam, in hominum frequentia verſantur, & pauperum eleemoſynas ad ſe rapiunt; hi in ſyluis deliteſcunt ruris amœnitate fruentes, homines certè molles & delicati, & veterib. monachis diſſimilimi.

[3] *Ibidem.*

[1] *Ibidem.*

Inter illos; [1] *Habitant aliqui circa ſepulchra mortuorum & ex oblationibus viuunt.* ſimiliter monachi ſectæ pontificiæ, ſicut lemures & ſpiritus nequam, circa ſepulchra verſantur, & velut vncis vnguibus aquilæ ex cadauerib. viuunt. iſtis pax eſt cum mortuis, ſed rodunt viuos: & viuunt quidem ex oblationibus; ſed cum nemo dat, per vim, aut ſaltem per aſtutiam prędam auferunt.

[2] *De relig. Turc. libr.* 1.

Inter Turcas, inquit Antonius [2] Menauinus, *quatuor ſunt monachorum præcipui ordines.* plures quidem erant, ſed propter ſingularem hominum nequitiam ad hanc paucitatem redacti ſunt. Ita nunc apud papiſtas quatuor ſunt ordines mendicantium præcipui (nam Iebuſitæ non mendicāt, ſed palàm auferunt) licèt multò olim plures fuiſſent, antequam ex decreto concilii generalis peſtes illæ eradicatæ eſſent.

[3] *Ibidem.*

Primi ordinis monachi apud [3] Turcas *incedunt veſtiti pelle leonina, & librum, vt plurimùm, in manu ferunt.* ſic etiam cum libris ſuffarcinati incedunt monachi papiſtici, nō leonina, ſed ouina pelle tecti, licèt cor habeant ſub veſtimentis ouium vulpinum & lupinum.

[4] *Ibidem.*

Secundi ordinis [4] monachi *apud Turcas continentiam vouent, eamque licèt inuiti ſeruant.* ita monachi papales vouent quidem & iurant, quantum libet continentiam; ſed ſanè inuitiſſimi eam ſeruant. nam ex monaſteriis in monialium luſtra, & luparum latibula

bula nimis creber illis eſt commeatus. neq; [1] regulam ſui Franciſci cordigeri fratres vel pili vnius faciunt, qui ſui ordinis homines vetuit monaſteria fæminarum ingredi. monachos ergo *ſuis immunditiis eccleſiam commaculaſſe* dicit [2] Petrus de Alliaco. 1 *In Teſtam. Franciſci.* 2 *De reform. eccleſ.*

Tertius ordo monachorum Turcicorum ex mendicatione viuit, vt ait Menauinus, hoc etiam cordigeri fratres, & reliqui mendicantium ordines facere debuerunt. ſed nunc ex pontificum Rom. priuilegiis tantas opes coaceruarunt, vt multos viros bonos ad mendicitatem redegerint, dũ ipſi in ſummis delitiis lautè viuunt.

Vltimus ordo eorũ eſt, *qui capite raſo incedũt, & prorſus literarũ & humanitatis expertes sũt.* hos aſtutos, impoſtores & raptores vocat Menauinus. Similiter monachi papiſtici caput habent raſum, ne pilum vllum viri boni habere videãtur; & monachis Turcicis ſunt ſimilimi. nam plerique omnis humanitatis & doctrinæ expertes ſunt: & homines ſunt aſtuti, verſipelles, lubrici, impoſtores, fraudatores, mendaces, raptores, malefici & maledici. ita dicit [3] Matthæus Paris *in monachos receptos fuiſſe homines illiteratos & reprobandos.* 3 *In Henric. 3.*

Ex iſtis aliqui regiones oberrabant, vt inquit [4] Menauinus, *alii fœminarum pudicitiæ inſidiabantur, reliqui gulæ & voluptatib. ſe dedêre.* ita etiam Monachi ſynagogæ Rom. alii per mundum oberrant viris piis exitium 4 *De relig. Turc. libr. 2.*

molientes, quales Iebuſitæ ſunt: alii voluptates conſectantur, cuiuſmodi ſunt ex Benedicto propagati pigri ventres: reliqui in nugis ſcholaſticis ętatem deterunt, aduerſus veritatem obſtrepentes.

1 Marin. Barlet de reb. geſt. Scanderb.

[1] *Propter inſignem hanc Turcicorum monachorum nequitiam, vniuerſus ordo Deruiſorum a Baiazete imperatore deletus eſt.* cur non ergo, vt omnia paria ſint Turcis & Papiſtis, non aliquis exurgat fortis & pius rex, qui peſtes has vel eradicet, vel ſaltem recidat?

Poſtremò, Turcarum monachi ſe religioſos vocant, cum nihil ſint minus. quod & papiſtici monachi pariter faciunt. quaſi enim alii omnes prophani eſſent & impii, ſe ſolos religioſos vocant, & haberi volunt. Rectè ergo fratres iſtos *Brigitta gentem pompoſam, vanam, ſuperbam* vocauit, & eos *totos ex hypocriſi conflatos fore prædixit.*

CAPVT XII.

Papiſtas non tantum abhorrere à Turcarum amicitia, quantum videri volunt.

CVm ergo & in religionis ſuæ multis capitibus, & in externis cæremoniis Turcæ & papiſtę non malè conſentiant; non eſt mirandum ſi pontifices Roman. & eis adhærentes Papiſtæ Turcarum potentiæ ipſorum ignauia iam magna ex parte confirmatæ

tæ ſe non oppoſuerunt. hoc ſanè exploratiſſimum eſt, quamdiu pontifices Roman. intra fines ſuos ſe continuerunt, Saracenos parum potuiſſe; poſtquam verò, hortante Gregorio 3. Italia ab imperatore defeciſſet, & diuulſum eſſet in partes imperium Rom. Turcarum tum vires augeri, Chriſtianorum imperium labefactari cœpit. Nam dum imperatores bello Italico diſtinerentur, Saraceni latè per Aſiam & Africam fines imperii ſui propagarunt. Pontifices Rom. inquã, & non alii, potentiam Turcarum auxerunt, res Chriſtianorum afflixerunt, vt apud Matthæum Paris queruntur [1] Galli capto rege & amiſſo apud Damiatam exercitu triſtes. *Heu, heu* inquiunt illi, *quanta mala nobis ſuperbia papalis parturiuit, quæ tam procaciter Friderico reſtitit humiliato, nec condignam admiſit ſatisfactionem, ſed potius ad cordis prouocauit amaritudinem?* & poſtea: *Proh dolor quantum Chriſtiani ſanguinis nunc in terra ſancta magnifici & generoſi, quantum in Alemania, quantumque in Italia inutiliter funditur, & quod damnoſius eſt fide vacillante, terra ſancta patet diſcrimini, minorataq; Chriſtiana religione, paganorum ſuperſtitio exaltatur?* hæc omnia Galli Innocẽtio 4. cõtra Fridericum 2. bella gerenti accepta ferunt, & niſi corrigat ſe, totam Galliam aduerſus ipſum arma ſumpturam denuntiant. [2] Crantzius dicit *Innocentium 4. tanto Zelo in Fridericum Secundum prouectum, vt non*

[1] *In Henr.* 3. *p.* 772.

[2] *Metrop. lib.* 8. *c.* 14.

modo Chriſtianos principes illi opponeret, ſed etiam miſſo nuncio ad Soldanum Ægypti illum à familiaritate eius niſus ſit auertere. eundem Fridericum aduerſus Saracenos fortiter & feliciter pugnantem Gregorii noni malitia domum retraxit, & pręclariſſimã victoriã ei ex manib. eripuit. *Vicarius Chriſti,* inquit [1] Fridericus apud Matthęum Paris, *Præter impedimenta, quæ nobis in Syria præparauit per nuntios & legatos, qui Soldanum literis ſuis, quas nos captis ipſarum latoribus in teſtimonium reſeruamus, ne nobis terram diuino cultui, & Hieroſolymitani regni iuribus debitam redderet, monuerunt, regnum noſtrum Siciliæ violenter intrauit,* &c. *perfidiam & periurium prædicans vniuerſis.* præterea cruce ſignatos, qui in auxilium imperatoris profecturi erant in Syriam, hic Gregorius ne mare traiicerent prohibuit, & impediuit. hoc ſcelus pontificis etiam [2] Auentinus notauit. *Vniuerſas terras imperatoris in ſeruitio Chriſti demorantis,* inquit ille, *quod nefandiſſimum eſt dicere, abſtulit & ſibi ſubegit* (Gregorius 9.) *& cruce ſignatos, ne transfretarẽt omni ſtudio prohibuit.* nec hoc contentus, [3] Chriſtianos qui ſe contra Turcas pugnaturos vouerant, aduerſus imperatoris præſidia pugnare coegit. Hinc conſtat pontificis Rom. opera & Chriſtianos milites inter ſe fuiſſe commiſſos, & Saracenos omiſſos, & victoriam quæ in manibus erat Chriſtianorum, eius perfidia fuiſſe ereptam. [4] Alexan-

1 *In Henr. 3. p. 484.*

2 *In annal. Boior. de Gregor. 9.*

3 *Matth. Paris in Henric. 3. p. 497.*

4 *Zegedin. in ſpecul. pontif.*

lexandri etiã tertii malitia Fridericum Barbaroſſam Soldano proditum, & res Chriſtianorum in Syria turbatas fuiſſe conſtat.

Templarios, qui ſæpe fortiter aduerſus Turcas pugnantes inſignes victorias reportârant, & in quorum armis populus Chriſtianus non paruam ſpem & præſidium habuit, Clemens 5. crudeli edicto occidédos & tollendos curauit. Qua autem in re Turcis magis gratificari potuit, quàm vt præſidium hoc fidei, vt tum exiſtimabatur de loco deiiceret, & tolleret? nonne fidem illi oppugnare videntur, qui propugnacula fidei diruunt?

Ioannes 22. Sarracenis, plus, quàm Chriſtianis fidiſſe videtur. eorum enim copiis *Armenos Chriſtianos* [1] *oppugnauit.* quod ſatis oſtendit nullos magis quàm pontifices Roman. Chriſtianos afflixiſſe, imperiumq; Saracenicum auxiſſe. ſed hoc multis aliis argumentis liquet. *Seditionibus Guelphorum & Ghibellinorum*, inquit [2] Sleidanus, *Italiam lacerantibus Græciam à Turcis occupatam fuiſſe conſtat.* Sed vt nullus diceret, res ipſa loquitur. Per occaſionem enim bellorum per Germaniam & Italiam, quæ à pontificibus Romanis [3] excitata ſunt, florentiſſimæ Aſiæ & Europæ regiones amiſſæ ſunt. ſeditiones etiam Guelphorum & Ghibellinorum ipſi pontifices fouerunt, & accenderunt. Dum Nicolaus 5. bellum geri in Italia neglexit; & regnum Conſtanti-

1 *Auentin. Annales, p.* 767.

2 *Lib. hiſt.* 14.

3 *Machiauel hiſtor. Florent. lib.* 1.

nopolitanum, quod tot annos ſteterat, & ipſa vrbs, quæ regni ſedes erat, amiſſa eſt. is enim dum opitulari [1] debuit oppreſſis, defe-ctionem à ſede Roman. obiecit; reliqui Itali propter inteſtina bella ſuccurrere laboran-tibus Chriſtianis non potuerunt. Æneas [2] Syluius *Latinorum ſumma infamia Conſtan-tinopolim amiſſam dicit.*

[1] *Platin. in Nicolao 5.*

[2] *In orat. de clad. Cōſtāt.*

Statuerat Carolus 8. Galliæ rex ſubacto regno Neapolitano exercitum in Græciam traiicere, & Turcis bellum inferre. quam i-pſius cogitationem præcipuè adiuuit op-portuna Gemis, qui Turcarum imperatoris frater erat, è Græcia fuga. habuit enim ille in regno Turcico multos amicos, & ipſius operâ ſperabant homines, magnum in Græ-cia motum excitatum iri. ſed omnem iſtam ſpem Alexander 6. papa præſcidit. ipſe enim magna pecunia à Turcarum imperatore [3] accepta, miſero adoleſcenti venenum pro-pinari fecit, & expeditionem illam præcla-riſſimam per ſummum ſcelus & perfidiam abrupit. Quinetiam, vt ſe à Turcis non pla-nè abhorrere oſtenderet, Maranos ſeu Ma-hometanos ex Hiſpania pulſos in vrbem Romam [4] recepit, & magnum ex eis vecti-gal collegit. Sunt etiam nonnulli, qui ipſum Turcarum auxilium aduerſus Carolum 8. Galliæ regem imploraſſe [5] ſcribunt.

[3] *Guicciard. hiſt. lib. 1. & Lonic. Turc. hiſt. lib. 1.*

[4] *Onuphr. in Alex. 6.*

[5] *Zegedin. in ſpecul. pōtif.*

Eugenius 4. importunè, & contra fidem datam, Ladiſlaum Poloniæ regem ad bel-lum contra Turcas gerendum concitans, memo-

memorabili illi Chriſtianorum cladi, quę ad Varnam accepta eſt; & quâ mirum in modum Chriſtianorum vires attritæ & afflictę fuerunt, cauſſam dedit: idque exemplo peſſimo. nō enim debuit pontifex, ſi verè Chriſtianus fuiſſet, periurio regem optimum alligare.

Calixtus 3. papa fœdus & amicitiam iniit cum Vſum Caſſano Perſarum rege, qui Mahometanus erat. *Inchoata*, inquit [1] Platina, *hac amicitia*, ſcz. cum Mahometanis, *quam nunc conſtanter Chriſtiani cum ipſo principe retinent*. vnde colligere licet, pontifices Roman. non tam propter religionem Chriſtianam, quam propter priuatas rationes Turcis eſſe inimicos.

[1] *In Calixto* 3.

Noſtræ autem & ſuperiores ętatis pontifices, dum miſeros Chriſtianos, Turca omiſſo, perſequendos cenſuerunt, multas dedêre & faciles Turcis victorias. Et primò quidem Belgradum, munitiſſimum orbis Chriſtiani propugnaculum, An. Dom. 1521, expugnatum eſt, pontifice vel rebus indormiente, vel de opprimendo Luthero cogitante. mox Rhodus inſula, & vrbs munitiſſima, quæque rebus Turcicis multos iam annos impedimentum attulerat, quæque facilè defendi potuit, ſi quis illi auxilium tuliſſet, ab omnibus deſerta & capta eſt. [2] Ludouicus etiam rex Hungariæ à rege Ferdinando deſertus, & à Papiſtis, qui regni eius ſucceſſioni inhiabāt, ꝓditus, vnâ cū exercitu

[2] *Litera Franciſci primi regis Galliæ, Sleid. lib.* 15.

à Solimanno Turcarum imperatore cæſus eſt. toto autem hoc tempore pontifex Rom. in homines Chriſtianos bellum parauit, & in auxilium Caroli Quinti duodecim peditum millia, & aliquot equitum turmas aduerſus Germanos miſit, qui aduerſus Turcas nunquam vel tertiam eius numeri partem miſit. atque ita dum incendium in Germania, Belgio, Gallia, & inter principes Chriſtianos pontifex excitat, via Turcis ad opprimendos Chriſtianos munitur. Quo autem tempore aduerſus Chriſtianos bellum geſſit [1] pontifex, *occultum habuit cum Turcis commercium, & Barbaroſſam per mare Tyrrhenum claſſe nauigantem non impediuit.*

[1] *Sleid. libr. hiſt. 21.*

Poſtremò multi Itali & Hiſpani ad Turcas quotidie [2] transfugiunt, & Templarii, ordo monachorum non obſcurus, ad Saracenos deficere voluiſſe [3] videntur. In media etiam Hiſpania multi occultè ſunt Marrani & Mahometani, qui etiam aduerſus Philippum ſecundum non ita pridem non contemnendas copias in aciem produxerunt. non eſt ergo mirandum, ſi minimè omniũ Hiſpani verę religionis lucẽ ferre poſſint, cum partim ſint Marrani, partim Papiſtæ, atq; iſti vno animo Chriſtianam fidem oppugnent. adeo autem Roma ipſa & Italia omni morum ſpurcitie & infidelitate olim deturpata erat, vt eam [4] Petrarcha cum Soldani regno compararet. *Non Italia hæc*, inquit ille, *ſed Syria & Memphis eſt.* In toto deni-

[2] *Mercur. Gallo-belg. & Pizarrius de bello Pannonico.*
[3] *Platina in Clemente 5.*
[4] *Epiſt. ſine nomine 19.*

denique hoc Giffordi & Reginaldi tractatu Turcæ partes papiſtarum, papiſtę Turcarũ partes defendunt: quod planè oſtẽdit, Turcas & Papiſtas pulchrè aduerſus veritatem conſentire. neq; enim verum aut veriſimile videtur, aliquẽ defenſurum dogma aliquod, quod non probat.

Cap. XIII.

Et Turcas & Papiſtas à priſca eccleſia Chriſti fide defeciſſe.

MIſerum eſt à via recta aberrare, præſertim verò vbi via ad ſalutem ducit. errare verò turpiter, & nihilominus ſe in via eſſe putare, illud omnino eſt miſerũ. nihil enim aliud ita errantes faciunt, niſi vt longum iter extra viam conficiant, & ſe inuentionibus ſuis fatigent, & animas ſuas denique miſeras in ęternum exitium præcipitent. Cum ergo hęc Papiſtarum conditio ſit; quem virum bonum & pium non eorum miſereat? negabunt proculdubiò illi ſe extra viam eſſe. ſed hoc etiam Turcæ negant. ipſi enim ſe Muſulmannos & rectè credentes vocant. quicunque autem à Chriſto diſcedunt, *qui via eſt & veritas*, eos in erroribus verſari, & errare neceſſe eſt. hoc autem & Turcis, & Papiſtis commune eſt.

Et de Turcis quidem non magna controuerſia eſt. eos enim cõſtat, neglectis ſcripturis ſacris, nouam ſibi legem, authore im-

pio illo Mahometo, condidiſſe. Prætereà licèt ſcripturas veteris Teſtamenti, reuereri velle videantur, tamen Mahometi ſcriptis eas poſtponunt, & ne mandata quidem decalogi integra [1] ſeruant. imo pro mandatis Dei, octo alia mandata Mahometi longè ab eis diuerſa ſubſtituerunt.

[1] *Antonin. Menauin. lib.2.*

Chriſti verò fidem funditus euerterunt. nam & paſſionem, & mortem eius, & ſalutem per eius merita negant. Præterea nouam ad cœlum viam per legem Mahometi oſtendunt. Poſtremò ex multis hæreſibus & confictis traditionibus religionem conſarcinatam habent.

Papiſtæ etiam ab auita Chriſti religione, & priſca Apoſtolorum & prophetarum diſciplina longè receſſerunt. primò enim alia habent fundamenta fidei, quam Apoſtoli, aut prima Chriſti eccleſia. id autem probatur primò, quia Scripturas & libros Apocryphos contra morem priſcę eccleſię in canonē [2] receperunt. nā non tātum libros *Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici, Sapiētiæ* & *Machabæorū*, ſed etiam librorum fragmenta, quæ Hebraicè nunquam ſcripta ſunt, pro canonicis habent. Probatur ſecundò, quia *traditionibus nō ſcriptis quas variè mutatas, & in certiſſimas eſſe certum eſt, parem authoritatem cum ſacroſanctis ſcripturis tribuunt, & eas verbum eſſe Dei* [3] *decernunt.* Probatur tertiò, quia Latinam veterem verſionem authenticam

[2] *Seſſ.3. concil. Trid.*

[3] *Ibidem.*

faciunt,

[1] faciunt, & ei plus honoris, quàm originalibus ſcripturis deferunt. probatur quartò, quia omnes pontificum Roman. interpretationes, quas illi in Scripturas ex cathedra, vt loquuntur, definientes edunt, vt verbum Dei agnoſcunt. Imo non alium Scripturarum ſenſum [2] probant, quàm ex eccleſiæ Roman. conſuetudine & more receptum. vnde ſequitur, tantam authoritatem decretalibus pontificum Roman. Epiſtolis deberi, quantam Scripturis ſacris. Probatur poſtremò, quia omnes eccleſiæ Roman. conſuetudines & leges recipiendas docent. tales verò libros apocryphos, talesque traditiones pro verbo Dei priſca eccleſia non agnouit. præterea talem verſionem, & tales decretales, definitiones & conſuetudines pro eccleſiæ & fidei fundamento non habuit. ſe enim primi Chriſtiani *ſuperædificatos ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari Ieſu Chriſto,* [3] *intellexerunt.*

1 Ibidem.
2 Ibidem.
3 Epheſ. 2

Præterea alia habent dogmata à priſcæ eccleſiæ ſententia alieniſſima. angelos enim colendos docent, nuptiasque in ſacerdotibus, & cibos quoſdam prohibent. dies, & menſes, & annos, & tempora obſeruant. neque deterret eos, quod vel Apoſtolus aliter docuit, vel quod tales pro hæreticis olim habiti ſunt. Angelici enim, quod angelos coleret, Manichæi quod electis ſuis

nuptias & cibos quoſdam prohiberent, & carnes magis impuras, quam piſces cenſerent; Nazaręi quod feſta legalia ſeruarent, antiquitus hæreſis condemnati ſunt.

Multas etiam hæreſes à Chriſti eccleſia olim damnatas, poſtliminio reuocarunt, cum Collyridianis Mariam virginem, cum Staurolatris & Armeniis crucem, cum Simonianis & Carpocratianis, & Armeniis imagines ſanctorum colunt. cum Eutyche & Marcione humanam in Christo naturam deſtruunt. cum Pelagio limbum, & operum iuſtitiam introducunt. cum mirabiliariis miracula cudunt. cum Nazaræis legales cęremonias obſeruant. cum Priſcilliano fidem datam flocci faciunt. cum Nudipedalibus nudis ambulant pedibus. cum Meſſalianis *pater noſter, & aue Maria*, millies ingeminant. cum Marcitis tranſubſtantiationem credũt, aliaq; multa ab aliis hęreticis mutuati ſunt.

Quid, quod præter ſordes ex ſentina aliorum hæreticorum hauſtas, ipſi colluuiem nouorum dogmatum in eccleſiam introduxerunt? neque enim apoſtolica eccleſia ex pręuiſis operibus homines ad ſalutem prædeſtinari; nec monaſticis votis & lotionibus aquæ luſtralis peccata deleri; nec pios poſt hanc vitam purgatorii flammis torreri, nec perfectionem vitæ Chriſtianæ in votis monaſticis conſiſtere, nec pontificem Romanum

manum ſummum eſſe eccleſię monarcham, & ſummum controuerſiarum iudicem; & principes vel deponere, vel trucidandos aliis obiicere poſſe, nec alia multa, quæ papiſtę nunc obfirmatè credunt, docuit aut exiſtimauit.

Tertiò ſacramenta veteris eccleſiæ papiſtæ aut antiquarunt, aut mutarunt. Calicem enim omninò populo abſtulerunt, & ſacrifici in euchariſtia cœnant ſoli, cæteros ieiunos & inanes dimittunt. iidemque & panis, & vini ſymbola dicunt aboleri. præterea in Cœna Domini nouum apparatum, in baptiſmo prorſus nouas cæremonias inſtituerunt. Iidem etiam ex matrimonio, ordine, confirmatione, & pœnitentia ſacramenta fecerunt, & extremam vnctionem non tantum contra morem eccleſiæ introduxerũt, ſed etiam in numerum ſacramentorum retulerunt.

Quartò nouum D E I cultum inſtituerunt. neque enim cum miſſalibus, aut breuiariis aliquid habuit vetus eccleſia commune. non reperiuntur in antiquis libris ritualibus, vel tam operoſæ cæremoniæ, vel tantus altarium & ſacrificorum apparatus, vel tot preces ad ſanctos iam defunctos & diuam virginem, vel tot miſſę & ſacrificia in honorem ſanctorum.

Quintò, nullæ in Apoſtolica eccleſia admiſſæ ſunt legendę mendaces, vel commen-

titiæ fabulę, talia enim ſcripta, illa velut apocrypha repudiauit.

Poſtremò, vetus eccleſia ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis pendebat. ſynagoga aũt Rom. ex ore pendet pontificis Roman. eius nunc decretales, & leges obtinent, nec contra eius voluntatem mutire licet. Atque ita commutata eſt tota priſcæ eccleſiæ diſciplina, & noui introducti mores: quod & ipſi Papiſtæ animaduerterunt. Nicolaus [2] Machiauellus dicit *miracula modernæ Eccleſiæ pugnare cum antiqua eccleſiæ fide, & ex mutatione Chriſtianæ religionis magna ſcandala, & diſcordias ortas eſſe.* nec veriſimile eſt falsò eum ad Clementem Septimum ſcribere voluiſſe. Similiter [1] Guicciardinus affirmat authoritatem Chriſtianæ religionis valde labefactatam eſſe, eo quod eccleſia à priſcis moribus declinaſſet. Quid quod Duarenus, canonici iuris non malus interpres, vel inuitus cogitur fateri, & mores hominũ eccleſiaſticorum & canones, ab antiqua diſciplina longè diſcrepare? *Illud,* [3] inquit, *fateri vel inuiti cogimur, mores hominum eccleſiæ titulo inſignitorum ita paulatim degeneraſſe, ut poſteriores conſtitutiones pontificum ferè anterioribus cedant, ac de eis meritò dici poſſe videatur, quod ſcribit Homerus;*

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατέρι πέλονται
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

[1] *Lib. 1. hiſt. Florent. ad Clement. 7.*

[2] *Lib. 2.* le coſe della chieſa allontanateſi totalmente dalli antichi coſtumi faceuano ogni di minore l' authoritat. della Chriſtiana religione.

[3] *In præfat. in libr. de eccleſ. miniſt. & benef.*

Con

Confeſſus eſt etiam [1] Adrianus Sextus, *plurimis nunc annis grauiter, multisq; modis peccatum eſſe Romæ, & inde a pontificio culmine malum hoc atque luem ad inferiores omnes eccleſiarum præfectos defluxiſſe. neminem enim eſſe, qui ſuum faciat munus, aberraſſe omnes, & ne vnum quidem ex omni numero vacari culpa.* [1] *In formula legationis Adriani ſexti ad Ger.*

Cardinales nonnulli à Paulo Tertio delecti, inquiſitionem Romæ ſatis negligenter facientes, retulerunt tamen multa ibi contra antiquos mores ab omnibus ordinibus fieri. Pighius [2] fatetur multos errores in Miſſam irrepſiſſe. Gerardus Lorichius agnoſcit multa in eccleſia malè fieri. [3] Ordines Germaniæ in decreto Interim probarunt coniugium ſacerdotum, & communionem ſub vtraq; ſpecie: quod ſanè illi nunquam feciſſent, niſi planè in eo ab antiqua diſciplina diſceſſum ſtatuiſſent. Non tantum ergo nobis, ſed ſuis, imo & experientiæ repugnant, qui negant Papiſtas ab antiqua Eccleſiæ fide diſceſſiſſe.

[2] *De Miſſa.*

[3] *Sleid. libr. 20.*

Cap. XIV.

Papiſtas in nonnullis longius, quàm Turcas à fide diſceſſiſſe.

NOs ſanè non tantum erraſſe eos, ſed etiã fœdius q̃ Turcas in nonnullis plapſos eſſe affirmamus. Primò, de ſcripturis ſacris honorificè loquuntur Turcæ, eaſque magna

veneratione tractant. *inter ſacras literas*, inquit [1] Antonius Geufreus, *habent noſtra euangelia.* at homines pontificii malè de eis loquuntur. Scripturas enim appellant *naſum cereum*, & *atramentum nigrum*, & *literam mortuam*, & *materiam litis*, & *fontem hæreſeon*. ideoque eas oderunt, & contemnunt, & refugiunt, & à Scripturis ad pontificum decretales, & hominum interpretationes confugiunt.

[1] *De Turc. morem. lib. 2.*

Blaſphemantes CHRISTVM Turcæ non ſecus caſtigant, quam ſi Mahometum blaſphemaſſent. at pontifices Romani ob dictum contra ſe pœnam irrogant mortis: Chriſtum verò à ſuis fœdiſſimè lacerari & blaſphemari permittunt. neque enim ſine iuramento papiſtæ loqui ſolent. Carolus nonus rex Galliæ vni ſæpe verbo multa adhibuit iuramenta. vulgo Chriſtum in partes diſcerpentes tanquam Bacchæ Pentheum, per ſingulas eius partes deierare & blaſphemare ſolent.

Nunquam adeo impudentes erant Turcæ, vt ſe Deum ſuum ore corporali comedere poſſe exiſtimarent. at papiſtæ, quod dictu fœdum eſt, aſſerunt ſe Deum ſuum & creatorem ore corporali comedere, & deglutire. panem enim in corpus Chriſti tranſubſtantiari, & diuinitatem per concomitantiam adeſſe. quod adeo abſurdum viſum eſt Turcis, vt Auerroes nullam ſe religionem

gionem magis ineptam & fatuam vidiſſe quàm papiſticam aſſerat.

Turcæ non negant Chriſtum verè fuiſſe hominem, & naturam habuiſſe humanam. at papiſtæ, quotquot tranſubſtantiationem in ſacramento Cœnæ Domini probant, prorſus tollunt & deſtruunt humanam eius naturam, dum corpus ei tribuunt ſine dimenſionibus, & loci iuſto ſpatio, & ſpatii & loci certitudine: quod etſi videri non poſſit, tamen in infinitis locis ſimul adeſſe poteſt. cuiuſmodi corpus nullus vnquam habuit, aut habere poteſt. quid quod data tranſubſtantiatione, nec vbiquitatem corporis Chriſti, quam oppugnare velle videntur, vitare poſſunt? nam omne corpus continuum eſt: &, ſi continuum ſit, erit corpus Chriſti tam in medio ſpatio, quam in locis illis omnibus, vbi hoſtiæ ſeruantur.

Turcæ [1] aſſerunt *perfectionem contineri in euangelio*, & in eo omnem religionem cõtineri, vt ipſe [2] Giffordus aſſerit. at longè aliter Papiſtæ. nam monachi in ſuis regulis, & votis ſtatum perfectionis conſiſtere [3] dicunt. [4] Homines Tridentini religionem in ſcripturis perfectè contineri negant. pariter enim Scripturas, & traditiones efficere verbum Dei, & pari affectu ſuſcipiendas eſſe.

[1] *Poſtel. hiſt. de Turc.*
[2] *Libr. 3. c. 9.*
[3] *Bellarm. libr. 1. de monach.*
[4] *Seſſ. 3.*

Illi [5] aſſerunt *alios in æterna beatitudine collocari, alios ad inferos damnari*: quod et-

[5] *Poſtel. hiſt. de Turc.*

[1] *Lib. 4. Calvinot. c. 9.* iam [1] Giffordus non negat: tertium verò locum non credunt. at Papiſtę non tãtum purgatorium excogitarunt, vbi animæ piorum grauiſſimis pœnis affligũtur, ſed etiam limbum patrum apud inferos, & puerorum nõ baptizatorum extra inferos & cœlos, neſcio vbi: quod vel Turcis abſurdum videri neceſſe eſt.

[2] *Antõ. Menauin. de relig. Turc. Cuſpinianus.*
[3] *Seſſ. 8.*
[4] *Zegedin. in ſpecul.*

Neque ſanè [2] dubitant Turcæ de animæ immortalitate, aut vita futura, at Papiſtæ multi dubitant, nonnulli apertè negant. idcirco in concilio [3] *Lateranenſi* decretũ edidit *Leo* decimus, *ne quiſquam contra animæ mortalitatẽ diſſereret aut eã mortalẽ crederet.* leges aũt contra ea quæ plerumq; fieri ſolẽt, ſtatuuntur. ipſe etiam *Leo*, euangelium pro fabula habuiſſe, & de animæ immortalitate dubitaſſe [4] dicitur. Clemens ſeptimus qui in omni vita de animę immortalitatę dubitauerat, moriturus dixit ſe breui comperturum, an immortalis eſſet. quod Ioannes vigeſimus tertius *Balthazar Coſſa* dictus, animæ immortalitatem negaret, locupletiſſimi teſtes [5] probarunt in concilio Conſtanţienſi. Certè qui Deum negant, animæ immortalitatem credere non poſſunt. at multos pontifices atheos fuiſſe conſtat.

[5] *In appendice ad concil. acta.*

[6] *De morib. Turc. lib. 1.*
[7] *In Elench. Iſmaelit.*

Legem Dei de non faciendis & colendis ſimulachris, & ſculptilibus diligenter ſeruant Turcę. *Habent Turcæ*, inquit [6] Bartholomæus Georg. *templa ſatis ampla, in quibus nullas imagines vidi.* hoc etiam [7] Euthymius Ziga-

Zigabenus ſignificat. eos enim qui imagines colunt, idololatras vocant Turcæ. at apud Papiſtas templorum ſuorum omnes angulos ſtatuis ſculptilibus, & picturis repletas habent. Iidem quo minus à populo reprehendantur, ſecundum mandatum legis Dei, quod eſt *de non colendis ſimulachris*; in catechiſmis ſuis, aut deleuerunt, aut ſaltem ſilentio præterierunt.

Turcæ licet Deum fingant corporeum; tamen nullum eius ſimulachrum fieri permittunt. at Papiſtę, licèt ſpiritum eſſe norũt, tamen ei corpoream in ſtatuis & picturis figuram tribuerunt.

Illi Mahometum ſuum, prophetam tantum & Heroem appellare ſolent. iidemque Coſdroem, vt refert [1] Nauclerus, idcirco victum putant à Romanis, *quod ſe Deum dixiſſet.* at Papiſtæ papam vt Deum colunt, eiuſque legibus tanquam Diuinis parent, & pontifices Rom. ſe Deos appellari [2] ſinunt, & gaudent. *Satis oſtenditur*, inquit papa, *a ſeculari poteſtate nec ligari prorſus, nec ſolui poſſe pontificem, quem conſtat a pio principe Conſtantino Deum appellatum, cum nec Deum poſſe ab hominibus iudicari manifeſtum ſit.* Vnde Auguſtinus Steuchus de donatione Conſtantini: *audis*, inquit, *ſummum pontificem à Conſtantino Deum appellatum, & habitum pro Deo*? ita [3] Baldus: *Papa*, inquit, *eſt Deus in terris.* multaque in eam ſententiam afferri poſſunt.

[1] *Naucler. generat.* 22.

[2] *Diſt.* 96. *c. ſatis.*

[3] *In l. vlt. C. ſentent. reſcind.*

Mahometus, & eius ſucceſſores nuſquam ſe adorari paſſi ſunt: neque ſuum iudicium infallibile eſſe dixerunt. at pontifices Rom. fuſtibus cædunt, qui ſe prętereuntibus, non procidunt adorabundi, & ſummis principibus præbent pedes ſuos oſculandos. iidemque quaſi plus quàm homines eſſent, ſe errare non poſſe definiendo de fide, iactant.

Nullum Turcæ ex ſuis ſacerdotibus excoriaſſe leguntur, at [1] Iohannes vigeſimus ſecundus epiſcopo Caturcenſi viuo pellem detraxit.

1 Platina in eius vita.

[2] Mahometus imprudens in euangelio dixit eſſe *viam, lucem, & iuſtitiam:* at de euangelio papiſtæ ſæpe malè loquuntur. Leo decimus non aliter de eo, quàm de fabulis exiſtimaſſe dicitur. libros euangelii non aliter authenticos eſſe docent, quàm propter eccleſiam. Iuſtitiam aſcribunt obœdientiæ non tantùm legis Dei, ſed Decretalium pontificis.

2 Zigaben. in Elench. Iſmaelit.

Mahometus tantùm *centum & tredecim* [3] *conſcripſit fabellas.* at ſecta papiſtica legendas habet, & volumina plena fabularum & mendaciorum. eâdemque hiſtoriam omnẽ eccleſiæ operâ Cæſaris Baronii fabulis & mendaciis corrupit, imo & breuiaria & miſſalia multas fabuloſas continent narrationes.

3 Ibidem.

[4] Turcæ vnum tantùm, aut alterum habent locum, quô religionis nomine peregrinari

4 Septẽcaſtr. de rel. Turc. c. 14. & Anton. Menauin. c. 15.

grinari ſolent. præterea vno tantum anni tempore iter ſuum ingredi ſolent. at papiſtæ in omnibus terris, & ferè angulis, idoleia, & Sanctorum ſuorum monumenta & reliquias viſitant.

Illi [2] peregrinantes ad templum Mahometi humaniter tractant. Soldanus eis antiquitus & commeatum, & præſidium mittere ſolitus eſt. ſacerdotes Turcici nihil à peregrinis expectant aut exigunt. At apud papiſtas, ſæpe à latronibus ſpoliantur; qui autem latronum euadunt manus, ſacrificorum artificio & aſtutiâ expilantur. hæc enim omnia in eorum rem & primò inuenta, & poſtea retenta ſunt. 2 Ibidem.

Ieiunia etiam Turcarum propius ad formam priſcæ eccleſię, quã papiſtica accedunt. Illi enim totos ſæpe dies verè ieiunant, & ante veſperam nihil guſtant. *Die ieiunii* inquit [3] Septemcaſtrenſis, *abſtinent ab omni genere cibi & potus*. Papiſtæ verò pulchrè ſe ieiunaſſe putant, licèt vinum infundant, & piſcibus electis, & cibis delicatiſſimis veſcantur poſt meridiem. 3 De relig. Turc. c. 14.

Apud Turcas, ſacerdotes ſummo in honore habentur: neq; quicquam videtur turpius, quàm vt mendicent panem. at ſacrificis papiſticis nihil vilius, nihil contemptius. & fratres mendicantes, quibus verbum prædicarunt, ab eis ſtipem rogant. nec pudet illos oſtiatim panem quęrere. inſtar canum etiam caudis abblandiuntur illis, à quibus cibũ ex-

ſpectant famelica hominum natio, rapax, trahax, & niſi aliquid des, acerba & maledica.

Apud Turcas denique omnia religionis capita certa ſunt, nec poſſunt quæ ſemel rata ſunt, mutari. quod & Giffordus & Reginaldus concedunt. At apud papiſtas, omnia ex arbitrio pontificis pendét, hunc pro ſummo iudice, pro eccleſiæ capite, pro ſupremo monarcha, imò pro Deo habent. quid ergo ſi hic eorum Deus decreta prædeceſſorum ſuorum refigeret? num non eius ſententiæ ab omnibus adhęrendum cenſent? certum eſt. at ne hoc fieri non poſſe aſſerant, nos illud ſæpe factum videmus. nam Sabinianus & libros & acta Gregorii tollere ſtatuerat, & decreta Formoſi alii pontifices abrogarunt, atque hoc illis temporibus ſolenne fuiſſe, docet Platina.

[5] Lib. 3. Caluinot. c. 11.

Cap. XV.

Quod Turcæ clementiores ſe præbeant Chriſtianis, quàm Papiſtæ.

SÆua ſanè & crudelis eſt gens Turcica, eamque Deus ad hominum ingratitudiné caſtigandam excitaſſe videtur: aduerſus Chriſtianos tamen in regno Turcico viuentes, & ſibi tributum pendentes, multo maioré clementiam & humanitatem, quàm papiſtæ oſtendit. Mahometus enim reconciliationi cum Chriſtianis locum relinqui iubet. καταλλάττεσθαι κελεύει παρακαλούντων χριστιανῶν, inquit [1] Zigabenus. [2] vetat etiã, *ipſos adigi ad religioné ſuã.* imò

[1] In Elench. Iſmaelit.
[2] Ibidem.

imò Chriſtianis ſub iugum redactis, Turcæ nunc & templa, & ſacerdotes & cæremonias, & ſacra ſua permittunt. ideo multi per Aſiam & Europam in regno Turcico sũt Chriſtiani, qui liberè profitẽtur religionem Chriſtianam, & more aliorum Chriſtianorum Deum colunt.

At contra fit apud papiſtas. pontifex enim Rom. nec pacem, nec fœdus cum piis ictum ferre poteſt. apud eum enim eſt [a] *Habitaculum leonum, & paſcua catulorum leonum.* [a] Nahum. 2.

Hunc, vt inquit poeta, *lapis & montes, innatáq; rupibus altis*
Robora, hunc ſaua progenuere feræ.

Imò, vt ex diabolo, qui homicida erat ab initio, ſe eſſe oſtendat, nulla re magis delectatur, quàm exitio piorum. Similiter papiſtæ omnes nullam nobiſcum tranſactionem probant; nullam fidem ſeruant. imò in conuenticulo Conſtantienſi aduerſus Chriſtum conſpirantes, nullam fidem hæreticis ſeruandam eſſe declararunt. per hæreticos autem horum temporum, illi ſemper ferè viros pios & orthodoxos intelligunt. atque ita fide violata, crudeliſſimo exemplo, Ioannem Huſſium exuſſerunt. iidemque ferro & flammis omnes pios perſequuntur. Innocentio tertio, eiuſque miniſtris claſſicum canentibus, Albingenſiũ multa millia trucidata ſunt: tantáq; belluarum iſtarum erat crudelitas, vt nec ætati, nec ſexui parceret ẽt,

InBohemos totus orbis ſeditioſis monachorum concionibus concitatus eſt. ſed verſa eſt in authorum capita calamitas. ipſi enim fortiſſimè prẹliantes quinque præliis victores euaſerunt.

Ne autem quiſquam impetu & ira potius, quam toto vitæ inſtituto crudeles fuiſſe putet, leges aduerſus nos edidère, Draconis & Zaleuci legibus, quæ ſanguine exaratæ dicuntur, rigidiores. Eos enim bonis[1] euertũt, honoribus exuunt, carcere affligunt, tormétis excruciant, flammis denique tradunt exurendos, adeóque hæc præclarè fieri putãt, vt parentes à filiis, filios à parentibus, amicos ab amicis tradi & excarnificari faciant. illos qui miſeros ad ſe recipiunt, aut aliqua re iuuant, eiſdem pœnis percellunt. Carnificibus qui pios crudeliter perſequuntur & mactant, peccatorum remiſſionem, & vitam æternam [2] promittunt. Præter leges communes, ex mandato pontificis, & Hiſpaniæ moribus, quæſtio in Chriſtianos exercetur nouo & inaudito crudelitatis & iniuſtitiæ exemplo. Eam vulgo Inquiſitionem vocant, ipſi papiſtæ, propter ſummam crudelitatem, ab ipſo nomine abhorrent.

[1] c. ad abolend. de hæretic.

[2] Excommunicam⁹, §. Catholici, de hæreticis.

Secundum leges & mandata pontificum Rom. gẽs papiſtica aduerſus homines innocentiſſimos debacchata eſt. ad iugulandos Chriſtianos in Germania ex vltima Hiſpania accerſiti ſunt Mauri & Marani, & ingens deploratiſſimorum hominum colluuies. Paulus

lus tertius ſicariorum duodecim millia eis adiunxit. eius [3] nepos tantum ſe hauſturum ſanguinis minatus eſt, vt vel equus ipſius in ſanguine occiſorum natare poſſet. omnes magnis emiſſis minis, in Germaniam bellum aduerſus pios geſturi, profecti ſunt, & ſtragem quantum potuêre, fecere maximam.

3 Cardinal. Farneſ.

Poſtquam Henricus octauus inuictiſſim

Poſtquam Henricus octauus inuictiſſim° Angliæ rex, excuſſo ſeruitutis pōtificiæ iugo, & ſe, & populum ſuum in libertatem vindicaſſet; [4] miſſus eſt Cardinalis Polus ad vniuerſos principes Chriſtianos, vt eos in regem & populum Anglicanum accēderet, ipſe interim Polus ſcriptum aduerſus ipſum aculeatum emiſit. & Paulus tertius fulmine ſuo triſulco eum petiit, & diris deuouit. horum molitionibus & diris excitatus populus grauiſſimè tumultuari cœpit. nihil ſanè aliud pontifex ſpectauit, niſi vt vel bello externo, vel ſeditione inteſtina, vel rebellione, aut perfidia piis noceret. ſed Deus huius crudelis feræ impetum repreſſit, ne noceret.

4 Ex literis Cutbert. Tonſtal.

Temporibus vero Mariæ Angliæ reginæ infeliciſſimis, recuperato regno pontifex iterū ſæuire cœpit. pariter .n. docti & indocti, ciues & ruſtici, ſenes & pueri, viri & fœminæ ad ſupplicium rapiebātur. contra omnes qui veram religionem vel leuiter guſtaſſent, ignes accenſi ſunt. adeoque difficiles ſe præbuêre papiſtæ, vt non contenti bonis & exilio piorum, in corpora eorum crudeliter ſæuierint.

Nuſquam tamen noſtri crudelius & inhumanius, quàm in Gallia tractati ſunt. nã prçterquam quod iudiciis multi condemnati, & poſtea ſupplicio affecti ſunt: ſæpe populari ſeditione, ſæpe militari impreſſione aliquot vno tempore hominum millia cæſa ſunt. neque hoc iure belli, ne quis hanc excuſationem opponat, ſed per ſummum ſcelus, & inauditam papiſtarum perfidiam. Vaſſiaci, ductore Guiſiaco, in templum [l]ingreſſi milites in homines inermes, & nihil minùs expectantes irruentes, miſerandam edidere ſtragem. vna cum viris cæſi ſunt pueri, & aliquot fœminæ. ille velut præclarè re geſtâ ouans, ſuo exemplo & hortatione alios ad idem perpetrandum induxit. eius exemplum ſequutus purpuratus, & purpureæ meretricis ſeruus Cardinalis Guiſius, velut egregius carnificum dux, in Senonibus multo maiorem ſtragem edidit. Horum vocibus & audacia alii confirmati paſſim in Gallia multos pios viros, nudos, & inermes, & nihil tale ſuſpicantes, trucidarunt. Anno 1572. in funeſtis regiæ puellæ nuptiis, multa piorum millia inaudito crudelitatis & perfidiæ exemplo trucidata ſunt. viri, inquam, ſimplices & imperiti, iuramentis & fœderum ſanctitate decepti, in plagas ſe coniecerunt. nec quicquam piis vel virtus, vel doctrina, vel ſexus, vel ætas, vel amicitia, vel cum papiſtis affinitas & cognatio profuit. omnes vnà cō-

[l] Iuſtinus Goblerus & Popeliniere.

tra

tra iuramentum & fidem datam populariter cæſi ſunt. eodem tempore per reliquas Galliæ vrbes circummiſſi ſicarii, homines innocentes, & nullius criminis conuictos mactarunt. adeoque hoc placuit pontifici Romano, vt rem omnem geſtam in aula ſua depingi, & in acta referri, cædemque hanc ſumma lætitia celebrari mandarit.

In Belgio nullum crudelitatis genus dux Albanus, eiuſque auſpiciis militantes Hiſpani omiſerunt. cædibus, rapinis, incendiis magnam florentiſſimæ eius regionis partem ad vaſtitatem redegerunt. vrbes deſertæ, terra inculta iacet, mercatura ceſſat, celebertrimumque illud totius orbis emporium Antuerpia, à Chriſtianis deſertum, à Maranis nunc & aliis ignauiſſimis hominibus eis ſeruientibus habitatur.

In Anglia etiam & Scotia, ſæuitiæ noua exempla edere ſtatuerant. ſed Deus nos ab vnguibus leonum hactenus liberauit. pulſi ſunt è Scotia Galli, qui ibi carnificinam exercere cœperunt. fuſi ſunt hoſtes qui piis exitium moliebantur. in Anglia cæſi ſunt coniuratorum copiæ, & ſicariorum & veneficorum à pontifice & Hiſpanis conductorum detectæ inſidiæ. Hiſpanorum etiam inuicta claſſis fracta & diſiecta, re infecta, fugâ patriam repetiit. omnes deniq; ipſorum conatus irriti fuêre.

Nihil eſt tamen, quod vel pacem futuram vel fœdus coiturum ſperemus. neque enim lupi cum agnis fœdus ſeruant. omnes papiſtæ in ſynodo Tridentina aduerſus nos coniurarunt. pacta reges Galliæ, & Hiſpaniæ de extirpandis nobis omnibus Baionæ confirmarunt. eius fœderis quod anno 1585. contra nos initum fuit, hæc fuêre ſumma capita: *Rex Hiſpaniæ in regem Nauarrenum impetum faciet. duces Sabaudiæ, & Ferrariæ, adiũcto Germanico equitatu, bellum in Galliam transferent. Germani auxilia Chriſtianis in Gallia laborantibus ſubmitti prohibebunt. Heluetios reliquos, pagi papiſtici opprimẽt. Lutheranos (*vt vocat*) vbique trucidabunt. monachi tanquam in bellum ſacrum nomina dabunt. ſtipendium pontifex & Hiſpanus perſoluent.* atque vt parcere nobis vellent principes, hoc tamen eis per ſeditioſos monachos, & ſacrificos non licet. *Accingatur*, inquit [1] Andreas Fabritius, *gladio ſuo ſuper femur potentiſſimus imperator, hæreticos & Chriſtiani nominis hoſtes pernitioſiſſimos ſub iugum mittat.* Pius [2] quintus militibus ſuis in Galliam profecturis præcepit, *Vt omnes trucidarent, nullum viuum caperent.* idemque valde iratus eſt, quod cuidam nobili captiuo pepercisſent. Poſſeuinus Iebuſita bilioſus, in libello quodam Italico milites Pii quinti in Galliam profecturos alloquens [3] dicit, *eorum officii eſſe, vt omnes Proteſtantes occidant, alioqui eos & fidẽ & ſalutem amiſſuros.* hoc Iebuſitæ omnes clamant,

[1] In præfat. in Harmon. Auguſtan. confeſſ. 1576 edit.

[2] In vita Pii quinti.

[3] Il ſoldato Chriſtiano.

clamãt, hoc moliuntur, hoc agunt. rectè ergo in eos conuenit, quod temporibus Innocentii tertii, Matthæus Paris cęlitus ad Chriſtianos ſcriptum narrat. *Vidua & orphani ad vos clamãt quotidie, quibus nullam facitis miſericordiam. pagani habent miſericordiam. at vos non habetis.* Papiſtæ pios cremant, trucidant, variis cruciatibus torquent. At Turcæ nihil tale agunt. principes Turcarum non iugulant ſubditos. milites in homines inermes non irruunt, nõ iugulant ſenes & infantes. pactis & periuriis in fraudem non illiciunt. aduerſus homines pacificos, & legibus parentes non coniurant, nec bella gerunt. quod ſi ergo nolint papiſtæ Chriſti, & Apoſtolorum, & Chriſtianorum veſtigiis inſiſtere; at pudeat eos ſe Turcas & infideles ſæuitiâ & omni crudelitatis genere ſuperare.

Cap. XVI.

Turcas, religioſius quàm papiſtas, fidem colere.

ETſi fidem præſtare non ſoleant, niſi qui rectam tenent fidem: ex duobus tamen perfidiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus, fidem minus ſeruant Papiſtæ, quàm Turcæ. iſti enim nunquam docuêre fidem eſſe frangendam: neque ſane ſemper eam negligunt. Solimannus enim, capta Rhodo, ciues & milites ſumma fide conſeruauit. idem etiã prę-ſtitit capto Belgrado, & aliis in locis. At papiſtæ contra, fidem non eſſe nobis ſeruã-

dam docent. Iidem etiam cum ſeruatur, dolent, omnibuſque modis eam violare conantur. De eis ergo rectè monachus quidam olim rhythmiſauit:

Multis inquit ille, *annis iam peractis, nulla fides eſt in pactis.*
Mel in ore, verba lactis; fel in corde, fraus in factis.

Sed hoc multis exēplis confirmari poteſt. Fidem dedit Carolus quintus Luthero tutò ipſum ad ſe accedere, & inde recedere poſſe; ſed valde inſtabant apud ipſum papiſtæ vt eã violaret, & quod ſeruata eſſet, dolebant.

Henricus tertius Galliæ rex multâ experientiâ & rerũ vſu edoctus, bello nihil aduerſus noſtros profici, pacem tandem ſeriò ſeruare decreuit: ſed adeo hoc papiſtis moleſtũ erat, & graue; vt coniuratione facta, bello tãdem eum perſequerentur, & tandem ſicario ſubmiſſo interficerent.

Homines Tridentini publica fide omnes ad ſynodum vocabant, eiſq; tutum acceſſum & receſſum promittebant.[1] excluſus eſt tamẽ Vergerius è concilio, pontificis mandato: & epiſcopis quibuſdam liberius loquentibus[2] timor iniectus, & noſtris omnibus contra fidem datam, cauſæ cognitio negata.

Philipp⁹ Hiſpaniæ rex, quo tempore primũ Belgii gubernacula ſibi à patre in manus tradita ſuſcepit, ſe libertates & priuilegia ꝓuinciarum Belgicarum cõſeruaturum[3] iurauit, poſtea tamen externos milites, & exter-

nos

[1] Sleidan. lib. 21.

[2] Ibidem lib. 23.

[3] Ludouic. Guicciard. de paeſi baſſi.

nos iudices contra iuſiurandum in Belgiummiſit. pręterea viros nobiles interfècit, & præſidia vrbibus impoſuit, & grauiſſima tributa exegit, & eccleſiaſtici regiminis formã mutauit, multáq; alia contra leges patrias, & iuramentum præſtitum fecit. Hinc illæ Belgii calamitates enatæ ſunt, quarum adhuc nullum exitum videmus. Facta quidem eſt pax inter regem & ordines prouinciarum Gandaui, anno 1576. eamq; rex[1] ratam habuit, & iuramento firmauit: non multò tamen pòſt, quaſi omnia pacta in aqua ſcripta eſsēt, bellum redintegrauit, & fidem neglexit. erat ei etiam vſq; ad annum 1576. pax cũ Elizabetha Angliæ regina iureiurando confirmata. idem tamen ab anno 1567. conſilia de bello Anglis inferendo cum pontifice Rom. communicauit, & transfugis & hoſtibus reginæ honores exhibuit, & ſeditioſis quibuſdã Anglis aduerſus ipſam pecuniã miſit, & decem millia peditũ, duce Chapino Vitellio, auxilio eis mittere[2] ſtatuerat, & feciſſet, niſi maturè ſeditioſi cõpreſſi fuiſſent. Quomodo autem iſta facere, & amicitiam ex fide colere potuerit, dicant papiſtæ, qui hęc ad officiũ catholici regis pertinere dicunt. anno demum 1588. dum pacem ſe cupere ſimulauit, & ea de re ampliſſima mandata ad ducem Parmenſem dediſſet, claſſem & exercitũ aduerſus nos inſtruxit, vt facilius imparatos opprimeret.

Similiter Galliæ reges fidem noſtris datam fefellerunt, ſæpius pax facta eſt, ſemper

1 Dinothus de bello Belgic.

2 In vita Pii quinti, authore Hieronym. Catena.

tamen ab eis violata. tandem anno 1572. maximis iuramentis & cæremoniis inter Carolum nonum regem Galliæ & noſtros, pax firmata eſt. quo tēpore etiam cum regina Angliæ rex fœdus renouauit, &, vt putabant omnes, firmum eſſe cupiebat. nihil aliud tamen hac pace, hoc fœdere, his cæremoniis & iuramentis voluit, niſi vt noſtros, iuramentis deceptos, in plâgis impediret & opprimeret. quod & triſtis experientia verum eſſe docuit. periurio enim deceptus Admirallius, & multi alii viri fortes, inaudito perfidię exemplo in funeſtis regis Nauarræ & Margaretæ Valeſiæ nuptiis circumuenti, & cōciſi ſunt. Quod ergo de Thracibus olim [2] dictum eſt, *eos fœdera neſcire*, hoc verè in papiſtas quadrat. ipſis enim *ira grauis, fides pluma lenior eſt*. Gregorius ſeptimus poſt eiuratum papatum, contra iuſiurandum [2] papa factus eſt. idem ſubditos, vt contra imperatorem arma caperent, contra fidem datam incitauit. Paſchalis ſecundus pacem iuramento ſolenni confirmatam, mox è manibus elapſus, irritā fecit. Fridericus ſecundus Gregorium nonū accuſabat, quod *perfidiam & periurium doceret*. eodē nomine Carolus rex Galliæ Gregorium duodecimum & Petrū de Luna grauiter reprehendit, vt eſt apud [4] Theodoricum Niemenſem, *Violauerunt*, inquit ille, *fidem, fregerunt votum, promiſſum non tenuerunt, & ſponſam Chriſti ante pedes ſuos vidētes poſtratam, eidem manus releuatrices, quas facili-*

[2] Θρᾷκες ὅρκια οὐκ ἐπίστανται.

[3] In litteris ad Richard. Cornub. Matth Paris in Henr. 3.

[4] Tract. nemor. vnion. 6. c. 14.

faciliter exhibere poterant, denegarunt. Eugenius quartus Ladiſlao Polono author [5] erat, vt fœdus cum Turca initum reſcinderet: vnde clades Varnenſis conſequuta eſt. de Alexandro ſexto ſcribit Onuphrius, *perfidia ipſum plus quam Punica fuiſſe.* [1] Iulius ſecundus iuſiurandum Borgiæ & Gallis datum ne pili quidem fecit. Leo [2] decimus euocatum ad ſe Paulum Baglionum contra fidem datã interfecit. Clementem ſeptimum *nullam fidei rationem* [3] *habuiſſe* locuples teſtis dicit Guicciardinus. ſed & res oſtendit. nam cum ſpurius eſſet, productis teſtibus ſe probauit legitimum, & fidem pro tempore mutans, & Gallos, & Hiſpanos, & Anglos deluſit. Paulus tertius eis anathema dicit, qui fidem datam Henrico octauo [4] ſeruarent. Similiter Pius quintus non mediocri inflatus iracundia execratur eos, qui fidem datam Elizabethæ Angliæ Reginæ ſeruarent. Ita nec ipſi rectè faciunt, nec alios ſinunt. imò ſubditos à ſacramento ſoluunt, quod [5] Sigebertus nõ dubitauit *à peſtilentiſſima hæreſi profectum* dicere.

5 Callimach. de pugna. Varn.

1 Guicciardin. hiſtor.

2 Onuphr. & Guicciardin.

3 Era di poca fede.

4 Bulla in Henr. 8. Angliæ regem.

5 In chronic. circa temp. Gregor. 7.

Ne autem natura, aut animi morbo, aut conſuetudine mala ſolùm eos tam malos euaſiſſe putemus, hæc ipſa rectè fieri docent, & lege iubent. Canoniſtæ pontifici poteſtatem tribuunt non tantum diſpenſandi cum periuro, ſed etiam iuramentum laxandi & irritandi. Iulius ſecundus [6] diſputauit, *eccleſiã,* hoc eſt, pontificem, *iuramento non teneri,*

6 Guicciardin. hiſtoria de Iulio 2.

hęreticis, per quos illi pios viros intelligunt, & in Synodo Conſtantienſi communi ſuffragio, & nonnulli in conuenticulo Tridentino nullam fidem ſeruandam decreuerunt. Non ergo mirandum eſt papiſtas tam perfidos eſſe, cum ad prauitatem naturæ acceſſerit etiā praua diſciplina.

Sed & minuti papiſtę nullā fidem ſeruant. hic noſter aduerſarius Reginaldus, cum eſſet Oxoniæ, amicæ ſe iurauit daturum, quod non dedit. Giffordus etiam, & Sanderus, & alii transfugæ, fidem patriæ, & principi datam negligentes, aduerſus eam ingenii ſui vires contulerunt. plurimi in acie armati aduerſus principes ſuos ſteterunt.

Cum ergo nec fidem ſeruent papiſtæ, nec illud palam profiteri & docere dubitent: quę ſtultitia eſt cum illis paciſci? cum iuramentis & pactis tamquam plagis, aduerſarios capere ſoleant, quis iurantibus eis fidem habeat? ſed hæc nos aliâs. nunc hoc nobis ſatis eſt, omnes videre papiſtas propter perfidiā maiorem infamiam, quàm Turcas mereri. iſti ſæpe, illi numquam fidem ſeruant. iſti aduerſus principes ſubditos non concitant; illi anathemate ad fidem frangendam cogunt. iſti non docent fidem eſſe frangendam; illi & docent, & recte fieri poſſe defendunt. *non ergo*
7 Pſal. 14. *7 habitabunt in tabernaculo Domini, nec requieſcent in monte ſancto eius, quoniam iurarunt proximo ſuo, & eum deceperunt:* quoniā nomen

nomen Domini inuocantes, hominibus piis & innocentibus exitium machinati ſunt.

Cap. XVII.

Papiſtas in omni morum obſcœnitate & turpitudine, Turcis nequiſſimis vel pares, vel ſuperiores eſſe.

LAtiſſimum nunc campum ingredimur, & vnde difficilis exitus oſtenditur. Præterea Camarinam nunc Romanam commouere aggredimur, vnde vereor ne fœdus odor vel nares, vel caput cuiuſquam offendat. dicendum eſt enim de papiſtica turpitudine & infamia, quam nullius eloquentia ante oculos proponere poteſt; & fœda quædam ſacrificorum & Pontificum Romanorum flagitia tangenda ſunt, quæ vel meminiſſe, vel apertè dicere pudor prohibet. Sed cum Papiſtarum & Turcarum comparationem, odioſa Giffordi importunitate prouocati, facere inſtituerimus; ex multis eligemus pauca, & non tam quid illi meruerunt, quàm quid nos deceat, ſpectabimus.

Et Turcas quidem nemo negat eſſe turpiſſimos. nam & promiſcuas, & nefandas ſectantur libidines, & ſe omnibus abominationibus polluunt. [1] Mahometus *ad fruendas inuitat voluptates*, & de ſeipſo fœda flagitia narrat. ſimiles quoq; poſt ſe reliquit diſcipulos, hoc eſt, ſpurcos, libidinoſos, abominabiles porcos. At de Papiſtis iſta dici poſſe Giffordus negabit, & alii eius ſodales negant. Papas enim *ſanctiſſimos*, & Romā

[1] Vincentius lib. hiſt. 23. & Zigaben. in elencho.

ſanctã, & monachos licèt mœchiſſantes, *Sãctos patres* vocant. Synagogam deniq; ſuam, *ſanctam matrem eccleſiam Romanam* dici volunt. Nos autem, miſſis iſtis ineptiis, oſtendemus, & papas, & ſacrificos papales, & monachos qui ſe angelicam agere vitam iactãt, nihil aliud eſſe, quàm ciues Sodomorum, & angelos tenebrarum, & genus hominum vel Turcis ipſis impurius, & inquinatius.

Bernardus iam ſuo tempore conqueſtus eſt, magnam labem eccleſiæ prælatos inuaſiſſe. neque tamen ille in monaſterio latens omnia videre poterat. *Egreſſa eſt*, [2] inquit ille, *iniquitas à ſenioribus iudicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. a planta pedis vſque ad verticem capitis* nihil reperit ſanitatis. temporum iſtorum corruptelas grauiter deflet [3] author faſciculi temporum. *heu heu, Domine Deus*, inquit ille, *quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? qualia contigiſſe circa hæc tempora, etiam in ſancta ſede apoſtolica, quam vſque huc tanto zelo cuſtodiſti, legimus ſcandala? eo tempore ſanctos defeciſſe, & veritates deminutas dicit. Non ceſſatis ab operibus diaboli, quia facitis adulteria, & periuria*; inquit Matth. Paris, in Ioanne, & ea deſumpſit ex Epiſtola cœlitus miſſa.

[2] Serm. 1. in conuerſ. Pauli.

[3] In Martin. 2. Adrian. 2. & Stephan. 5.

Laurentius etiam [1] Valla liberius perſtringit ſui temporis pontifices. *Quamobrem dico & exclamo*, inquit Valla, *neminem mea ætate in ſummo pontificatu fuiſſe aut fidelem*

[1] Contra donat. Cõſtant.

diſpenſatorem, aut prudentem. quia vulgo omnes ſcortabãtur, ſuperfluũ erat de eo loqui; ſed alii nõ tacent, *Ideo*, inquit[2] Ioãnes Saresburienſis, *mea opinione papæ frequẽtius moriuntur, ne totam corrumpant eccleſiam.* quamuis ſi propriè loqui vellet, non dixiſſet *moriuntur*, ſed *tollũtur. virtutes ab omnibus receſſiſſe*, dicit[3] Theodoretus Niemẽſis. ſi virtutes autẽ receſſerint, quid ſupereſt pręter ſcelera & flagitia? illa enim acceſſerunt ad põtifices, & nõ receſſerunt. ſed audite pontificis Rom. teſtimonium. [4] Adrianus ſextus fatetur *in ſancta ſede aliquot annis multa abominãda fuiſſe, omneq; malum à culmine põtificio manare.* egregium ſane dicit põtificẽ qui habet fontẽ mali in capite. huc accedit & Mãtuanus, papiſtis non contemnendus teſtis. *Petri ille domũ pollutam fluentẽ marceſcere luxu* [5] dicit.

[1] In polycrat. lib. 6.

[3] De ſchiſm. lib. 2. c. 42.

[4] In inſtruct. ad Chæreg.

[5] Lib. Calam. 3.

Bellarminus licèt ad laudandum conductus, tamen non potuit non malè de *Ioanne duodecimo, Chriſtophoro primo, & Sergio tertio* [6] loqui. ſed aſtutus monachus noluit omnia dicere. nos ergo nihil tacebimus. Ioãnes octauus, mentito ſexu, electus eſt in Papam, licèt fœmina eſſet. hæc ergo cum more papali viueret, grauida facta eſt, & partus doloribus in media vrbe periit, vt pontificem nunc *magnã eſſe matrẽ fornicationũ* omnes intelligerent. Negant quidem Iebuſitę. ſed quid ſi meridie lucere negarẽt? fornicatores erant etiã multi qui eidem ordine ſucceſſêre. de *Sergio tertio* multi malè loquuntur, quod ex Maroziæ fœ-

[6] In præfat. in lib. de põtif. Rom.

minæ impudiciſſimæ complexibus filium ſuſcepiſſet. hoc tempore *pontifices ſecurè voluptates ſuas expleſſe* dicit [7] Platina. Laudus inter meretricum greges infamis vixit, *homo*, vt Platina dicit, *obſcurus*; vt [8] Luitprandus, *turpis & obſcœnus*. ei ſucceſſit ipſius filius ex meretrice ſuſceptus, Ioannes decimus, patri in omni turpitudine ſimilis, ſcortorum maximum decus, propter Theodoræ amores valdè infamis. In eius os iniecto ceruicali, cathedram Romanam occupauit Ioannes vndecimus [9] Sergii tertii & Maroziæ filius, & vitiorum parentum imitator diligens, homo impurus & vrbis Rom. dedecus. nihil autem Romæ notius erat, quàm Ioannis duodecimi, quem Platina decimum tertium facit, flagitia. erat enim dum vixit, vulgi fabula. hic virginibus & matronis ſtuprum intulit, & meretricum amoribus implicitus tenebatur. [2] Platina eum hominem ſceleratiſſimum, vel monſtrũ potius appellat, & *in adulterio confoſſum fuiſſe ſcribit*. Vt Turcæ plures vxores, ſic iſte plures concubinas, & meretrices aluit. hoc tantum intereſt, quod illi ſuas, iſte alienas vxores haberet. Benedictus nonus Petri ſedem omnib. probris [3] fœdauit, ſeque *ſine lege & ratione* vixiſſe faſſus eſt. hunc *Benedictum, & Silueſtrum tertium*, & *Gregorium ſextum, tria teterrima monſtra* [4] *vocat*. Gregorius ſeptimus familiarius vſus eſt Mathilde, quàm probum decuit. ex Benonis Cardinalis narratione turpiſſimum

[7] In Sergio 3.

[8] Luitprand Ticinenſ. hiſt. lib.2. cap.13.

[9] Luitprãd. vbi ſupra.

[2] In Ioan. 13.

[3] Plat. in Benedict. 9.

[4] In Gregor. 6.

ſimum fuiſſe conſtat. Clementem quintum Vrſpergenſis publicum vocat fornicatorem. propter Ioannis vigeſimi ſecundi turpitudinem, Franciſcus Petrarcha mordaciſſima in curiam Rom. edidit carmina. vnde Romam nihil aliud fuiſſe, quàm Babylonem conſtet. Ioannes vigeſimus tertius in Concilio [5] Conſtantienſi cõdemnatus eſt, cum propter alia grauiſſima & horrenda ſcelera, tum *quod cũ vxore fratris ſui, & cum monialibus inceſtum, cum virginibus ſtuprum, cum coniugatis adulterium, & alia incontinentiæ crimina, propter quæ ira Dei deſcẽdit in filios diffidentiæ, cõmiſiſſet.* obiectũ eſt etiã eidẽ, & per grauiſſimos teſtes in eodem Concilio probatum, quod *totus eſſet ſomno & aliis carnalibus voluptatibus deditus.* Sixto quarto nihil cogitari poteſt turpius aut inquinatius. erat enim & propter lenocinium, & nefandiſſimas libidines infamis. *Lupanaria*, vt inquit [6] Agrippa, *vtrique Veneri erexit, cardinaliq; cuidam maſculæ veneris vſum certis menſibus indulſit.* hoc etiã attigit [7] Weſſelus Groningenſis. vnde in eius ſepulchro hæc carmina affixa feruntur:

Sixte iaces tãdem, deflent tua buſta Cinædi,
Scortáque, lenones alea, vina, Venus.

Habuit ille præter ſcortorum greges, pueros pathicos, & inter ceteros nepotem *Petrũ Riarium*, adoleſcentem omnium nequiſſimum: vnde hoc etiam epitaphium in eius ſepulchro affixum eſt:

Pædico inſignis, prædo, ficoſus adulter,

[5] In appendice concil. Conſtant.

[6] De vanit. ſcient. c. de lenocinio.

[7] Lib. de indulgentiis.

Exitiumq́ urbis, pernitieſque Dei.
Gaude priſce Nero, vincit te crimine Sixtus,
Hic ſcelus omne, clauditur & vitium.

In eundem etiam Baptiſta Mantuanus teſtimonium graue dicit. Iouem. n. infernalem ita Sixtum alloquentem [8] inducit:

At tu impl ume caput, cui tanta licentia quondam
Fœmineos fuit in coitus, tua facta putabas
Hic quoq́ prætextu mitræ impunita relinqui.
Sic meruit tua fœda venus, ſic prodiga in omni
Nequitiã; ad virtutis opus tua auara libido.

Innocentius octauus multos habuit ex variis meretricibus filios ſpurios: nec veritus eſt eos pro propriis liberis agnoſcere. *Pontificum omnium primus erat*, inquit [1] Volaterranus, *qui nouum & ipſe exemplum introduceret palam liberos nothos iactandi, ac ſoluta omni antiqua diſciplina, diuitiis eos omnibus cumulandi.* nullus ferè ante ipſum non habuit ſpurios; ſed non filii pontificum, ſed nepotes dicebantur: hic filios ſuos eos nominari voluit. huic varios fuiſſe ex vaga venere filios nec Guicciardinus, nec Onuphrius, nec *Stella* diſſimulauit. vnde in eum mortuum iſta cecinit Marullus:

[1] Volat. geograph.

Quid quæris teſtes, ſit mas an fœmina [2] Cibo?
Reſpice natorum pignora certa, gregem.
Octo nocens pueros genuit, totidemq́ puellas:
Hunc meritò poterit dicere Roma patrẽ.
Spurcities, gula, auaritia, atq́ ignauia deſes,
Hoc, octaue, iacent, quo tegeris tumulo.

[2] Innocentius 8. ex familia erat Ciborum, vbi Cibo ipſi cognomentum.

Inno-

Innocentii exemplo confirmatus Alexander ſextus, liberos ſuos ſpurios palàm & publicè pro ſuis agnouit, eóſque ad dignitates & opes ſummo ſtudio promouit. vnum ducis Candiæ, alterum ducis Valentiæ titulo [3] inſigniuit. Iuffredo filio ſpurio filiam regis Neapolitani vxorem, & honores in eo regno ampliſſimos dedit. filiam ſuam Lucretiam, licèt ea carere non poſſet, ampliſſimis viris elocauit. huius ergo inceſtus, ſtupra, & libidines, graues authores notarũt.

[3] Guicciard. hiſt.

Hoc iacet in tumulo, inquit Pontanus, *Lucretia nomine; ſed re,*
Thais; Alexandri filia, ſponſa, nurus.

Nam meretrix erat inſignis, & pater Alexander, & eius duo filii Cæſar Borgia, & dux Candiæ, per ſummum ſcelus cum ea inceſtuoſam conſuetudinem habuerunt. Guicciardinus ideo dicit ducem Candiæ à fratre cęſum, quod illum ſibi in amore ſororis prælatum vidiſſet. in eundem ergo iſta ſcripſit Sãnazarius:

Sæuitia, inſidiæ, rabies, furor, ira, libido,
Sanguinis & diri ſpongia dira ſitis,
Sextus Alexander iaceo hic.

Alius ſepulchro hæc inſcripſit:

Nomen Alexandri ne te fortaſſe moretur,
Hoſpes abi; iacet hic & ſcelus, & vitium.

Habuit Iulius ſecundus filiam notham, vt teſtatur [1] Guicciardinus. ſed neq; vnam ſolã: nam Marti & Veneri ex æquo litauit. ſed & pueros hircus ille ſectatus eſt. nam pueros

[1] Lib. hiſt. 7.

duos quos Galliæ regina cũ Cardinali Gallo Romam miſit informãdos, in deliciis habuit;& præterea adoleſcentulum Germanum. vnde Grebellius:

Venit in Italiam ſpectabilis indole rara
Germanus,rediit de puero mulier.

Leonis decimi belluinas libidines toti orbi,dũ vixit,notiſſimas fuiſſe cõſtat.nã pręter alios amores ſuos,habuit in deliciis[a] *Magdalenam* ſororem ſuam:cui etiã lucrũ quod ex Germanicæ nationis indulgentiis prouẽturum erat, pro nocte dono dediſſe dicitur. Pręterea amauit multũ Hippolytũ Mediceũ Cardinalẽ, quem multis etiã honoribus cumulauit:multóſque præterea aluit pueros & meretrices.qui ipſum laudat Onuphrius,nõ diſſimulat eũ luxui & voluptati nimiũ fuiſſe deditũ.Non mirũ ergo,ſi ſanctiſſimã Chriſti religionem tum à Luthero inſtaurari cœptã, hic homo impuriſſimus ferre nõ potuerit.in eũ poëta quidãhoc Tetraſtichon ſcripſit,vnde etiam eius libidines cognoſcere licet:

[a] Donò a Maddalena ſua ſorella lo emolumento & l'eſattione delle indulgentie di molte parti di Germania. Guicciardin.lib.33.

Differat à decimo quàm Iulius ipſe Leone,
Diſcere ab amborũ nomine Roma poteſt.
Iulius eſt hominis,bruti Leo.Iulius egit
Quæ ſuaſit ratio;quodlibet,iſte facit.

Leoni decimo ſanguine coniunctus erat Clemens ſeptimus : moribus autem turpiſſimis frater germanus , cuius libidines & ſcelera , ſi accuratius cognoſcere libet , lege verſus ſequentes: illi tibi hominem depingent.

Cle-

Clementem eripuit nobis clementia fati:
Humanum toto gaudeat orbe genus.
Hic eſt qui fuerat iã dedecus vrbis, & orbis,
Et fuit ætatis magna ruina ſuæ.
Hic eſt, ſi neſcis, qui iam tibi Roma parauit
Excidium, peſtem, funera, bella, famem.
Hic eſt, per quẽ tot proſtãt & in vrbe puellæ,
Per quem pulſus honos, virgineũq; decus.
Hic eſt, qui molles euexit ad aſtra cinædos,
Formoſum á tergo munere iuuit hylam.
Hic eſt, qui fuerat viuens, infamia mundi,
Imperii labes, ſpurcitiéſque ſui.

De iſtius temporibus verba faciens Paſquillus, ita Romam alloquitur:

Roma vale, ſatis eſt vidiße, reuertar,
Cum leno, aut meretrix, ſcurra, Cinædus ero.

Iſtos tamẽ omnes, licèt hoc difficulter fieri poſſe videretur, Paulus tertius omni ſpurcitie [1] ſuperauit. Primò lenocinium exercuit. diuendita enim Alexandro ſexto ſorore ſua Iuliâ Farneſiâ, ad Cardinalitiæ dignitatis culmen peruenit; deinde varia ſtupra, adulteria, & inceſtus commiſit. ex fœmina *Anconitana*, dum legatus eſſet pontificis, *Petrum Aloiſium* ſuſcepit, quem poſtea Parmenſi ducatu ornauit, hominem quos terra vnquam tulit, nequiſſimum. cum alia quadam ſorore ſua inceſtum commiſit; ſed cum alium ſibi prælatum vidiſſet, veneno dato eam interfecit. ex vagis prætereà amoribus multos ſuſcepit

[1] Valerius Anſelmus, Paulus Vergerius, & Ioan. Sleidanus hiſt. lib. 21.

liberos. ex eis Conſtantiam filiam Bozio Sporzæ nuptum dedit. Sed poſtea, quò liberius filiâ potiretur ſolus, eius maritum veneno ſuſtulit. deprehenſus in cubili neptis *Lauræ*, quæ *Nicolao Quercao* nupſerat, vulnus graue accepit, cuius cicatrix in facie ſanctiſſimi illius patris apparens myſterium totum prodidit. Proferat mihi, ſi poſſit Giffordus, aliquem Turcam, qui à ſorore, filia, & nepti non abſtinuerit: & ſi nō poſſit; tum fateatur hunc ſuum patrem Turcis palmam in iſtis rebus præripuiſſe.

Iulius tertius licèt propter *Innocentium de monte* peſſimè audiret, diſſimulare tamen non potuit amorem ſuum. ei enim, licèt puero, cardinalitium galerum & multos honores dedit. vnde vulgò carmina in eum edita ſunt, quaſi *Ganymedem* in deliciis haberet, eumq; ſatis deformem. amauit etiam aliquot meretrices: ſed hoc Italis leuiſſimum peccatum videtur.

Pius quartus turpitudine ſua, nominis ſui memoriam infamem reddidit, ab adoleſcentia ſe omni probro polluerat, ſed nihil turpius, quàm quod inter duas meretrices ſenex cubitare ſolitus ſit, atque ita tandem in earum complexibus expirauit. Cùm ergo ſynodus Tridentina tales authores habuerit, nihil eſt quòd Bellarminus toties eius decretis pugnet. Quid enim à ſpurciſſimis hominibus, quales erant *Paulus tertius*, *Iulius tertius*, *& Pius quartus*, exſpectan-

ctandum eſt, quod ſanctiſſimam religionem deceat? At Synodum Tridentinam inchoauit Paulus, inſtaurauit Iulius tertius, abſoluit Pius quartus.

Pius quintus, quē papiſtæ velut exemplar ſanctitatis proferre ſolent, à ſorore tamen propria manum abſtinere non potuit. Hieronymus [1] Catena nō negat ipſum ſoli ſorori ſe & vitam ſuam credidiſſe.

[1] In vita eius.

De Gregorio decimo tertio negari nō poteſt, quin, licèt ſenex, habuerit tamen in deliciis amicam quādam ſuam. eam enim in villa ſua non longè à Roma tenuit. erat prętérea ei filius *Iacobus* Spurius.

Rectè ergo [2] Budæus, *Pontifices Rom. crapula, luxu, & ſpurciſſimis libidinibus, & omnib. aliis ſceleribus, quæ in vita hominum graſſantur, peſſimum quémque ſuperare dicit.* Neque enim putandum eſt reliquos iſtis, quos diximus, fuiſſe meliores.

[2] De aſſe.

Aulam pontificis Rom. iam olim [3] Luitprandus, *Factam eſſe proſtibulum meretricum* ſcripſit. Petrarcha eam *ſeruã* [4] *vocat luxuriæ, & voluptatum corporis.* & iuuenes & ſenes ſimul, & inter eos diabolum ſaltare dicit. Mantuanus etiam liberius eius loci luxum notauit.

[3] Luitprand. lib. 6 de imperat. geſt. c. 6.

[4] Di vin ſerua, & de viuande.

—*Petriq;* [5] inquit, *domus polluta fluenti*
Marceſcit luxu (nulla hic arcana reuelo,
Non ignota loquor, liceat vulgata referre.
Sic vrbes populiq; ferunt, ea fama per omnē
Iā vetus Europam) mores extirpat honeſtos.

[5] Lib. calamit. 3.

Sačtus ager ſcurris, venerabilis ara cinædis
Seruit: honorādædiuūm Ganymedibus ædes.

Quid autem apud Turcas turpius, quàm quod Ganymedes ſuos, vt etiam Romani pōtifices, habent? Bernardus dicere[6] ſolitus eſt *aulam pontificis multos bonos recipere, nullos reddere.* Franciſcus Petrarcha curiā Romanā quæ illo tempore in Auenione ſuper Rhodani ripam ſita degebat, in[7] epiſtolis quibuſdam ſuis grauiter exagitat. *Bonorum*, inquit, *hoſtis, & malorum hoſpes, atque aſylum, peſſima rerū Babylon feris Rhodani ripis impoſita, famoſa dicam an infamis meretrix, fornicata cum regibus terræ? illa quidem es, quam in ſpiritu ſacer vidit euangeliſta. illa eadē, inquā, es, & non alia ſedens ſuper aquas multas.* Et alio in loco: *Hæc verò*, inquit, *iam non ciuitas, ſed laruarum & lemurum domus, &, vt breuiter dicam, ſcelerum atque dedecorum omnium ſentina, atq; ille viuentium infernus tantò ante Dauidico ore tam notatus, quam fundatus & cognitus. ibi abſtinētiam ruſticitatem, & pudicitiam probrum eſſe dicit.* taléſque paſſim ſunt curiæ Romanæ mores. quando venit Lugdunū Gregorius decim⁹ cū comitatu ſuo, inuenit vrbē ſatis benè moratā: ſed inde diſcedens, reliquit ibi magnam vitiorum ſentinā.

Quando huc venimus, inquit[1] Hugo Cardinalis iam Lugduno cum papali curia diſcedens, *Tria vel quatuor proſtibula inuenimus; ſed nunc diſcedentes ſolum vnum relinquemus, verum ipſum durat ab Orientali porta, vſque ad Oc-*

[6] De conſid. ad Eugen.

[7] In epiſt. ſine titulo.

[1] Matth Pariſ in Hēr. 3.

ad Occidentalem. Inter ordines conuentus Conſtantienſis,[2] numerantur 450. meretrices, Abbates & doctores 564. non miror ergo ab iſtis iudicibus *Ioãnem Huſſium*, & *Hieronymum Pragenſem* fuiſſe damnatos.

[2] Paralip. Vrſp.

Vrbs Tridentina, quæ ante conciliabuli illius celebrationem exemplar erat virtutis, ab aula pontificis & conciliabuli illius ſodalibus, facta eſt omnium vitiorum gurges & camarina. Nam præterquam quod meretricum & puerorum pathicorum greges eò introducti ſunt; & matronarum & virginum Tridentinarum pudicitia oppugnata eſt. Papales prælati die noctéque mulierum pudicitiæ inſidiabantur. ciues in excubiis erant, & tres ex illo numero hircos occiderunt, ſed reliqui tamen, eorum pœna non ſunt deterriti ab iniuria.

Quid autem aliud eſt Roma, niſi omnium turpitudinum & ſcelerum officina?

Roma, inquit vir pius, *caput ſcelerum, niuei*
iactura pudoris,
Exitium fidei, luxuriæq; parens.

Huic alius etiam teſtis ſuffragatur.

Tu, inquit ille, *fratres in bella vocas, inpignora patres,*
Et ſcelus omne audes, & paris omne nefas.
Romanis pater eſt Mauors, Lupa Martia
nutrix,
Hæc hominũ mores, ingeniumque docent.

Olim, inquit [3] Petrarcha, *Roma, nũc impia*
& crudelis Babylonia.
Eaq; vt Sodoma flãmis abſumptã precatur.

[3] Cant. 106. Gia Roma hor' Babylonia falſa' & ria.

[4] Silu. lib. 1.

Viuere qui ſanctè cupitis, inquit [4] Mantuanus, *diſcedite Româ*:

Omnia cum liceant, non licet eſſe bonum.

[4] Silu. lib. 1.

Vrbem ex lenonibus, cynędis, ſcurris, meretricibus & hominibus impuriſſimis, qui ex toto orbe terrarum eò tanquam in ſentinam confluunt, conflatam eſſe conſtat. Paulus tertius triginta millia meretricum Romę vno in catalogo exſcripta habuit, ex quibus menſtruum vectigal exegit. quod & antiquitus fieri ſolitum eſſe [5] dicit qui commentarios ſcripſit in conſtitutiones Othonis. *Mareſcallus Papæ*, inquit ille, *exigit tributum á meretricibus.* hoc etiam docet [6] Sanſouinus, & omnes verum eſſe norunt. ſed & alias infandas ſectantur monachi & ſacrificiRom. libidines, propter quas ira Dei deſcendet aliquãdo ſuper ipſos tanquam filios diffidentiæ. Ioannes quidam, ex ſecta Franciſci monachus in collegio Albertino quod Ingolſtadii eſt, interrogatus [1] *quid eßet Romanizare*, reſpondit liberè, *Nihil illud aliud eſſe, quam Gomorrhizare & Sodomizare*: quaſi diceret, Romam Sodomam eſſe, aut Gomorrham, quæ propter infanda ſcelera igne cœlitus demiſſo conflagrarunt, quod etiam qui Romæ aliquandiu vixerunt, & non habuerunt oculos præiudicio clauſos, veriſſimum eſſe norunt, *nullum ibi pudori relictum locum*, dicit Baptiſta Mantuanus.

[5] In c. licet ad profugãdum. de cõcubin. cleric. remouend.

[6] Lib. de i gouerni de regni. c. de la corte di Roma.

[1] Hazenmuller. in hiſtoria Eſauitarum.

Ipudor

I pudor in villas, inquit ille, *ſi non patiantur eaſdem*
Et villæ vomicas, Roma eſt iã tota lupanar.

Quod de Conſtantinopoli, aut alia vrbe Turcarum dici non poteſt. Neq; à patre ſuo Papa Rom. qui myſticè nihil eſt aliud quàm [2] *mater magna fornicationum*, minores prælati, & ſacrifici, & monachi, & reliqui ſynagogæ Rom. miniſtri degenerarunt. Guilielmus [3] Holcot eos *ſacerdotes Priapi, & ſacerdotes Dagon, & angelos abyſſi* appellat. *In veritate*, inquit [4] Gualterus Mapes, *comperi, quod ſceleri cleri tota ſtudet vniuerſitas. Receſſit*, inquit [5] Breidenbachius, *lex a ſacerdotibus, charitas à prælatis, religio à monachis, a clericis diſciplina. eccleſiaſticum ordinem ſui temporis Platina in omnem luxum & libidinem effuſum fuiſſe* [6] ſcripſit. *Sacras ædes & tẽpla lenonibus & catamitis commiſſa eſſe* dicit [7] Ioannes Picus Mirandula. ô quam ſancta eſt ergo eccleſia Rom. cuius rectores lenones ſunt, & cynædi! *Primitiui Theologi*, inquit [8] Petrus de Alliaco, *eccleſiam ædificauerunt, quam nunc barritatores quidam deſtruxerunt, & nunc eam quaſi ad extremam ruinam deducere videntur, adeò vt iam horrendum quorundam prouerbium ſit, ad hunc ſtatum veniſſe eccleſiam, vt non ſit digna regi niſi per reprobos.* Idem de reformatione ſacerdotum verba faciens: *Adhibenda*, inquit, *eſſet correctio circa mores eccleſiaſticorum, qui iam nimis, proh dolor, ſunt corrupti ira, gula, ſcan-*

[2] Apoc. 17.

[3] Lect. 182. in lib. ſapient.

[4] In carminibus.

[5] Hiſt. peregrin. ſuæ.

[6] In Gregor. 4.

[7] In orat. ad Leonem 10.

[8] De reformat. eccleſ.

luxuria,pompa,prodigalitate, & aliis generib. quod cedit in graue ſcandalum laicorũ. Theodoricus à Niem Sodomiticos Cardinalium ſui temporis mores non tacuit.

Heu, [9] inquit, *nomen tranſgreſſe ſacrum, Sodomita cremari*
Digne focis, pariter homicida Caperna.

[9] Lib. 6. tractat. nemor. vnion. c. 19.

[1] In præfat. lib. 6.

Prælati noſtri quales ſunt, inquit [1] Auentinus. *pudet dicere. pauperum alimentis canes, equos, ſcorta alunt, potant, amant.* ex prohibitis clericorum coniugiis, abominandas fœditates ſequutas docet [2] Huldricus Auguſtanus. Nam *plures non tantùm adulteria, ſtupra, & fornicationes, verùm etiam inceſtus, & peccata contra naturam commiſiſſe.* atque ita Deus vltus eſt cœlibatus authores, vt qui honeſta coniugia ferre noluerunt, ſcortationem & concubinatum tolerare cogerentur. *Archidiaconi,* inquit [3] Ambroſius Ansbertus, *à presbyteris adulteris pretiũ accipiunt.* hoc ille *ſcelus eſſe peſſimum dicit. cos enim pro pretio vendere animas diabolo.* Vbique ergo pontifices Romani vendunt animas ſacrificorum, & monachorum diabolo. paſſim enim ſacrifici alunt concubinas. Heluetii olim nullum [4] admittebant ſacrificum, niſi qui concubinam haberet. Per Germaniam, Noruegiam, & Galliam, [5] Theodoricus Niemenſis ſacerdotes paſſim concubinas tenuiſſe narrat. adeóque hoc in Anglia percrebuit, vt nihil [6] Otho pontificis lega-

[2] In epiſt. ad Nicolaum.

[3] In Apoc. c. 18.

[4] Sleidan. lib. 3.

[5] In tractat. nemor. Vnion. lib. 6.

[6] Matth. Paris.

legatus proficeret, niſi vt pecunias à clericis concubinariis emungeret. concubinatum hunc, de reformatione eccleſiæ ſcribens Petrus de Alliaco, tolli ſuaſit, ſed perſuadere non potuit.

Si exemplis demonſtrare conarer ſacrificorum turpitudinem, difficile eſſet exitum reperire. etiam qui ſanctorum apud iſtos nomen & honorem meruerunt, vix integram tenuêre ſanctitatis famam. [7] Patritius cum Modwenna; Bertellinus cum filia regis Hyberniæ; Wilfridus cum Etheldreda nimis familiariter vixiſſe videntur. Dunſtanus & magus erat & homo impuriſſimus. nam cum Alſgina & aliis monialibus ſtupri conſuetudinem habuit, & diabolo adiutore multa fecit. [8] Stigandum propter multas turpitudines legati pontificii loco mouerunt. Ranulphus Dunelmenſis pſeudoepiſcopus, qui temporibus Henrici primi vixit, homo [9] erat planè peruerſus, & ad omne ſcelus paratus. Richardum Dunelmenſem prælatum, adulterii & aliorum grauiſſimorum flagitiorum, monachi Dunelmenſes coram pontifice accuſarunt. Hugonem Dunelmenſem aliquot concubinas habuiſſe teſtatur Neubrigenſis. Guilielmus Longchamp Elienſis, qui, rege Richardo abſente, gubernacula regni adminiſtrauit, [1] magnum in ſuo comitatu habuit concubinarum & meretricũ numerum. Nihil autem magis ridiculũ,

[7] Io. Capgr. in eorum vit.

[8] Matth. Paris in Wil. conqueſt.

[9] Matth. Paris in Rich. 1.

[1] Ibidem.

quàm quod pontificis legatus, qui primus in Angliam venit, vt ſacerdotum coniugia diſſolueret, poſtquam prolixe dę caſtitatę, & cœlibat⁹ angelico ſtatu diſſeruiſſet, nocte ſequente in meretricis complexibus [z] deprehenſus eſſet. Sed hæc antiquiora videri poſſunt. recenti memoria, vt non nulla dicamus quæ nuper acciderunt, Cardinalis Wolſæus inſigne erat cœlibatus malè ſeruati documentum. lues venerea ipſi publicè coram rege obiecta, & aliquot eius concubinæ notiſſimæ rem palàm fecerunt. Cardinalis Vrbinas non ita pridem ex morbo venereo oculos amiſit. qualis eſſet Petrus Riarius Cardinalis, docet [9] Onuphrius, & tamen ei parcit. concubinam Tireſiam præcęteris dilexit, ſed tamen non ſolam. mortuus eſt tandem voluptatibus conſumptus. Hippolyti Medicei mores impudicos difficile eſt verbis explicare. Plures [1] habuit concubinas, neque tamen à præpoſtera abſtinuit venere. Sed quid nos duos aut tres nominemus, cùm Romæ omnes norint omnes ferè cardinales in iſtas voluptates ſumptus facere? Cardinalis Polus, licèt cæteris modeſtior, ſcortum tamen clam habuiſſe dicitur Italicum. & proditor ille patriæ Alanus domi apud ſe tenuit fœminas aliquot Anglicanas. De Waramo Cantuarienſi, cui ſucceſſit Crannerus inſignis ille Chriſti martyr, notiſſima res eſt, habuiſſe ipſum inſtructiſſimum multis ſcortis Gynæceum. Bonerus, ſanguinarius

[z] Matth. Paris.

[9] In Sixto 4.

[1] Guicciardin. hiſtoria

narius ille ouium Christi mactator, ſpuriis ſuis quos multos habuit, fundos locauit epiſcopales; quibus, niſi iam nuper mortui ſunt, adhuc fruuntur. Erat etiam Flecknamus Abbas non ita pridem Weſtmonaſterienſis ſatis mulieroſus. neque exiſtimandum eſt reliquos huius ſynagogæ meretriciæ patriarchas fuiſſe ſanctiores. Sed quid nos paucos proferamus, cum ſuperius oſtenderimus vulgò ferè omnes concubinas habuiſſe? In Alemania pauci ſunt curati, inquit epiſcopus [1] Chiemenſis, qui non fœtore concubinatus marceſcunt.

Monachi denique & moniales, licèt Papiſtæ vitæ hoc genus velut angelicum laudent, & eos in ſtatu perfectionis eſſe iactēt; mores tamē colunt turpiſſimos, & magnam ſuæ turpitudinis infamiam multos iam annos excitarunt. Qua in re, quoniam noſtra affirmatio apud Giffordum nullam authoritatem habitura eſt, audiat Gregorii Duodecimi teſtimonium. [2] Is ergo de viginti duobus monaſteriis in partibus Phryſię verba faciens: *Omnis*, inquit, *religio & obſeruantia dicti ordinis, & Dei timor abſceſſit, libido & corruptio carnis inter ipſos mares & moniales, nec non alia multa mala, exceſſus, & vitia, quæ pudor eſt effari, ſuccreuerunt.* In primitiua Anglię eccleſia, [3] *Iornaleſis religionē inter monachos viguiſſe* dicit. Poſtea autem *adeo omnem virtutem emarcuiſſe, vt nullos proditione, & nequitia ſibi pares eſſe permitterent.*

[1] *Onus eccleſ. c. 21.*

[2] *In literis Gregor. 12. apud Theod. Niem. tract. vnion. 6. c. 34.*

[3] *In hiſtoria Angl.*

Virginum ſepta, in meretricios fornices, & obſcœna latibula, ſuo tempore conuerſa fuiſſe, dicit [1] Iohannes Picus Mirandula. *Clauſtra monialium vltra quàm dicere auſus eßet, dehoneſtata fuiſſe*, docet [2] Petrus de Alliaco. *Fornicantur*, inquit [3] Gregorius 12. *plures huiuſmodi monialium cum ſuis prælatis, ac monachis. Aſpice*, inquit Honorius [4] Auguſtodunenſis, *habitacula monialium, & cernes in eis beſtiæ præparatum thalamum, hæ à teneræ ætate impudicitiam diſcunt.* Et poſtea: *Omnibus*, inquit, *fornicariis peius proſternuntur, & vt inſatiabilis Charybdis, nunquam ſtercore immunditiæ repletur.* Præclarè etiam de monachis canit [5] Palingenius:

—*Falſa*, inquit, *ſub imagine recti*
Decipiunt ſtolidos, ac religionis in vmbra
Mille actus vetitos & mille piacula cõdunt
Raptores mœchi puerorum corruptores,
Luxuriæ atq; gulæ famuli.—

Miraturque ille quomodo tam impuros homines viri boni ferre poſſint:

Cũ ſint, inquit, *laſciui nimiũ, nimiũq; ſuperbi,*
Et ſpernant omnes, & turpia multa licenter
Committant ſenis exemplo, qui præſidet illis:
Proh pudor! hos tolerare poteſt eccleſia porcos,
Duntaxat ventri, Veneri, ſomnoq; vacantes?

Cum ergo homines ſcelera monachorũ negligerent, Deus ipſe variis prodigiis ſæpe iram ſuam aduerſus has eccleſiæ ſuæ peſtes declarauit. Cum in monaſterio quodam apud Anglos *monachi & moniales, bini & bini,* vt lo-

1 In orat. ad Leon. 10. apud orth. Grat.
2 Libr. de reform. eccleſ.
3 Theod. Niem. tractat. nemor. vnion. lib. 6. cap. 34.
4 In dialog. de prædeſt. & lib. arbitr.
5 In Leone libr. 5.

vt loquitur Ioannes [1] Capgrauius, *concumberent, igne cælitus demiſſo, monaſterium conflagrauit.* hoc etiam ſcripſit Ioannes [2] Maior. Præterea Deus per Danos vniuerſa ferè Anglorum monaſteria euertit. multaq; eorum poſteą reſtituta igne immiſſo cõbuſſit. narrat Chriſtianus Maſſęus quoddã monaſteriũ fęminarum in Gallia à diabolis fuiſſe poſſeſſum. a^no [3] inquit, 1491. *circa feſtum cathedræ (terribile dictu) cœperunt dæmones habitare, & poſſidere monaſterium dominarum Quercetenſium, quas annis quatuor, & menſibus totidem miſerabiliter vexauerũt. vnã Abbatiſſam & duas moniales fulgure afflatas in Italia mortuas eſſe* dicit [4] Theodoricus Niemenſis. næ illæ grauia flagitia admiſerant, quas Deus tã grauiter caſtigauit.

1 *Poſt vitam Ithamari.*
2 *Lib. 2. c. 12.*
3 *Lib. 20. hiſt.*
4 *De ſchiſm. lib. 2. cap. 38.*

Apud Anglos magna ſemper huiuſmodi monaſteria laborarunt infamia. Ethelbaldus rex, & alii viri nobiles, ex monaſteriis raptis monialibus, & loco concubinarum retentis, legitimas ſpreuęre nuptias, quod Bonifacius [5] Moguntinus grauiter reprehendit, non aliunde tamen Edgarus, & Hẽricus primus, & alii poſtea principes meretrices voluęre, quam ex monaſteriis. Videntur ergo hæc monaſteria Turcarum *Serragliis*, vt vocant, ſiuè *Gynaceis* commodiſſimè reſpondere. ibi enim Turcæ ſuas cuſtodiunt concubinas multò ſanè monialib. caſtiores. Cum monaſteria hæc iuſto tãdẽ Dei iudicio apud nos euerſa eſſet, multis in locis reperta

5 *In literis ad Ethelbaldum regem Merciæ.*

ſunt infantum oſſicula in terram defoſſa. cõpertum eſt etiam ſingula huiuſmodi monaſteria ſuas habuiſſe obſtetrices iuratas, quæ cauerent, ne ſcandalum aliquod ex myſteriis iſtis enunciatis ad earum infamiam redũdaret. illud tamen ſemper vitare non [1] potuere. nam monaſterium fœminarum Cantabrigię, vbi nunc eſt collegium Ieſu, propter earum ſummam turpitudinem, in alios vſus à Ioanne Alcock conuerſum eſt.

[1] *Holinſh. in Henr. 7. in fine.*

In monaſteriis etiam virorum nefanda ſcelera, & turpitudines detectæ ſunt. neque enim voluit Deus tanta ſcelera impunita relinquere. Abbas de Abingdon gregem habuit meretricum, neque tamen ab inceſtis abſtinuit amorib. In aliis monaſteriis multi mœchi, multi maſculorum concubitores, plurimi concubinarii & fornicatores [2] detecti ſunt, & partim confeſſionibus, partim probationibus conuicti, vt ex actis delegatorum regiorum conſtat, pœnas dedêre.

[2] *In inquiſitione facta tempore H. 8.*

Cum ergo qui perfectiſſimi videri volũt, tales eſſe deprehendantur; quis non videt Papiſtas cum Turcis rectè comparari? *Quibus monſtris*, inquit Epiſcopus quidam in conciliabulo Tridentino, *qua ſordium colluuie, qua peſte non ſunt corrupti, non ſunt fœdati in eccleſia ſancta Dei & populus, & ſacerdos?* nuſquam ſanè lego de Turcis dici grauiora.

Præterea Turcæ nuſquam in ſe inuicem ſæuire ſolẽt, vt Papiſtæ in Chriſtianos. quid,

quod

quod nec ſibi inuicem parcunt? Formoſi corpus è ſepulchro effoſſum, nec morte effugere potuit inimici grauem iram. Pontifices, *vt ſauos tyrannos inimicitias exercere* dixit [1] Platina. vbi ſchiſma aliquod inter eos accidit, non ſolum maledictis & anathematum telis, ſed armis inter ſe certarunt. idcirco rectè [2] Auentinus *iſtiuſmodi homines, vel Turcis dicit eſſe deteriores.*

[1] *In Sergio* 3.

[2] *In Annal. Boior. ſub annum* 735.

Infauſto ergo omine Reginaldus & Giffordus hunc ſuum de *Caluino-turciſmo* tractatum exauſpicati videntur. aduerſus nos enim malitiam potius oſtenderunt, quàm nocendi facultatem. at dum nos Turcarum inſtituta inueſtigaremus, ex multis argumẽtis reperimus Papiſtas aut deteriores eſſe Turcis, aut ſaltem valde pares.

Caput XVIII.

Reginaldum, Giffordũ, Stapletonum, & alios ex Anglia transfugas, in quibuſdam Turcas imitari, in quibuſdam deteriores eſſe.

Atque hactenus de Papiſtis in genere dictum eſt. nũc autem ad accuſatores noſtros propius accedendum eſt, ne fortè ſe nimis diu feriatos querantur. Quorum cum ego vitam, mores, & malè loquendi, & faciendi licentiam conſidero; Turcicum in eis ingenium, & mentem Saracenicam mihi deprehendiſſe videor. grauiſſimis calumniis Mahometus & Hali, & reliqui authores eius libri, qui *Alphurcan* dicitur, viros pios, &

orthodoxos inſectantur. *eos enim à Chriſti eccleſia diſceſſiſſe, & legẽ Dei corrupiſſe, & viroſeſſe impios & malos*[1] *criminantur*. Similiter accuſatores noſtri, nõ tã argumentis, quàm maledictis & clamorib. certant. totum hoc fulmen quod *Caluino-turciſmum* inſcripſerunt, vt vel ex titulo conſtat, nihil aliud quã variarum contumeliarum cõtinet odioſam repetitionem. non ſecus ac Turcæ Chriſtianos, ſic nos tanquã fidei deſertores, & grauiſſimorum criminum reos accuſant. ſed cum ad manus ventum eſt, tum omnis huius accuſationis impetus deferueſcit, & in auras reſoluitur.

1 *Vincentius Beluacenſis: & Reginaldus paſſim in Caluino-turciſm.*

Turcas non pudet apertè mentiri: iſti autem accuſatores noſtri non modò ad mentiendum, ſed ad peierandum parati ſunt. De Henrico Octauo Angliæ rege, & Elizabetha ſereniſſima regina ea narrant, quæ nec dicta, nec facta ſunt, nec eis vnquam in mentem venerunt. imò ea nos credere, & docere contendunt, quæ planè fidei noſtræ confeſſioni repugnãt. Caluino & Luthero crimina imponunt, à quibus illi toto animo abhorruerunt. abſurdas denique & inauditas criminationes contra omnes bonos confingunt. Rectè ergo de eis [2] Nigellus:

2 *In Specul. Stultorum.*

Hi ſunt, iuſtitiam qui proſtituêre pudicam,
Falſa loqui linguas qui docuere ſuas.

Ita olim Palæphatus ſcripſit *incredibilium libros*: in quibus nihil contineretur veri; fortaſ-

fortaſſe vt turpitudinem oſtenderet mendacii. & Poëtæ mendaces confinxêre fabulas, & viri ſapientes & politici eas legi paſſi ſunt; vt inde diſcerent adoleſcentes, non temerè huiuſmodi ſcriptis credendum eſſe. Palæphatum autem & Poetas mendaciſſimos, Reginaldus & Giffordus narrationib. ſuis incredibilibus, & ſcriptis fabuloſiſſimis longè ſuperarunt.

Sacerdotes[1] Turcici in turrem aſcendentes, clamant quantum poſſunt, digitiſque aures ſuas obturant, ne alios ipſi audiant. Ita etiam ſacrifici iſti papales, & ſcurræ leuiſſimi, tanquam in ſcenam, & ſpeculam altiſſimam aſcendunt, ibique nullum finem clamandi & latrandi aduerſus optimum quemque faciunt. iidemque, licet omnes ipſorum accuſationes diluantur; nullam tamen reſponſionem admittunt, ſed continenter & magna voce clamant, & totam viciniam in nos concitant, & eadem plus millies repetunt & inculcant, aureſque ſuas velut aſpides ſurdæ obturant, nec aliquid veri aut ſani audire ſuſtinent. Sunt enim ex eorum genere, qui nec deiecti pugnare ceſſant, nec victi cedunt. nec garriendi & obganniendi aduerſus veritatem finem faciunt, οἷς γλῶττα, αὐἰλιγκτος ἐςὶ, licet ſe victos ſentiant, vt inquit [2] Plato.

[3] *Mahometus* cum ipſe indoctus eſſet, à *Sergio* monacho hæretico *Neſtoriano* doct⁹ & ad maleagendũ incitatus, plurimas impie-

1 *Antõ. Menauin. de relig. Turc. & Geuffr.*

2 *In Theæteto.*

3 *Breidẽbach. & Naucler. & Vincẽtius.*

tates euomuit, Chriſtianosq; inſectari cœpit. Similiter etiam aduerſarii noſtri, à Iebuſitis & aliis monachis hæreticis multa mutuati & edocti, has inuectiuas & odioſiſſimas criminationes in nos confinxerunt. Nõ mirum ergo, ſi multum profecerint, qui in ſchola errorum, & hæreſeωn, & à talib. magiſtris tam multa didicerunt.

[1] *Ibidem.*

Mahometum [1] aiunt alienæ vxoris amore captum, multa ſtultè & nequiter feciſſe. ſunt etiam qui Giffordum aſſerunt, dum Pariſiis eſſet, ex amore nugas egiſſe: & nunc Veneri potius, quum Mercurio inſeruire. at Reginaldum multi norunt, dum adhuc Oxoniæ eſſet, amaſſe vxorem [2] alienam; cui cum nec verbis nec muneribus ſtuprum perſuadere poſſet, ipſe in melancholiã incidit. Poſtea verò quum nullam inſano ſui amori medicinam inuenire potuiſſet, ad hoſtes transfugit, atque ibi meram bilem aduerſus ſuos populares euomens, ex rabie mortuus eſt.

[2] *Nempe cuiuſdam M.*

Turcæ non tam verbis & doctrina, quàm vi & gladio legem Mahometi defendunt, & promouent. ſic etiam aduerſarii noſtri Giffordus & Reginaldus, licèt verborũ, ſeu potius maledictorum flumen in nos effundant, & verboſiſſimos ſæpe commentarios commentorum, & mendaciorum plenos emittant; in gladiis tamen & armis potius, quàm in argumentis ſpem ſuam collocant. ſicarios itaque in Angliam ad ſereniſſimam

princi-

principem trucidandam ſubmiſerũt, & Hiſpanos ad bellum contra nos ſuſcipiendum incitarunt. De *Sauagio* & *Polwheelo* negare non poteſt Giffordus, quin eos ad facinus illud ſuſcipiendum induxerit. Belli aduerſus nos ab Hiſpanis geſti fuiſſe authores, & Hiſpani teſtantur, & ipſi gloriantur, & nos niſi oculos claudere velimus, apertè videre poſſumus. Reginaldus in libro ſuo *de iuſta reip. aduerſus reges ſuos authoritate*, claſſicum cecinit, licèt tibicen non valde bonus.

In iſtis ergo Mahometo & Turcis pares ſunt: in aliis vero flagitiis longè deteriores. nũquam enim vel Mahometus, vel Sergius, vel aliquis apud Turcas ſacerdos patriam hoſti prodidiſſe legitur. at iſti homines omnium nequiſſimi, Hiſpanis & pontifici Rom. hoſtibus huius regni Angliæ certiſſimis, ſe non modò adiutores, ſed etiam duces ad patriam euertendam præbuerunt; eiſque & cõſilia noſtra & patriam quantum in ipſis erat, prodiderunt. iſtis ſanè inuitiſſimis patria ſtat incolumis, & ipſis mala morte extinctis ſtabit.

Ex Turcicis ſacerdotib. & ſacrificis nulli ſolent ſicarios præmiis conducere, & verbis hortari, vt imperatorem ſuum trucident, aut veneno tollant. At Giffordus iſte, vt ſe hoſtem & patriæ, & omnis humanitatis immaniſſimum declararet, Ioanni[1] Sauagio, & aliis ſicariis deſperatis perſuaſit, vt ſe reginã Elizabetham interempturos reciperẽt. Cũ-

[1] *Ex confeſſ. Ioan. Sauag. Yorkii, & Williams.*

ctantes verò præmiorum pollicitatione cõfirmauit, & per ſanctiſſimum ſacramentum (ſi quod aduerſarij ſacramẽtum euchariſtiæ retinent) adiurauit, ſe rem perfecturos, nec de hac mente aliquo terrore, aut caſu ſe deduci paſſuros eſſe. hoc etiam facinus & Reginaldus, & alii ex Anglia transfugę probaſſe dicuntur. iidem etiam cum Hiſpanis egerunt, vt Lopezium medicum Luſitanum maxima pecunia & aliis pollicitationibus inducerent, vt eãdem veneno tolleret: quod [1] ethnici in hoſte improbarunt, Turcæ in ſuo principe ſceleratiſſimum ſemper iudicarunt.

[1] *Cicer. de offic. 3.*

Turcæ non ſolent aduerſus principes ſuos pugnare, eoſque armis è regnis ſuis pellere. pauciſſimæ enim inter Turcas reperiuntur rebelliones: idq; quia vel pauci ibi oberrãt Iebuſitæ, vel nullam apud Turcas merentur fidem. at hoc vnum agunt nunc pontifices Roman. vt ſubditos aduerſus principes concitent. Eo nomine Mortonum in Angliam, Sanderum in Hyberniam, Iebuſitas & alia ſeditionis flabella in Germaniam, Galliam, Belgium, & alias regiones miſit. Hoc ſcripto [2] publico rectè, & egregiè fieri poſſe defendit Reginaldus. huiuſmodi ſeditiones & rebelliones transfugæ ex Anglia moliuntur. ſunt ergo Turcis peiores. eos enim qui Iohannem Angliæ regem contra fidelitatis formam regno pellere conabantur, Innocentius Tertius in quadam decretali epiſtola pro

[2] *De iuſta reip. Chriſt. aduerſus reges, authorit.*

la pronuntiauit *Saracenis eſſe peiores*. quare, ſi mihi non credant, credant ſaltem Innocentio ſuo, qui ſubditos rebelles [1] *peiores eſſe Saracenis* dixit. ex omnium autem rebellium genere transfugę ſunt deterrimi.

Turcę, etſi fidem datam non ſemper ſeruent; nuſquam tamen docent fidem datam eſſe frangendam. at iſti non tantum fidem principi & patriæ datam fregerunt, ſed etiam fidem hominibus noſtris datam non eſſe ſeruandam docent. imo planè & apertè [2] profitentur iuramenti nobis dati non eſſe magnam habendam rationem. Sic olim Gregorius Nonus *perfidiam & periurium docuit*, vt ait [3] Fridericus Secundus. & ſynodus Conſtantienſis fidem non eſſe hæreticis ſeruandam decreuit. huic autem ſynodo, omnes viri pii rectè de pontificis & ſynagogæ Roman. hæreſibus ſentientes, hęretici ſunt. nunc verò transfugæ iſti, ſumma perfidia & ſcelere, exitium piis viris machinantur.

Turcas pudet ad hoſtes transfugere, neque hoc, niſi ſumma neceſſitate inducti, faciunt. aduerſus imperatores ſuos pauci coniurant: nulli ferè bella geſſiſſe leguntur. at iſtos transfugas, nec fugere puduit, nec bellum aduerſus patriam & principem gerere. ex eis enim nonnulli arma tulêre; quibus autem vel animus, vel corporis vires defuerunt, ii linguis ſuis aduerſus populares ſuos pugnarunt.

1 *Mat. Paris in Ioanne p. 260. & 266.*

2 *Annot. Rhemenſ. in Act. 23.*

3 *Apud Matth. Paris in Henr. 3.*

Turcæ aduerſus hoſtes ſuos apertè bellum gerunt, in aciem prodeunt, ſigna cõferunt, ferro decernunt: at iſti, velut canes ignauiſſimi, ex magno interuallo allatrant, inſidias ſtruunt, & clam aduerſariis ſuis exitium moliuntur.

Turcæ, etſi non ſemper vera loquuntur, tamen nec data opera mentiuntur, nec res à ſe geſtas negant, nec acta publica infecta fuiſſe contendunt. at ſceleſtiſſimi iſti patriæ hoſtes, res apertiſſimas negant, ſummoque ſtudio mentiuntur, & in facinore deprehẽſi pernegant, & ſi opus eſt, peierare parati videntur. Miſſi ſunt in Angliam ad res turbandas Iebuſitæ, & aliquot ex rebellium ſeminario ſacrifici. ex mandatis ad eos datis, et confeſſionibus, & teſtimoniis conuicti, pœnas dederunt: hoc tamen iſti fronte perfricta iniuſtè factum contendunt: ipſos enim alio conſilio in patriam rediiſſe. Nuper etiam prodiit nouus & ineptus [1] orator, qui non modò Gulielmum Parrium à pontifice Rom. Cardinale Comenſe, & aliquot Iebuſitis ad trucidandam ſereniſſimam reginam Elizabetham inductum negat, verum etiam vniuerſam contra *Squierum* actionem, qui ſe à Walpoolio Iebuſita miſſum & adiuratum, vt reginæ & Eſſexiæ Comiti venenum daret, confeſſus eſt, *tragicam* appellat *fictionem*. negat etiam Lopezium conductum fuiſſe, vt eandem veneno tolleret. quæ omnia non ſolùm ex reorum confeſſione, verum etiam

[1] A diſcourſe of a tragical fiction of Squier.

etiam ex teſtium fide dignorum dictis, & literis etiam in iudicio palàm oſtenſis probata ſunt. adeo vt neceſſe ſit iſtos, Turcas impudentia longè ſuperare. neq; enim ſolent illi actis publicis fidem facilè abrogare. neq; negant, quæ luce ſunt clariora.

Ex toto denique iſto tractatu, quem Reginaldus & Giffordus Turcico odio incitati aduerſus nos ediderunt, conſtat illos, vel cum Turcis ſentire, vel peius ſentire. Turcarum enim partes propugnât, fidem Chriſtianam oppugnant, Chriſtianos omni maledictorum genere lacerant. Sed hæc melius ex reſponſione noſtra ad Turco-papiſtarum iſtorum maledicta & calumnias conſtabunt.

FINIS.

DE TVRCOPAPISTARVM MALEDICTIS, ET CALVMNIIS, ADuerſus GVLIELMI GIFFORDI CALVINO-TVRCISMVM libri quatuor.

PSALM. 49.

Sedentes aduerſus fratrem detrahunt, & contra eum ſcandala ponunt.

ESA. 51.

Sed nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis.

LONDINI

Excudebant GEORGIVS BISHOP, RADVLPHVS NEWBERIE, & ROBERTVS BARKER.

Anno Domini 1604.

In libros ſequentes Præfatio.

CANEM aliquando loquutum narrat [1] Plinius. ſed hoc ſemel tantum factum accepimus, idq; Plinius inter prodigia numerat. Nunc autem humana ſpecie multi canes loqui; & cum humana voce caninos latratus miſcere ſolent. adeoq; hoc impudenter faciunt, ut nihil iſtis hominibus prodigioſius aut portẽtoſius cõgitari poſſit. habent etiam, vt caninam linguam & facundiam; ſic canina capita, vt cynamolgi, de quib. [2] Plinius. oſtendunt enim capitis ſui malitiam & rabiẽ caninam; & dentes ſuos caninos in optimũ quẽq; diſtringunt. nunc dies omnes apud iſtos ſunt caniculares; ita valide latrant ad pontificis Rom. nutum tanquã ad cynoſuram ſuam ſpectantes. inter alios etiam Reginaldus & Giffordus ex canum Britannicorum genere nobiliſſ. par geminum, nuper latratibus ſuis aures multorum cõplerunt. præterea Stapletonus, & Alanus, & Sãderus, & Rishtonus, & multi alii canes vieti, & veſani, canina ſua facundia multa ſpecimina ediderũt. adeo vt cũ Propheta verè dicere poſſimus, [3] multi circumdederũt nos canes. multi, inquã, aduerſus nos obgãniunt canes rabioſi. imo ſicut canes rabidi aduerſus lunam; ſic iſti aduerſus Solem iuſtitiæ Chriſtum Ieſum oblatrant.

1. Lib. 8. c. 41.
2. Lib. 6. c. 30.
3. Pſalm. 21.

Iſtis ergo ſimul omnibus, ſi pro meritis merces reddetur, crura ſuffringenda erant, quod palã & publicè aduerſus bonos iam diu latrarunt. Sed quoniã immenſum eſt ſimul omnes aggredi; nos nunc contra illos duos, qui nuper Caluino-turciſmo ſuo edito, diu & multũ aduerſus Chriſti eccleſiã latrarũt, pugnabimus. Sanderus, Alanus & Stapletonus corã iuſtiſſimo iudice comparentes nunc pœnas ſuorum ſcelerum pendunt. Quid Rishtonũ & alios latratores maneat, niſi maturè reſipiſcãt, ex aliorũ pœnis coniicere licet. ſcripta ipſorũ alius cõſcin-

denda relinquo. Reginaldi *verò & Giffordi calumnias ego refellendas in me ſuſcepi. Giffordum etiam prolixè vapulare iubeo. Reginaldus iam ſentit, quid ſit aduerſus veritatem latrare.*

Indigni quidem erant quibus aliquid reſponderetur, vtpote leues ſcurræ, qui nihil attulerunt præter maledicta, & calumnias iam ſæpe refutatas. Sed quoniam nihil indignius eſt, quàm vt per huiuſmodi emiſſarios non tantum bonorum fama, ſed etiam veritatis cauſa vulneraretur; dentes ego illis excutiendos cenſui, ne morderent. præterea fieri poteſt, vt acris in tempore allata medicina, reliquorum curet inſaniam, & ad malè loquendum faciat tardiores.

[1] *Pſalm. 58.* *Famem quidem transfugæ Angli* paſſi ſunt grauiſſimam vt [1] canes, *& ex tenui ſtipendio, & micis ex Hiſpanorum menſis cadentibus vix vitam producunt ad miſeriam. ideoq; ex fame in rabiem ferè verſi videntur. ſed nos ex feris & rabidis, faciemus mites, & manſuetos. omnem enim ipſorum verboſam declamationem in anguſtum contractam refellemus, & hunc ipſorum tractatum palmarem, quem tanti faciunt, nihil aliud eſſe, quàm nugas theatri. & κενοχυτρολήρημον & hominum furioſorum futiles ineptias, oſtendemus.*

Ordinem nullum ſeruant aduerſarii. nihil enim aliud narrant, quàm aliquot otioſorum hominum confictam confabulationem. at nos, quantum licebit, ordinis rationem habebimus. vniuerſam enim aduerſariorum diſputationem, eorum veſtigiis inſiſtentes, ſecundum librorum, & capitum ſeriem excutiemus. principium autem faciemus à Giffordi ad Cardinalem Auſtriacum præfatione, cum quo in toto hoc tractatu nobis præcipuè negotium erit. ipſe enim & ſuas & alienas nugas edidit. Reginaldus nec ſponte (vt aiunt) iſta ſcripſit, & iam Deo iudice pœnas dedit. quis autem mortui manes plus quàm neceſſe eſt, cadat? ille adhuc viuit, & latus volitat, & hactenus intactus inſania ſua fruitur. ſed cum iſta legerit, quicquid de hominis inſania erit, lætitiam eius non fore diuturnam confido.

DE TVR-

DE TVRCOPAPISTARVM MALEDICTIS ET mendaciis,

LIBER I.

CAPVT I.

Giffordi ad Cardinalem Auſtriacum epiſtola detexitur, eiuſq; calumniæ refelluntur; ineptiæ deteguntur.

CVM tantum ſit in principio alicuius operis momentum, vt *Pindarus* illud rectè poſitum *columnis aureis* [1] compararit, & à [2] præclaro aliquo dicto exordiendum præceperit, vt inde beneuolentia lectorum comparetur: magno argumento eſt, nō aureum, ſed luteum opus moliri Giffordum, qui craſſum ſuum volumen, [3] vt Lindii ſacrum ſuum, à maledictis & execrationib. auſpicatur; ſi modò illud auſpicatò fieri dici poſſit, quod tam malo auſpicio inceptum eſt. nos enim & *Caluinianas appellat peſtes, & fraudis, & violentiæ, & vani-*

[1] *Gregor. Naz. in laudib. Baſilii.*

[2] ἀρχομένου δ᾽ ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. *Pindar. Olymp. hymn 6.*

[3] *Lactant. inſtit. lib. 1.*

tatis, & hæreſis accuſat. nempe vt ſicut magni oratores, maleuolentiam lectorum ſibi à primo operis ſui principio conciliaret. Sed vt tale decuerit maledicum hunc Romanæ ſynagogæ rabulam, præludium; non tamen coram *ſereniſſimo Cardinale*, vt ipſum ſalutat, huiuſmodi conuitia proferenda erant. quid enim nouit ille, an maledictorum tempeſtatem, ſua *ſerenitas* ferre poſſet?

Maledictis etiam mendacia, & ſycophantias admiſcet: nempe vt intelligamus nobis cum aduerſario & maledico & mendaciloquo negotium eſſe. aſſerit enim *nos partim fraude & dolis, partim vi aperta ſacroſanctam fidem, & religionem, quæ ſupra petram fundata eſt, oppugnare.* At hoc mendacium eſſe, ſi nullum aliud ſuppeteret, ex ipſi[9] Giffordi teſtimonio probare licet. nullum enim huius grauiſſimæ accuſationis affert argumentũ, vel indicium. nos autem præterea, & eccleſiæ noſtræ confeſſiones, & ſcripta publica proferre poſſumus, quæ huius ſcurræ ſycophantiam refellant. hoc ſanè teſtamur, & magna voce pronuntiamus, nihil nobis eſſe antiquius, quam vt Chriſti fidem, & ſacroſanctam religionem, ab omni hæreſi & labe integram, & incorruptam conſeruemus.

Doctrina verò ſynagogę Romanæ, quam nos oppugnamus, nec ſancta eſt, nec Chriſti & Apoſtolorum prædicationi conſentanea. de ea enim affirmare licet, quod Deus dicit

dicit de doctoribus populi ſui apud [1] Ezechielem: *oues meæ conculcatum pedibus depaſcunt, & conturbatum pedibus veſtris bibũt.* Pontificia enim ſchola multos iam annos verbum Dei conculcauit, & ex traditionum aquis turbidis potum populo Chriſtiano præbuit. *Hodie doctrina ſcholaſtica*, inquit [2] epiſcopus Chemenſis, *docet linguam ſuam loqui mendacium.* Idem dicit *ſacras literas corrumpi, & peruerti per poeticas nugas & paganica dogmata*, & *ſcientiam Dei non haberi integram.* vetus etiam eccleſię diſciplina per põtificum Rom. recentiores decretales [3] antiquata eſt, vt ſignificat Duarenus. Hiſtoriam eccleſię mendaces ſynagogę Rom. legendæ conturbarunt. iſtis nugis populum paſci ſolitum iam olim conqueſtus eſt Dantes [4] Alighierus. ſed ex ſingulis doctrinæ Chriſtianæ capitibus conſtat, fidem ſynagogę Rom. eſſe corruptiſſimam. ad legem Dei addiderunt traditiones hominum, quas *pari affectu cũ verbo Dei ſcripto recipiendas* decernit Cõcilium [5] Tridẽtinum. neq; minus volunt eſſe peccatum tranſgredi ſtatuta eccleſię, vt vocant, quam legem Dei. Deus concupiſcentiam vetuit: ipſi tamen negant concupiſcentiam eſſe peccatum. Deus vetuit [6] ſculptilia & ſimulachra ſibi fieri: iſti tamen Dei Patris & Spiritus ſancti fingunt imagines. Ille cultum ſimulachrorum [7] prohibuit: iſti tamen colunt, eamque ob cauſam

[1] *Ezek. 18.*
[2] *Onus eccleſ. c. 18.*
[3] *In præfat. in lib. de eccleſ. miniſt.*
[4] *Canto 29.*
[5] *Seſſ. 3.*
[6] *Exod. 20.*
[7] *Ibidem.*

in ſuis officiis [8] ſecundum mandatum, aut e-raſerunt, aut occultarunt, aut omiſerunt. Gratiam Dei in euangelio oblatam, iſti inimici gratię Chriſti, aut tollunt, aut minuūt. nam quod vocantur, operibus pręparatoriis; quod iuſtificantur, & ſaluantur, operibus etiam ſuis acceptum ferunt. ſacrificii etiam Chriſti vim ad idolū miſſę transferunt, Chriſtique ſanctiſſima ſacramenta mutant, corrumpunt, tollunt. neque vlla ferè eſt doctrinæ Chriſtianæ pars, quam non ipſi mutarūt, & fermento ſuo corruperunt. At Chriſtus & Apoſtoli longe aliter docuerunt. Paulus dicit Deum ſeruaſſe nos, & [9] vocaſſe vocatione ſancta, *Non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu, ante tempora ſeculorum.* Chriſtus in cœna *omnes* communicantes ad bibendum ex Calice [1] inuitat: idemq; ſe verum habuiſſe corpus [2] demonſtrat. Præterea nihil vel Chriſtus, vel Apoſtoli de purgatorio, vel indulgētiis papalibus, vel pontificis Rom. per orbem terrarū monarchia ſignificarunt. Poſtremò, omnes decretales epiſtolæ, & ſcholaſticæ ſubtilitates, & commentitiæ legēdæ, & cultus miſſaticus, & officia virginis Marię & ſanctorum, & alii ritus, diu poſt Apoſtolos introducti ſunt.

Prætereà, doctrina Synagogę Rom. quam nos oppugnamus, nō eſt ædificata ſuper petram, ſed ſuper arenam. *Plures,* [3] inquit Epiſcopus Chemenſis, *in ſabulo dogmata conſtruunt*

[8] *In officio B. Mariæ & alibi.*

[9] 2. *Tim.* 1.

[1] *Matth.* 26.

[2] *Iohan.* 20.

[3] *Onus eccl. c.* 15.

ſtruunt ruinoſa. Papiſmus enim, hoc eſt, labes fidei apoſtolicę, partim ſuper decretales pontificum Rom. partim ſuper traditiones incertas, partim ſuper legendas fabuloſas, partim ſuper conſuetudines Prælatorum & Synagogæ Rom. partim ſupra veteres & nouas hęreſes, vt poſtea dicemus, extructus eſt. Non ergo nos fidem Chriſti *demoliri tentamus*, vt hic Sycophanta mentitur; ſed excluſa omnī hæreſi, & ſordibus doctrinę purgatis, fidem nobis apoſtolicam reſtitui poſtulamus.

Atque hoc nos nec fraude aut aſtutia, nec armorum violentia, vt ipſe nos accuſat, quęrimus: ſed legibus & morib⁹ eccleſiæ & reipub. imò, dum non ſatis ab iſtorum inſidiis fratres noſtri cauerũt, multi ab ipſis perfidè & crudeliter oppreſſi ſunt. Quare, ſi horum calamitate reliqui facti ſint cautiores, & prudenter & fortiter vim aduerſariorum iniuſtiſſimam repulerunt; nihil eſt quod noſtros fraudis, vel violentiæ hic inſulſus declamator accuſet. neq; enim fraus eſt horum fraudibus occurrere; nec arma ſunt iniuſta, quæ neceſſariò ſumpta ſunt aduerſus hoſtiũ perfidorum crudeliſſimum impetum.

At ſi ad huius noſtri accuſatoris magiſtros & ſodales, orationem hanc conuertere velimus; in ipſos omnią hæc Giffordi crimina rectè quadrant. ipſi enim multos iam annos Chriſti eccleſiam & fidem oppugnarunt. ipſi bonis & piis exitium, & eccleſiæ excidiũ

machinati & minati ſunt. ipſi aſtutiis ſuis hominibus imperitis obrepſerunt, imparatoſque & inermes trucidarunt. aſtu quæſitores illi Hiſpanię ſanguinarii oues Chriſti decipiunt, captaſque iugulant. armis pontifices Rom. & eorum miniſtri reges & principes Chriſtianos oppugnant. mendaciis & aſtutiis ſuis Iebuſitę homines imperitos fallunt; doctrinamque pontificiam omnibus lenociniis ornāt. interim verò [4] pontificum Rom. mandato ſubditi perfidi coniurant, & legati & miniſtri [5] antichriſti bella contra pios gerunt. neque ſanè abſque violentia armorum & ſophiſtarum aſtutiis res regnumque pontificis ſtare poteſt. Sunt ergo iſti pontificis aſſeclę orbis & eccleſię peſtes, patriæ noſtrę calamitas, hæreſeôn & falſæ doctrinæ fons, ſeditionum flabella, bellorum cauſa, malorum maximorum ſeges, ſcelerum capita, religionis Chriſtianæ hoſtes capitales. Per pontifices Rom. eorumque miniſtros Chriſtianorum vires acciſæ, Turcarum opes mirum in modum auctæ ſunt. per iſtos deferbuit religionis & deuotionis ardor, malique mores creuerunt. per iſtos denique orbis Chriſtianus in maximas calamitates præcipitatus eſt. nos tamen iſta omnia videmus, & patimur.

[4] *Sanderus de ſchiſm. lib. 1. & 3. Natalis Cõ. hiſt.*

[5] *Vita Pii quinti.*

Aſſerit deinde *nos mendaciter, & ſine fronte naſcentis eccleſiæ primordia, & Oecumenica antiquiora concilia, & ſanctorum patrum teſtimonia iactare.* & intelligit nos ad Apoſtoli-

ſtolicam & primã Chriſti eccleſiam, & prima cõcilia & antiquiſſimos patres appellare: atque hoc ille fruſtra fieri putat. *neque enim primam eccleſiam, nec patres nobis ſuffragari.* Sed ſi mendacii nos arguit, debet nos argumentis conuincere, ne ipſe mendacii & calumniæ conuictus teneatur. ſi impudentiæ alios accuſare velit, debet ipſe à maledictis ſcurrilibus abſtinere. hoc in loco ſanè nihil ille affert, cur non in apoſtolorũ & patrum eccleſiæ teſtimonio & ſuffragio plurimum confidere debeamus. quod etiam hoc argumento cõfirmatur, quod nihil aliud poſtulamus, quam vt, abſterſis ſuperſtitionib9 & hęreſibus per pontificiam ſynagogam introductis, apoſtolica doctrina, & priſca eccleſiæ diſciplina nobis reſtituatur. Doceant ergo doctrinam ſuam apoſtolicam eſſe, & catholicam, & vicerint. doceant, inquam, illi magni ſcholę pontificię antiſtites: nam hic nugaciſſimus fabulator nihil poteſt. Nos ſanè, quod prima eccleſia, & apoſtoli, & patres credendum docuerunt, hoc credimus, hoc amplectimur, hoc amamus. atque hęc omnium noſtrûm ſententia eſt. quod autem Beza, Zuinglius, Vrbanus Regius, Illyricus, Humfridus & Whitakerus, quos iſte teſtes producit, non ſemper omnibus patrum & conciliorum dictis ſtare voluerint; propterea fecerunt, quia aut ſcripta ſub nominibus cõciliorum & patrum edita adulterina ſunt, vel quia ſingularem fouent ſententiam, vel

deniq;ue quia recentiora ſunt, quam vt fidē & authoritatem mereri potuerint. atque hęc noſtra eſt ſententia: hìc conſiſtimus: hìc pedem figimus. Quid autem aduerſarii? ipſi ſane à ſcripturis ad ſuas traditiones prouocāt: apoſtolorum ſcripturas ad pontificum Rō. interpretationes ineptiſſimas exigūt. patres ſimul omnes, ſi contra pontificis Rom. voluntatem loquantur, non nauci faciunt. atq; vt in pauca conferam, niſi ab apoſtolicæ eccleſiæ & patrum antiquorum iudicio ad pōtificis examen cauſam ſuā transferri poſſint; cōſiſtendi locum non habent. Quare, ſi ſapit Stapletonus, Giffordum hunc in hoc belli genere tyronem monebit, vt parcius poſthac apoſtolos, concilia, & patres iactet. nihil ſanè cauſſæ eſt, cur ſuas memoret *pugnas literarias*. nam niſi pugni plus quam pugnæ valuiſſent, iam pridem ad maximas anguſtias cauſa pontificia redacta fuiſſet. neq; enim vnquā ab aduerſariis tam feliciter pugnatum eſt, quin in plurimis, & maximis controuerſiis totius antiquitatis teſtimonio inferiores diſceſſerint.

Dicit præterea *nos nec interiorem ſenſum ſcripturæ nec exteriorem literam integram ſeruare. eccleſiæ enim primitiuæ, & catholicæ interpretationes à nobis repudiari, & multos libros, & librorum partes nos ex canone reſecare.* quo in loco, non modo pudorem, ſed etiam mentem abiecisse videtur. nam ſi quicquam illum puderet, & ſi non, vt lapis, ſtupidus eſſet,

ſet, nũquam vel verbo vno interpretationis ſcripturarum meminiſſet. nulli enim vnquã hęretici vel audacius eas peruerterunt, vel ineptius interpretati ſunt ſcripturas, quam pontifices Rom. & eorum aſſeclæ. *Sancti eſtote quia ego ſum ſanctus:* hoc eſt, inquit [1] *Syricius, abſtinete à coniugiis. Qui ſunt in carne, Deo placere non* [2] *poſſunt.* inde concludit [3] Innocentius, ſacerdotes coniugatos Deo non placere. at ſi verba hęc de cõiugiis intelligẽda eſſent, tum nulli coniugati Deo placerẽt. dixit [4] Paulus, *quod ſine intermiſſione memoriam faceret Romanorum in orationibus ſuis,* hoc ita interpretatur [5] Anacletus, quaſi Rõ. eccleſię cœlitus daretur primatus. *numquid* [6] *gloriabitur ſecuris aduerſus eum, qui ſecat in ea?* hoc eſt, interprete [7] Nicolao, numquid exaltabitur imperator aduerſus Pontificem Romanum? *fecit* [8] *Deus duo magna luminaria,* hoc eſt, inquit [9] Innocentius, *duas inſtituit dignitates, quæ ſunt, põtificalis authoritas, & regalis poteſtas.* & inde concludit tantum pręſtare pontificem imperatori, quantum ſol lunæ. [10] Bonifacius 8. multas ſimul vno loco ſcripturas peruerſè interpretatur. ꝙ de vno ouili, & vnico [11] paſtore loquitur Chriſtus, hoc ille ad põtificem Rom. detorquet. Quia Petro [1] dictum eſt, *conuerte gladiũ tuũ in vaginam,* inde concludit, in poteſtate Petri, & ſucceſſorum, eſſe gladium temporale. Quod dicit [2] Apoſtolus, *non eſſe poteſtatẽ niſi à Deo,* hoc ideo dictum putat, vt oſtenderet

1 Diſt. 82. c. plurimos.
2 Rom. 8.
3 Diſt. 82. c propoſuiſti.
4 Rom. 1.
5 Diſt. 22. c. ſacroſancta.
6 Iſa. 10.
7. Diſt. 21. c. inferior.
8 Geneſ. 9.
9 c. ſolitæ de maior & obed.
10 c. vnam ſanctam. extr. de maior. & obed.
11 Iohan. 10.
1 Matth. 26.
2 Rom. 13.

gladium temporalem eſſe ſub ſpirituali, quia omnia à Deo ſunt ordinata. vaticinium [1] Hieremię, *Ecce te cōſtitui hodie ſuper gentes & regna:* ad pontificem Rom. detorquent, quaſi ipſe conſtitutus eſſet ſuper gentes & regna.

Spiritualis homo, inquit [2] Paulus, *iudicat omnia, & a nemine iudicatur.* hoc eſt, interprete [3] Bonifacio, *pontifex Rom. omnes iudicat, & a nemine iudicatur.* Pontificum Rom. exemplo, magnam etiam alii ſumunt in peruertendis ſcripturis cōfidentiam. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? domino ſuo ſtat, aut cadit*, inquit [4] Paulus. at illi ita [5] interpretantur, ac ſi pontifex à nullo eſſet iudicādus. *Nō concupiſces*, inquit Deus in lege, hoc eſt, inquit [6] Hoſius, *non regnet peccatum in corpore veſtro.* his verbis, *non adorabis deos alienos*, damnari [7] putat eos qui miſſam, inuocationem ſanctorum, & cultum imaginum reiiciunt: eum tamē nihil aliud ſit miſſa, & cultus ſanctorum, & imaginum, quam alienorum deorum adoratio. *Qui vos audit, me audit*, inquit Chriſtus. at [1] Bellarminus ex eo pulchrè concludit, pontificem Rom. eſſe ſummum de ſenſu ſcripturarum iudicem. *Tota pulchra es amica mea*: Bellarminus de virgine Maria dictum putat. quod dicit Ioannes Baptiſta Matth. 3. *ipſe vos baptizabit Spiritu S. & igni*: hoc Bellar. lib. 1. de purgator. cap. 4. de igne purgatorio exponit. quaſi Spiritus ſanctus pontificis Rom. eſſet miniſter,

[1] *Hierem.* 1.
[2] 1. *Cor.* 2.
[3] *Vbi ſupra.*
[4] *Rom.* 14.
[5] *Turrecremat. lib.* 3. *ſumma. cap.* 50.
[6] *Confeſſ. Petr. cap.* 74.
[7] *Ibid. c.* 72.
[1] *De verb. Dei lib.* 3. *c.* 10.

ſter, vt in purgatorio animas baptizaret. *Bibite ex eo omnes*, hoc eſt, vt iſti interpretãtur, *non omnes*. Item, *honorabile eſt coniugium inter omnes:* hoc eſt, vt iſti volunt, non inter omnes.

Cum ergo tales paſſim habeant interpretationes, nõ eſt mirum, ſi de recta interpretatione, & interiore ſenſu, & doctrina mirifica cathedrę Romanæ glorietur Giffordus. De canone reſpõdeo quod ſæpius fecerunt noſtri, nullos nos libros abrogare, quos eccleſia Apoſtolica, & primitiua ꝓbauit. libros Tobiæ, Iudith, Sapientię, Eccleſiaſtici, Machabæorum, & librorum partes, quæ non ſunt in Hebræorum canone, ante nos Hieronymus in ꝓlogo Galeato, & alibi, à canonicis ſecreuit. etiam Gregorius primus teſtatur libros Machabæorum non eſſe canonicos. *De qua re*, [2] inquit ille, *non inordinatè agimus, ſi ex libris, licèt non canonicis, ſed tamen ad ædificationem eccleſiæ editis teſtimonium proferamus*. libros iſtos olim Melito, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius, multique patres excluſere ex canone. recenter etiam Hugo de ſancto Victore, & ex recentioribus papiſtis nonnulli. quid quod [3] Sixtus Senenſis iſtos ab aliis libris primæ authoritatis diſtinguit?

[2] *In Iob. lib. 19. cap. 16.*

[3] *In bibliothec. ſancta.*

Nec obſtat quod Auguſtinus, & concilii Carthaginienſis patres eos inter canonicos libros recenſeant. illi enim ab apocryphis fabuloſis iſtos diſtinxerunt, & quia legi

ſolebant in eccleſia, canonicos eſſe cẽſebát, ſaltem quoad mores. *Tales*, inquit Hieronymus in prolog. in libr. Regum, *recipit eccleſia, non ad probationem fidei, ſed ad morum inſtructionem.* hos Ruffinus non *canonicos, ſed eccleſiaſticos* dictos ait. Impudẽter ergo Giſfordus nos cum Marcionitis, & aliis hæreticis, qui ſcripturas propheticas, & apoſtolicas, aut negabant, aut corrumpebant, coniungit. nihil enim reperiet à nobis admiſſũ, indignum ſcripturæ ſanctæ maieſtate. at papiſtę nugaces & commentitias traditiones verbo Dei æquant, & ſcripturis quoad nos omnem authoritatem, niſi accedat [1] eccleſiæ, hoc eſt, pontificis Rom. conſenſus, abrogãt. & ſicut olim *Manichæi* [2] *legebant Scripturas Apocryphas á ſutorib. fabularũ ſub nomine Apoſtolorũ ſcriptas*; ſic iſti mendaciſſimas legendas, & narrationes à ſutoribus neſcio quibus cõſarcinatas publicè legunt. Poſtremò ſcripturis in originalibus linguis minorem fidem adhibent, quam vulgatæ verſioni Latinę.

1 Stapleton. de ecceſ. authorit. paſſim.
2 Auguſt. contr. Fauſt. lib. 22. c. 79.

Verſionibus etiam noſtris ſcripturas ſacras deformatas eſſe queritur Giffordus. ſed libenter ab eo diſcere cupio, quomodo cum linguæ Hebraicę & Græcæ planè imperitus ſit, hoc ſciat. Præterea vt hoc ſcire poſſet; tamen impudenter ſibi de rebus tantis affirmanti abſque probationibus credi poſtulat. De verſionibus noſtris ſatis reſponſum eſt

Gre-

Gregorio Martino. Ex verſione Latina teſtamenti Bezæ ſe adiutos papiſtę negare nō poſſunt, ſi quid eis ingenui pudoris ſupereſit. de aliis verſionib. alii reſponderunt. Verum vt aliquis noſtrûm non rectè aliquem Scripturæ locum interpretatus eſſet; non tamen hoc noſtrę cauſæ officit. non enim nos interpretationes probamus, niſi quatenus cum ſcripturarum ſacrarum codicibus originalibus, & analogia fidei cōnſentiant. At iſti flagitiosè verſionem Latinā, & longè ab originalibus libris diſcedentem, & multis in locis corruptam, authenticam fecerunt, & eam pręſtare tenentur. imò & peſſimè eam interpretantur. rectè ergo in papiſtas hæc Giffordi verba quadrant. illi enim verſionibus ſuis *Scripturas deformarunt*, *& eas ad ſuam hæreſim ſtabiliendam* nimis violenter traxerunt, vt ex Bellarmini, & reliquorum huius ſectæ procuratorum ſcriptis liquidò conſtat.

Ex iſtis etiam concidit illa Giffordi ſpes, quam de lapſorum ſanitate, & papiſtarum conſtantia, ex hæreticorum, vt loquitur, audacia & temeritate conſequuturam concepit. neque enim hęreſeos nos conuincere, nec vllam in noſtris hominibus vel audaciam, vel temeritatem demonſtrare poteſt. imò qui ipſum tantum ſuperant, quantum aurum lutum, fruſtra ſe in hac controuerſia iactarunt. nihil eſt ergo, quod tyro iſte ferocculus ſuas ineptias nobis venditet.

Patres nos plurimi facimus; hiſtorias eccleſię, teſtes noſtræ ſententiæ crebrò citamus; in Scripturis firmamentum cauſæ collocamus. at miſeri papiſtæ, niſi antiquiſſimis patrum ſanctionibus contemptis, ſtare non poſſunt. longè enim diſtant illæ à recentioribus decretalibus. Patrum etiam de Scripturis, de Chriſti officio, & meritis, de tranſſubſtantiatione, miſſa, purgatorio, pontificis primatu, & rebus maximis, contemnunt ſententiam. nunc Cæſaris Baronii opera hiſtoriam eccleſiæ corrumpere conantur. Leges imperatorum optimas antiquarunt. niſi Scripturarũ codices recipiantur ſecundum leges, ſententiam, & verſionem ſynagogæ Romanę; actum eſt de pontificis mitra ipſi ergo *patribus, hiſtoriis populis, legibus, omnibuſque vetuſtatis & veritatis veſtigiis iampridem nuntio remiſſo*, vt loquitur Giffordus, etiam ipſis tandem ſcripturis vim attulerunt. ipſi inter ſe diuiſi ſunt; licèt omnes aduerſus Chriſti fidem pulchrè conſentiant. ad ipſos pertinet nequitia & morum improbitas, vt antea fusè oſtenſum eſt. ab illis bellum aduerſus Apoſtolicam eccleſiam & doctrinam iamdiu geſtum eſt. quæ omnia ille nobis abſque omni argumento obiicit.

Credit ille eſſe nos *obſcuros, homunculos, pauculos, & imperitos*: ita contempta eſt ſcilicet noſtra humilitas huic ampliſſimo viro,

& ſa-

ſacræ Theologiæ doctori, & inſignis eccleſiæ *iui Petri decano*, vt ſe appellat. nullos e-im videt apud nos pontifices ſummos au-o radiantes, nec Cardinales armigeros, nec rælatos cocco & purpura ſplendentes. ſed uantumuis ſimus contempti; cauſam tamẽ oſtram hacten⁹ aduerſus hoſtium ſummas pes defendimus, & nihil illi aduerſus nos, icèt paucos, & infirmos efficere potuêre. uod etiam valdè cõfirmat cauſam noſtram. eque enim aduerſus tot hoſtium inſidias, antaſque opes cauſa hominum pręſidio de-ſtituta præualuiſſet, niſi Diuino auxilio mu-ita fuiſſet. Sed quicquid eſt de cęteris, ni-il eſt cur Giffordi Thraſonicas minas me-uamus.

Appellat etiam nos *impuros*; homo ſcili-et ſanctus, & ſeuer⁹. ſed oblitus eſt ſe iactu-â pudicitiæ gratiam apud hirquinos illos Moloch ſacerdotes obtinuiſſe. & plane im-udenter homo impuriſſimus & inter ho-ines obſcœniſſimos, & draucos ætatem xigens, aliis impuritatem exprobrat. Illud erò valdè ridiculum eſt, hunc, qui ſe Chri-ſtianum profitetur, & Scripturas ſe ſacras ropugnare ſimulat, *Plures Deos* agnoſcere; quo, ex Paganis nonnulli verecundiores bhorruerunt. quod quidem ſi quiſquam oſtrûm faceret; huic proculdubio Pagani-mum obiiceret.

Repetit p̃terea & inculcat qđ antea dixe-

rat de patrib. & ſcripturis, &, vt noſtris ſe terribilem faciat, dicit nos *Æthereas voces truncare*, quod planè mirabile eſt. quomodo enim poterit9 voces Æthereas truncare, niſi fortè, vt ipſe hoc loco fecit, verbũ principale [1] omittat? ſed de iſtis antea reſponsũ eſt. Patres nos veneramur, neq; iis noſtros homines anteponere ſolemus; ſed ita veneramur, vt ſcripturis ſuam maieſtatem ſeruemus.

[1] *In epiſt dedic. pag. 4. in fine, verbum principale, quod multas ſententias colligare debuit, omiſſum eſt.*

At papiſtæ turpiſſimum, & inſulſiſſimum quemque pontificem Rom. & eius decretales, omnium patrum ſcriptis pręponunt, & de Scripturis malè loquuntur, eaſque fœdiſſimè truncant. quod planè oſtẽdit nobis negotium eſſe cum trunco, & caudice & lapide, qui iſtorum meminiſſe auſus eſt.

Prętereà planè arrogãs eſt, qui hoc demõſtrare conatus eſt, in quo *Roffenſis, Polus, Hoſius*, & alii multi nequicquam ſudarunt.

Verum vt Scripturas tantum in pugna hac noſtra afferremus, non tamen propterea inferiores eſſemus: nec aduerſarii, licèt alia iactent firmamenta, ſuperiores. Tertullianus in cauſſa fidei ſe ſolis Scripturis hęreticos profligare poſſe exiſtimauit. *Nobis*, [1] inquit, *curioſitate non eſt opus poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt euangelium. Cum credimus, nihil deſideramus vltra credere. hoc enim credimus, non eſſe, quod vltra credere debeamus.*

[2] *De præſcrip.*

Auguſtinus pręter ſcripturas in certamine fidei nihil authenticum eſſe docuit. *Auferãtur illa de medio*, [2] inquit, *quæ aduerſus nos inuicem,*

[3] *Contr. epiſt. Petil. c. 3.*

uicem, non ex diuinis canonicis libris, ſed aliunde recitamus.

Patres inter hæreticorum notas ponunt, refugere à Scripturis, vel ſolis. *Aufer hæreticis*, inquit [1] Tertullianus, *quæ cum ethnicis ſapiunt, vt de Scripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare non poterunt.* [1] *De reſurrect. carnis.*

Similiter [2] Baſilius; *Manifeſta eſt*, inquit, *à fide defectio, & crimen ſuperbiæ, vel reiicere aliquid eorũ, quæ ſcripta ſunt, vel* [3] *introducere aliquid eorum, quæ ſcripta non ſunt.* Ex iſtius ergo patris teſtimonio Giffordus noua præſidia conquirens, & ſcripturas deſerens, non tantùm ſuperbiæ conuictus tenetur, ſed etiam ad infideles & ethnicos, & Turcas ſuos reiectus eſt. [2] *De fide.* [3] ἐπεισάγειν τι τῶν μὴ γεγραμμένων.

Hæc ergo malè. illud verò vnum rectè, quod ſcriptum hoc ſuum *inſolens & peregrinum* eſſe fatetur. eſt enim inſolentiæ, & arrogantiæ pleniſſimum: & planè oſtendit eius authores in Theologia & omni doctrina eſſe peregrinos, & non tantùm peregrinari à patria, ſed aduerſus patriam hoſtes ſe profiteri. quos ego ſic excipiam, vt omnes Papiſtas eorum, & ſcripti huius pudeat: atq; vt omnes viri boni meretricis *Babylonicæ* calumnias, & turpitudinem deinceps oderint.

Poſtremò, vt finis principio reſpondeat, valde conuitiatur, & nobis *Apoſtaſiam à Chriſto, & Turciſmum* obiicit. appellat etiam eccleſias noſtras *laceras, & diſſectas ſynagogas, in arena conſtructas, & inſtar lunæ mutabiles:*

& multa in eã sẽtẽtiã dicit, ex vetere aliqua declamatione, vt videtur, deſumpta. quæ omnia, tanquam paleæ, ſpiritu veritatis, & iam ſæpe difflata ſunt, & ſequenti diſputatione diſſipabuntur, vbi nos & Giffordo, & ſocienno eius Reginaldo interſtringemus gulam.

Interim verò ſatis eſt monuiſſe, omnem hanc Giffordi accuſationem in eius caput retorqueri poſſe. nam Papiſtas iam oſtendimus cum Turcis pulchrè conſentire. & omnes vident papiſmum nihil aliud eſſe, quàm apoſtaſiam, de qua Paulus 2. Theſſalonicenſ. 2. & ipſorum ſynagogas in pontificum decretalibus tanquam in luto; & in traditionibus humanis, tanquam in ſtipulis eſſe ædificatas. adeoque apud eos omnia eſſe mutationi obnoxia, vt nihil habeant certi, aut explorati. omnia enim ex pontificum nutu pendent, & pro eius voluntate mutantur.

Has nugas & ineptias Giffordus Alberto dedicat Cardinali: ſe enim *in eius amorem præcipitem rapi dicit*. ſed & præcipitem cum in luſtra ferri ſolere narrant, qui inde ad nos veniunt. hunc contumeliarum cumulum omnes vident eum nimis præcipitanter edidiſſe. caueat ergo, ne in infernum etiam intemperantiæ linguæ obſequens, præceps ruat. Cardinalem, nugarum & calumniarum patrocinium nõ decet: præſertim verò ſi princeps ſit *sereniſſimus*. princeps enim

nim bonus oppreſſorum eſt aſylum, & innocentium portus, & vnicum bonorũ præſidium; at turbulentorum hominũ rixæ hominib. pacificis, & ſerenis ingratiſſimę ſunt.

CAP. II.

De Caluino, Giffordo, & Reginaldo, aduerſus Giffordi ad Lectorem præfatiunculam.

DE Caluino nihil opus eſt multa dicere. virum fuiſſe eximie pium, & doctum, & ſcripta ipſius varia, & ciuitas Geneuenſis, & ex Germania, Gallia, Anglia, aliisq; Chriſtiani orbis prouinciis, teſtes locupletiſſimi teſtantur. morum integritatem, dum vixit, nec leuiſſimâ aliqua ſuſpicionis labeculâ inimici eius capitales, licèt multa vndiq; inueſtigarint, cõmaculare potuêre. Nec obſtat, quod multa nunc *Bolſecus, Genebrardus, Laingeus, Laynoius* & huiuſmodi põtificię ſynagogę rabulę excogitarint contra eum crimina: hæc enim omnia poſt eius mortem, abſque vllo colore, aut ſuſpicione conficta ſunt. Mihi ſanè hoc argumento eſſe maximo videtur, hunc fuiſſe virum bonum, quod tot eum allatrant, & rodunt mali, perpetuò ille, dum vixit, aduerſus ſynagogæ Rom. hęreſes & turpitudinem depugnauit. hinc pontifici Rom. factus eſt inimicus, in cuius gratiam, & illi quos diximus, & alii multi aduerſus ipſum, quantum poſſunt, clamant.

Reginaldus hunc potiſſimum delegerat, in quem incurreret. ſed illud viri fortis eſt,

virtute ſua, & non per alienam iniuriam, ad famam peruenire. iſte tamen, vel vt ſe, qui aliâs Caluino addictiſſimus erat, purgaret; vel vt gratiam aliquam à pontificis Roman. partibus iniret, quibus relicta patria ſe totum addixerat; vel vt à fame ad famam perueniret; doctrinam Caluini *magno labore & induſtria* cœperat calumniari; atque iam in curſu erat. ſed Deus multa molientem, & malè loquentem repreſſit, & ab accuſando Caluino, ad reſpondendum de calumnia coram ſuo tribunali traxit.

Inchoatas ipſius cogitationes ad vmbilicum perduxit Giffordus, & opus imperfectum abſoluit, multa mentiens, multa ineptiens, multa aduerſus Caluinum obganniens. ſed vt ipſis odio & inuidia rumperentur ilia; tanti viri famam nunquam obſcurabũt. Caluino ego iniuriam facerem, ſi cum ipſo Giffordum & Reginaldum compararem. Ille enim vir erat ſummè pius, & doctus, & virtutis & humanitatis inſigne exemplum. in munere paſtorali aſſiduus, in ferendis iniuriis fortis, erga pauperes & afflictos miſericors, erga flagitioſos ſeuerus & inuictus, veritatis ſtrenuus propugnator. nulla in animo inuidiæ aut libidinis labes. non transfugit ad hoſtes, non prodidit patriam Hiſpanis, non inſidiatus eſt vitæ principum, nõ coniurauit aduerſus patriam. In illos autem duos hæc omnia quadrant.

Vituperent ergo ipſum quantum poſſunt

ſcurræ iſti; nunquam tamen illi pares erunt. Eſt enim Giffordus homo voluptarius, & ex Epicuri ſchola doctor multiloquus, idemq; eſt bene curata cute porcus, declamator indoctus, ineptè huic rei datus orator. Reginaldus dum vixit bilioſus erat ſcurra, & mentis parum ſanæ: religionis præ ſe ferens ſpeciem, ſed planè nullam religionem curans. Vterque fidei apoſtata eſt, & transfuga, & patriç proditor.

Quod ergo Caluino continenter iſti maledicunt, magnam ipſi iniuriam faciunt. quod doctrinam ipſius Caluiniſticam appellent, in nomine Caluini inuidiam veritati conflare conantur. idque immeritò: non enim ille in nomine ſuo venit, nec propriam doctrinam prædicauit, ſed doctrinam Ieſu Chriſti. Quod autem religionem orthodoxam, quam fideles aduerſus Satanæ, & Antichriſti gregem, eorumque fraudes & abuſus defendunt, *Caluiniſticam perfidiam, & Caluinianum pſeudo-euangelium* appellant, eamque cum *Mahometana perfidia comparant*; fidei Chriſtianæ ſe apertos eſſe hoſtes indicant, & nomine Caluini ad fallendos imperitos abutuntur. Neq; enim nos aliud credimus aut prædicamus euangelium, quàm quod Chriſtus & Apoſtoli eius docuerũt. nec religionis noſtræ dogmata nos à Caluino, ſed à Chriſto accepimus. Caluinum denique, ſicubi errarit, ſequi nõ tenemur. Miſſum ergo faciat nomẽ Caluini

Giffordus, & ſi quid habeat, quod aduerſus nos afferre poſſit; ne detrectet. niſi enim aliquid aliud habeat, reperiet ipſe nihil nos falſi docere, & doctrinā noſtrę eccleſię Apoſtolicam & orthodoxam eſſe, & euangelio Christi conſentaneam, & ab omni perfidia & labe puriſſimam.

Aſſerit quidem Giffordus, *ſe collationem religionis Caluini cum Mahometana perfidia a Reginaldo inſtitutam, enucleatam, & accuratius digeſtam in lucem emiſiſſe.* ſed nimis ineptè ſibi ipſi abblanditur. nihil enim cogitari potuit toto hoc ſcripto diſſolutius, eneruatius, ineptius. nullus eſt ordo, nulla partium diſtinctio, nullus ornatus in verbis, nihil roboris in argumentis. tolle mendacia & ineptias, nihil erit reliqui. An ille quidē nucleatè, aut accuratè? quomodo, obſecro, poteſt, qui nucleo amiſſo, nihil pręter putamina, & pura puta mendacia habet? quæ omnia ferri poſſent æquius, niſi ſe nimis iactaret.

Putat etiam ex hoc libro *ſe magnam infamiæ labem noſtræ cauſæ inuſturum, & omnes poſthac a doctrina noſtra declinaturos.* ſed lōgè errat. quis. n. non abhorrebit ab ea cauſa, quæ abſq; calumniis & maledictis conſiſtere non poteſt?

Præterea, quis nō omnia poſthac eorum dicta & facta ſuſpicabitur, cum abſq, omni argumento, aut idonea ſuſpicione, grauiſſima crimina perfidiæ & Mahometiſmi nobis ob-

bis obiecta videt? doctrinam noſtram nos ab iſtius leuiſſimi ſcurrę maledictis ſatis vindicabimus, eamque nos ex euangelio Chriſti & doctrina Apoſtolica hauſtam eſſe demonſtrabimus.

At Papiſtarum doctrina omnis decretalibus nititur, & traditionibus non ſcriptis, quæ non modo recentiores ſunt quàm doctrina apoſtolica, ſed planè cum ea pugnāt. quod ſi aliter Giffordus exiſtimet; oſtendat nobis pontificis Rom. pompam & primatū ex euangelio. oſtendat etiam tranſubſtantiationem & adorationem & circumgeſtationem euchariſtiæ. Doceat nos calicem à populo auferri debere. doceat nos cultum & inuocationem ſanctorum ſecundum librorum ritualium morem, ex doctrina euangelica; omnemque reliquam ſuæ ſectæ ſuperſtitionem nobis probet. niſi fecerit, nihil eſt quod ſperet aliquos viros bonos Bacchico eius furore ad malè de recta Chriſti fide ſentiendum, commotos iri.

Cap. III.

Argumentum & ſtructuram operis Giffordiani, ſtultiſſimam eſſe, aduerſus alteram, ſiue Giffordi ſiue Reginaldi præfationem.

Dialogi hunc morem habent, vt licèt falſa quædam intermiſceantur, nihil tamē fingatur, niſi probabiliter. diligenter etiam ſcriptores docti conſiderant, quid deceat; & perſonis, locis, & temporibus aptos tri-

buunt ſermones. *fictiones perſonarum ita demum à fide non abhorrent*, inquit [1] Quintilianus, *ſi ea loquutos finxerimus, quæ cogitaſſe eos non ſit abſurdum.* ſic etiam [2] Horatius:

[1] *Inſtit. orat. lib. 9. c. 2.*

[2] *De arte Poet.*

Ficta voluptatis cauſa, inquit, *ſint proxima veris,*
Nec q̄d cūq; volet, poſcat ſibi fabula credi.

Nihil autem horum inſulſæ huius fictionis & dialogi authores ſpectarunt. Fingi Reginaldus *verbi Dei miniſtrum natione Anglum, relicta patria primo in Palatinatum, deinde ex Palatinatu migraſſe in Turciam, vbi circumciſus, ex Chriſtiano fit Mahometanus, & mutato nomine Michaas dicitur.* quæ omnia ineptiſſimè excogitantur, & contra ipſum potiùs, quàm nos faciunt. neq; enim nunc cauſa aliqua eſt, cur verbi Dei miniſtri nobiſcum ſentiētes patriâ relictâ exulatum abeant. at Papiſtarum ſectæ fauentes nonnulli quotannis profugiūt, & ad hoſtes trāsfugiunt præſenti rerum ſtatu offenſi, vt ipſe Reginaldus, & Campianus, & Giffordus, & alii nonnulli. Videat ergo Giffordus, ne potius ex ſacrificorum genere fuerit, & mutatis perſonis de ſuis fabulam narret.

Deinde nullus mentis compos ex Anglia per *Palatinatum* in *Turciam* proficiſci ſolet. at per *Romam* & *Viennam*, quô Papiſtę confluere ſolent, iter eſt ex Anglia in Turciam expeditiſſimum.

Præterea, non dicit, per quem Palatinatū iſte Anglus in Turciam profectus ſit. poteſt autem fieri vt quis per ditionem ducis

Bauariæ, qui ſe etiam Palatinum Rheni vocat, vbi multa ſunt Iebuſitarum collegia, habito cum illis ſermone, ad Turcicam religionem amplectendam inductus ſit, quod ſectæ Iebuſiticæ parum eſt honorificum. Abſurdum eſt etiam quod fingit, aliquem noſtrûm, nulla inductum ratione, religionem Chriſti abnegaſſe. nam ſi nihil negotii abſque ratione ſuſcipi ſoleat; abſurdum eſt, aliquem in peccatum omnium grauiſſimum tam facilè incidiſſe. Aſſerit denique hunc Anglum circumciſum dictum fuiſſe *Michaam*. at nomen hoc Iudæorum eſt proprium, & non Turcarum: quod ſatis oſtendit aduerſarium noſtrum, licèt multa de rebus Turcicis loquatur, eas tamen vel oſcitanter legiſſe, vel parum intellexiſſe.

Pergit autem Reginaldus, & dicit, *veniſſe etiam Conſtantinopolin cum oratore Anglicano alium miniſtrum nomine Samuelem, Michaæ olim notum, cum quo longa ſuſcepta ad Mahometi ſepulchrum peregrinatione, Conſtantinopolim reuertitur, & apud Ludouicum quendam papiſtam Gallicum hoſpitatur, & amicum Michaã a ſecta Mahometi ad patriam religionẽ reuocare conatur.* vbi multa non modò falsò, ſed etiam inſulsè & ineptè confinguntur. neq; enim ſolent paſtores eccleſiarum apud nos, qui ſe gregum ſuorum cuſtodiæ alligarunt, temere peregrinari. apoſtatæ quidem religionis, quales erant Cãpianus & Reginaldus, transfugere & pere-

grinari ſolēt; eiſque vel ad Turcas, vel ad extremos Garamantas peregrinari licet. ſed ineptè noſtris hominibus aliena imponitur perſona. Præterea, nullum habemus nos alium Conſtantinopoli oratorem, aut legatum publicum, præter mercatorum quendam procuratorem, de mercimoniis & aliis quibuſdam negotiis hominum priuatorum eò miſſum: qualem habent Hiſpani, Galli, & Veneti, & cuiuſmodi etiam pontifices Rom. habuerunt. Illud verò omnium abſurdiſſimum eſt, fingere aliquem noſtrûm qui peregrinationes omnes ad ſanctorum ſepulchra, & reliquias condemnamus, ad hominis impii, & damnatiſſimi templum & reliquias peregrinari voluiſſe. Rectius hæc multò in Papiſtas conferuntur; qui ad ſepulchrum Hieroſolymam proficiſci ſolent, & nonnunquam ad ſepulchrum Mahometi, nouitatis elati ſtudio, [1] feruntur. Illud denique parum probabiliter narratur, Samuelem Michææ Turcæ reditum ad Chriſtianam religionem ſuaſiſſe, cum hoc *Ludouicus* alia huius fabulæ perſona facere reformidaret. eſt enim apud Turcas capitale aliquem à ſecta Mahometi reuocare.

[1] *Theuet. coſmogr. libr. 6. & Breidē-bach. cap. 3.*

Introducit etiam Reginaldus Michæam multa in laudem Alchorani, & religionis papiſticæ ſubtiliter, & ſtudiosè declamantem: eundemque ſcholaſticè, & argutè contra noſtræ religionis principia fingit diſſeruiſſe; quod nos facilè patimur, nam & Turcas

& Papiſtas aduerſus veram Chriſti fidẽ obgannire decet. ſolentq; ipſi vno animo veram Chriſti eccleſiam oppugnare: & in eorum corporibus, velut in Engaſtrimythis, diabol⁹ multas blaſphemias aduerſus Chriſtum Ieſum, & eius euangelium effundit. ſed nihil magis alienum ab aduerſarii cauſa, quàm eundem hominem & aduerſus nos diſſerere, & pro pontificiis hæreſibus pugnare: nec magis abſurdum, quàm Turcæ impiiſſimo cauſæ papiſticæ partes tribuere; quod Reginaldus tamen paſſim facit; & eius inſulſiſſimus ſubſcriptor Giffordus valde probat.

Poſtremò, Ludouicum quendam Gallum, qui in *Perano* ſuburbio caupo erat, & in Turcia habitabat, ſubtiliſſimè de difficilimis religionis papiſticæ capitibus aduerſus Alchoranum, & Caluini doctrinam diſputaſſe dicit. quod totum adeo abſurdum eſt, vt nihil ſupra. neque enim quicquam ſtultius, quam cauponi partes Theologi papiſtici tribuere. nec hoc ille feciſſet, niſi vt ſe religionem cauponari inſtituiſſe demõſtraret. Pręterea nõ rectè Gallo defenſio ſuperſtitionis papiſticæ tribuitur. multi .n. Galli intelligũt papiſmum nihil aliud eſſe, quàm omnium hæreſeωn & ſuperſtitionum, & turpitudinum gurgitem, & cloacam. hæc ergo veriſimilius & magis conſentaneum erat ab Hiſpano aliquo, aut Italo, qui pontifici Roman. multò ſunt addictiores,

quàm Galli, diſputari. Poſtremò, cum apud Turcas capitale ſit de Alchorano diſputare, & ipſe ante dixerit, capitale eſſe aliquem à ſecta Mahometi abducere; cur ille *Ludouicum* inducit contra Alchoranum diſputantem, & ex eius peruerſitate alios à ſecta Mahometi abducere conantem?

Atque hæc in perſonis huius dialogi aduerſarii peccarunt. In ipſo verò argumento enarrando, multò maiora flagitia admiſerunt. profitentur enim *ſe principiis theologicis nolle inſiſtere*: & aſſerunt *nos ea contemnere*. quorum hoc flagitioſum eſt mendacium, illud abſurdiſſimum conſilium. oſtendant enim, ſi poſſint, vbi nos principia Theologiæ contempſerimus. oſtendant ſaltem aliquem noſtrûm, qui hoc in ſe flagitiũ admiſit. quid quod nonniſi abſurdè aduerſarii de principiis theologiæ mentionem inducere poſſunt. Præter pontificis enim Rom. placita, nullum illi [1] habent certum ſuę religionis principium. non patres; quia omnes põtifici repugnantes flocci faciunt. non conciliorum canones: nam illi optimos & antiquiſſimos antiquarunt, imò nec ſcripturas, niſi ex pontificum Rom. ſententia intellectas. at contra decretales pontificum, miſſalia, breuiaria, legendas, & huiuſmodi nugamenta, vtpote à põtificib. Rom. profecta, ꝓ certiſſimis habent ſuæ ſectæ fundamentis. Præterea, doceãt quomodo aliqua in theologicis reb. concluſio demonſtratiua inferri poſſit,

[1] *Fundamẽta papiſmi quæ ſint.*

poſſit, abſq; certis theologiæ firmamentis, & principiis. planè ergo ſe in Theologia nugatores profitētur, qui abſq; principiis Theologicis ſe aſſerūt de reb. diuinis diſputaturos. imo planè delirant, qui ſe inermes telis noſtris obiiciunt, & abſq; telis theologicis victoriam obtenturos ſperant.

Aſſerunt præterea ſe oſtenſuros nos magis *cum Gentiliſmo, quàm cum Chriſtianiſſimo conuenire.* ſed adeo hoc ab inſtituto eorum alienum eſt, vt toto hoc libro ſuo, nec verbum de gentiliſmo faciant. adeo vt hoc loco aut dormitaſſe, aut prolixius ſe inuitaſſe videantur. conuitiorum ſanè iſtorum vel gentiles ipſos puderet. iſtos verò nihil pudet, modo pudenda flagitia viris bonis obiiciant, quibus ipſi multò magis affines ſunt.

De beatiſſima Trinitate, & Chriſto Ieſu infandas nobis obiiciunt impietates. aſſerunt enim nos *Trinitatem tollere, & Chriſtum abnegare, & Caluini pſeudo-euangelium* (date veniam eorum blaſphemias repetenti) *Alchorano Mahometi, in nullo eſſe melius, in multis tetrius & flagitioſius contendunt.* ſed has calumnias non modo publicę eccleſiarum noſtrarum confeſſiones, & ſcripta publica, ſed etiam aduerſariorum, quantumuis cauteriata conſcientia, refellit. ipſi enim norunt publicè nos profiteri ea omnia, quæ vel in Apoſtolico, vel Niceno, vel Athanaſii ſymbolo continentur; in quibus myſterium trinitatis & Chriſti Ieſu fides

multò religioſius & diſertius, quàm in vllis papiſticorum Sophiſtarum ſcriptis explicatur. [1] ipſe etiam Caluinus apertè profitetur, ſe cum Apoſtolica & Chriſti eccleſia omnes de his myſteriis articulos tenere. quid quod in colloquio Ratiſbonenſi anno 1546. inter præcipuos ſectæ papiſticæ actores & noſtros inſtituto, [2] Carolus Cæſar *duos primos articulos confeſſionis Auguſtanæ, nempe de Trinitate, & verbi incarnatione omitti iuſſit, quia non haberent controuerſiam.* Quod ſi ergo ex principiis Theologicis Petrus Maluenda, Latomus, Cocleus, & alii præcipui dogmatis pontificii propugnatores docere non poterant, nos malè de iſtis ſummis capitib. fidei ſentire; quid eſt quod Turcici iſti theologi, & ridiculi declamatores ſperent, qui ſe ex aliis principiis, quàm theologicis, diſputaturos profitentur? num illi ex Turcicæ perfidiæ & Alchorani firmamentis fidem ſe Chriſtianam euerſuros putant? De Caluino Feuardentius, odio Chriſtianæ pietatis incenſus, multa affirmat. ſed ſi modos loquendi quoſdam pauciſſimos excipias, in quibus & Bellarminus & omnes papiſtarum præcipui doctores nonnunquã peccant, nihil eſt, quod in Caluino, vel ipſe momus, quod ad doctrinam de myſteriis iſtis attinet, reprehendat. at iſti Caluino-magiſtes non tantùm incommodè & impiè loquuntur, ſed etiam vniuerſum hoc myſterium trinitatis ſanctiſſimum profanant, corrumpunt

[1] *Inſtit. lib. 1.*

[2] *Sleidan. libr. 16.*

rumpunt & tollunt, & religionem Chriſtianam profaniis ſuis vocum & rerum nouitatibus tollunt. nam in perſona Micheę non veretur Reginaldus tres deos pro tribus perſonis dicere; idemque *Turcicam infidelitatem*, fidem ſæpe nominat. Nec obſtat, quod Michæas iſte Turcicam perſonam agens iſta loquitur. nam hanc ipſi perſonam Reginaldus induit, & in eius perſona aduerſus nos argutè diſſerit, & ea loquitur, quę nullus vnquã Turca loquutus eſt, aut loquuturus videtur. Quid quod ipſe [1] Giffordus deos nominat in plurali, & Ludouicus, qui partes papiſticas propugnat, craſsè de Trinitate, & Chriſti generatione loquitur? craſsè etiam & impiè de tota Chriſtiana religione philoſophantur Papiſtæ, vt nos alibi dicemus. Sed nec opus eſt multa dicere, cum multi ex eis nec Deum eſſe credant, quod Turcæ conſtanter tenent. nam hoc de pontificibus Roman. multi verum eſſe norunt, nonnulli [2] ſcripſerunt. Epiſcopus quidam in Synodo Tridentina, ad ſacerdotes & populum papiſticum illud prophetæ accommodat: *Dicunt in corde impio, quod non eſt Deus.*

[1] *In Epiſtola ad Cardinalem.*

[2] *Zegedin. in ſpeculo pontif. Rom.*

Egregiè etiam de pontificibus canit Palingenius in Capricorno: *Pontifices*, inquit, *nunc bella iuuant, ſunt cætera nugæ; Nec præcepta patrum, nec Chriſti dogmata curant.* Modus verò agendi adeo ineptus eſt, & omnis acuminis expers, vt non minus in ipſo,

quàm in perſonis & rebus huius dialogi aduerſarii noſtri deliquiſſe videantur. Nam etſi contra Caluinum ſe diſputare profiteantur, vt vel titulus libri ipſos admonere poſſet; maxima tamen pars huius libri in recenſendis *Serueti*, & *Valentini Gentilis*, & *Anabaptiſtarum*, & aliorum hominum impiorum hæreſibus conſumitur. at flagitioſa hæc opinionum portenta neruoſius, & prius Caluinus, quàm iſti, refutauit. Præterea, ſingulares Lutheri, & Brentii, & Illyrici, & Zuinglii opiniones non nobis tãtum, ſed Caluino etiam aſcribit. at quid impudentius, quàm ea nobis imputare, quæ à noſtra ſententia ſunt alieniſſima? quid inſulſius, quàm quod deliquit Lutherus, præſtare Caluinum, aut contra? nihil hoc aliud eſt, quàm quod in prouerbio dicitur: *deliquit coquus, vapulat tybicen.* Si nos omnium particularium ſcriptorum opiniones, ſectæ papiſticę aſcriberemus; nullus eſſet finis. ipſi ridere ſolent, quando etiam maximorum quorũdam cauſæ pontificiæ procuratorum flagitia illis imputamus.

Anglis denique ſe maximè infenſum oſtendit prælusor iſte, & *contra eos præcipuè ſe diſputaturum profitetur. apud nos enim Caluinianum euangelium inſignius apparere, & hæreſin regio decoratam diademate procacius geſtire, & inſtar illius ſaltatriculæ non vnius Iohannis capite contentam, multorum ſanguinem ſitiuiſſe & ebibiſſe dicit.* ex quibus illud

illud primum facilè agnoſcimus. nam vt ex aliis rebus multis; ſic ex hoc infami ſcripto, patriæ, imò & religionis orthodoxæ apertè ſe hoſtem oſtendit.

Illud ſecundum etiam, nempe *quod aduerſus nos præliari inſtituit*, verum eſſe fatemur: quamuis nihil cogitari poſſit tali prçliatore ineptius. nobis enim vt plurimum omiſſis, in *Caluinum* & *Lutherum* incurrit, eorumq; priuatas opiniones cædit. quis autem non ineptè faceret, qui hoſte omiſſo, cũ quouis prætereunte depugnaret? præterea, veluti inſanus, ſæpe cum vmbris, & laruis luctatur.

Tertium illud de Caluiniano euangelio, non modò aduerſus nos, ſed etiam aduerſus Chriſti Euangelium contumelioſum eſt. neque enim nos Caluini, ſed Chriſti euangeliũ amplexi ſumus. & illi dũm Caluini nomen prætendunt, reuera aduerſus Chriſtum calcitrant.

Poſtremum illud *de hæreſi regio diademate ornata, & ſaltatriculæ Herodiadis ſimili*, nihil eſt aliud, quàm maledictum maleuolorum transfugarum, qui non modò aduerſus patriam & principem, ſed etiam aduerſus Chriſti religionem bellum perpetuum gerunt. noſtræ religioni nunquam vel minimã hçreſeôs labem inurent, licèt ferro & flammis, & omni ſuppliciorum acerbitate aduerſus eam ſæuiant. hanc cum regina ſereniſſima protegit, impletur illud Iſaiæ; *& erunt* 49.23.

reges nutritii tui, & regina nutrices tua. huic religioſiſſimæ principi impudentiſſimè ſæuitiam & cędem obiicit hic ſicarius ſanguinarius; qui cum ſanguinem eius haurire non poſſit, famam clementiæ ei eripere conatur. ſed nō modò acta publica, & vox populi Anglici conſentiens, verum etiam aduerſariorũ conſcientia eam ab hac ſuſpicione liberat. Neque obſtat, quod in paucos ſicarios, & ſeditioſos Iebuſitas, & hoſtium emiſſarios & transfugas læſæ maieſtatis grauiſſimorũque criminum cōuictos ab ea animaduerſum eſt. nuſquam enim huiuſmodi hominum generi parci ſolet. Romani in hoſtes clementes, in transfugas & proditores ſeuerè animaduerterunt. neq; ſtare poteſt reſp. niſi caſtigatis & ſublatis hominibus ſeditioſis. pōtifices Rom. & Hiſpani noſtros homines omni cruciatuum genere perſequuntur: quos ſi imitaretur Elizabetha, & papiſtas ſupplicio afficeret; nō poſſent tamen eam iſti accuſare, qui in viros pios tam ſunt crudeles. In nos ergo hæc temere coniiciuntur, & malè quadrant. at cōuerte te ad papiſtas, & in eos omnia aptiſſimè conueniunt. ibi enim hæreſis non vnâ, ſed triplici coronâ redimita ſaltat, regnat, triumphat, ad regium etiam diadema fulmen adiungitur pontificium. in illa ſede olim dominata eſt [1] meretrix infamis. & in aula pontificis ſcorta impudica, & ſenes laſciui, & inter eos diabolus ſaltat:

[1] *Platina in Ioan. 8.*

Per

Per le camere tue, inquit [a] Petrarcha, *fanciulle è vecchi* [a] *Canto 106.*
Vanno treſcando, è BelZebub in mezzo.

Sacrifici etiam papiſtici nihil aliud ſunt, quā ſaltatores & hiſtriones ridiculi & inepti, qui circum altaria & templa miſſaticas ſuas ſaltationes peragunt. Pſeudepiſcopi & inquiſitores Hiſpanici tanquam leones rugiētes circumeunt, quærentes quem pium deuorent; iidemque ſunt hominum formâ & ſpecie lupi ſæuiſſimi, qui agnorum Chriſti abſorbent ſanguinem. pontifices Rom. ſanguine ſanctorum ebrii, planè ſe eſſe meretricem Babylonicam in Roma ſepticolli regnantem oſtendunt. Ita omnia tela in nos emiſſa, in aduerſarios ſua ſponte reſiliunt, in corporibus noſtris non hærent.

Atque hæc furioſi iſti declamatores, licèt exemplo nouo, & inaudita male loquendi rabie in omnes pios euomuerint, patrum tamen prætendunt exempla. *Nam Iuſtinum, Athenagoram, Theophilum Antiochenum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Tertullianum, Arnobium, Ariſtidem, Lactantium, & Melitonem etiā talia conſcripſiſſe cōtra gentes aſſerunt.* quaſi verò patrum iſtorū ſcripta vllo modo cum hoc famoſo transfugarū libello, conferēda eſſent. patres enim contra gentiles, iſti contra Chriſtianos: illi contra gentiles modeſtè, iſti aduerſus Chriſtianos intēperanter: illi aduerſus gentiles ex gētiliū ſcriptis, quæ authoritatem apud eos mere-

bantur; iſti aduerſus Chriſtianos ex Turcicis principiis & ſuperſtitionibus, quibus nos anathema dicimus, diſputarunt. nunquam ſanè Chriſtianos, imò nec gentiles contumeliis & conuitiis patres onerarunt. iſti ſcelerati transfugæ in optimum quęque omni conuitiorum genere debacchantur. itaq; patres eccleſiæ ſanctiſſimos propter modeſtiam, & alias virtutes gentiles ſuſpiciebat, Chriſtiani honorabant; hanc efferatam maledicendi libidinem pariter & Chriſtiani, & gentiles oderunt. Sed quid ego dico, patres? Prophetarum enim & Chriſti Ieſu etiam exempla ſuæ intemperantiæ prætexunt: licèt nihil alienius afferri potuerit. nuſquam enim Chriſtus appellauit Iudæos ethnicos. nec prophetæ maledictis & conuitiis certabant aduerſus impios. nuſquam dixerunt religionem gentilium, Iudæorum religioni præſtare. at iſti tanquam Turcas & Mahometanos nos inſectantur. & religionem Turcicam, odio elati, præponunt Chriſtianæ. dicit quidem [1] Chriſtus *tolerabilius fore Niniuitis, imò Sodomæ & Gomorrhæ, quàm Iudæorum nationi*. Sed malè hoc cum dictis & conuitiis Reginaldi & Giffordi comparatur, qui nos Turcas appellant, & religionem noſtram Turcicæ poſtponunt. Prophetæ ſæpe gentium exemplo Iudæos ad peccatorum ſuorum pœnitentiam excitarunt. Sed iſti nos omnibus conuitiis proſcindunt, & à vera fide deterrent, & veram religionem oppugnant. Quod ergo ſe pa-

[1] *Matth.* 11.

ſe patribus,& Prophetis, imò & Chriſto Ieſu comparant, in eo ſe arrogantes & blaſphemos oſtendunt.

Cum ergo totum hoc argumentum nihil aliud ſit, quàm hominum melãcholicorum malè cohærens ſomnium, & liber hic nihil aliud contineat, quàm ineptas hominum furioſorum confabulationes, vbi nec decori, nec veritatis vlla habita eſt ratio: non exſpectabitis, credo, vt operoſa & accurata aliqua commentatione ipſum refutemus. quid enim nos cum ſomniatoribus, & fabulatoribus certemus? fruantur ipſi ſua inſania. nos ipſorum ineptias notabimus, mẽdacia refellemus, & homines ipſos, quod ſatis eſt nunc caſtigatos, Dei iudicio vlterius caſtigandos relinquemus.

CAP. IV.

De inſulſiſſimo & impiiſſimo libri primi exordio, aduerſus lib. 1 *.cap.* 1.

SI quod homines docti facere ſolent, ex principio huius libri de vniuerſo opere cõiecturam facere liceat; nihil ſanè magis inſulſum, aut impium, aut à Chriſtiana modeſtia alienum excogitari potuiſſe videtur. Genus dictionis barbarum eſt, & crebris ſolœciſmis velut figuris diſtinctum. totúmq; caput partim ex impiis blaſpemiis, partim ex impudẽtiſſimis mendaciis coagmentatur. Poſtremò nulla decori ratio habetur. in ipſo capitis veſtibulo, hæc ſententia, *magna tua amicitia &*

dulcis conſuetudo, qua aliquot iam annos fruor, efficiunt: meram barbariem olet. rectius diceretur, *efficit*. Parum etiam Latinè dicitur, *frui alicuius conſuetudine*. illa verò: *in aliis alibi permultis; & in nonnullis domi noſtratibus*, planè σολοικὰ ſunt. *nauis marginem* apud iſtum nunc primum pro latere nauis lego. iidem *in carina quendam ſe abdidiſſe* ſcribunt. quaſi vero ſtatumen, & trabes quis penetrare poſſet. quod dicunt quoſdam, *fanda & nefanda minatos* eſſe; Romanis auribus nouum eſt. p. 4. dicit Michæas: *accipiam quam mihi offers beneuolentiam*. pro quo meruit Giffordus plagas accipere. ineptè iidem *officiorum proportionem introduxerunt*.

Dictiones iſtæ: *fruſtra te turbas*, & *bonitatem natura expertus ſum*, & *Chriſtiana fide polliceor*, & *audire ſilentio*, ab Anglis in ſermonem Latinum traductæ ſunt. *Contumeliis in aliquem inuehi*, & *mandari*, pro mitti, apud Latinè doctos non reperiuntur. iſti tamen ita loquuntur. Hæc verba: *Proximas prouincias vnam vel alteram inuiſere*, apertum continent ſolœciſmum. vna enim vel altera ſingulariter enuntiatur: ipſe tamen cum plurali coniungit. Sed quorſum nos vitia orationis conſectemur, cum vniuerſa ferè libri dictio vitioſa ſit? nempe vt ſciatis eos, qui tam malè vbique loquuntur, Latinè tamen loqui non potuiſſe.

idcir-

idcirco autem nos plura peccata primi capitis annotauimus, ne vbique iſtorum ſcriptorum ſolœciſmos perſequeremur. vos ex vno cognoſcite reliqua omnia: inde cognoſcemus totum hunc librum nihil aliud eſſe, quam continuatum Solœciſmum.

Sed multò grauius in ſententia, quàm in verbis peccarunt. primò Alchoranum cum Euangelio comparare, imò & eidem anteponere non dubitant. deinde contra Chriſtum impiè blaſphemant. Poſtremò, Mahometum, vt virum magnum prædicant, & *Euangelium ante multa ſecula corruptum, ab illo reformatum fuiſſe* dicunt. Iidem in Hollandia quoſdam *libros ſcripſiſſe de tribus impoſtoribus; Chriſto, Mahometo, & Moſe*, aſſerere non verentur. Poſtremo, Mahometum *Prophetam fuiſſe diuinum, & excelſum* ſcribunt. nec cauſari poſſunt, ſe hæc ſub aliena perſona ſcripſiſſe. neque enim hæc tam impia Chriſtianos ſub aliqua perſonâ decent: ſacroſanctæ ſcripturæ diuinitus inſpiratæ cum execrando illo Alchorano nulla ratione comparandæ aut cõiungendę erant. neque tantum flagitium committendum eſt, vt *Chriſtus* cum *Mahometo* comparetur. ſed iſti hæc à Gregorio nono pontifice, Turcis amiciſſimo, &, ſi mores ſpectes, ſceleratiſſimo, didicerunt. [1] Is enim ex ſententia alterius primus ſcripſit, *mundum à tribus Baritatoribus, Chriſto, Moſe & Mahome-*

[1] *Matth. Paris in Henr.* 3. p 494.

to fuiſſe deceptum. neque præterea vſpiam iſtę blaſphemiæ leguntur.

Tale iſtos decuit principium. At ethnici, quibus nulla erat veri Dei cognitio, multo religioſius & ſanctius de rebus diuinis loquuti ſunt. Heſiodus à Deo auſpicandum eſſe cenſuit. reliqui etiam poetæ à numinis inuocatione carmina inchoarunt. In rebus ſacris verba inauſpicata metuerũt: & ideo dixerunt, *fauete linguis.* Profanos & impios procul arcuerunt. de diis ſuis nefas eſſe exiſtimarunt malè loqui. at iſtos non puduit ea in Chriſtum, & eius euangeliũ dicere, quæ nec ethnici aduerſus deos ſuos falſos dici ſuſtinuerunt.

Non eſt ergo mirandum, cùm Deum, & eius ſacroſanctum euãgelium blaſphemant, ſi de hominibus male loquantur & mentiãtur. Obiiciunt nobis *ingratitudinem.* ſed abſurde faciunt, ſi ſceleratis ſicariis, & principũ percuſſoribus, & patriæ hoſtibus, & pontificis Rom. emiſſariis impunitatem poſtulant, ne ingrati videamur. papiſticę ſectę homines nonniſi nimium patienter tulimus. multos enim ex eis ſummis apud nos honoribus frui paſſi ſumus: nec in quenquam animaduertimus, niſi qui ſub religionis ſpecie hæreſim introducens remp. perturbare conatus eſt. at aduerſarii verè catholicos, & fideles non ferunt. honoribus excludunt, in exilium agunt, ſummis ſuppliciis afficiunt. pariter viros,

ros, fæminas, ſenes, pueros, & lactentes infantes perſequuntur.

Aſſerunt præterea *plurimos apud nos reperiri, qui nullo Dei metu tenentur, quique Deũ nullam habere rerum humanarum curam autumant; denique qui verè athei ſunt, & opinantur Deum non eſſe.* Sed teſtimonium aduerſariorum in cauſa ſua deponentium nullum eſt. præterea non nocet fidelibus Chriſtianis malorum nequitia & impietas. In eccleſiæ area ſemper paleæ erunt inter tritici grana, & herbæ noxiæ in horto Domini, & inter lilia ſpinæ. Qui verè fidem Chriſti apud nos profitentur, ab omni impietate & morum impuritate abhorrent: neque apud nos cuiuſmodi homines iſti depingunt, in eccleſia locum habere patimur. at in ſynagoga Rom. qui dicuntur magiſtri eccleſiæ, iidem ſunt magiſtri impietatis & omnis turpitudinis. *Quibus monſtris*, inquit epiſcopus quidam non obſcuri nominis, idque in conuenticulo [1] Tridentino palam, *qua ſordium colluuie, qua peſte non ſunt corrupti, nõ fœdati in eccleſia ſancta Dei, & populus & ſacerdos?* Et paulo pòſt, *Dicunt in corde impio, & ore impuro, Non eſt Deus.* Picus etiam Mirandulanus apud Leonem decimum [2] queritur, *apud religionis primores aut nullum, aut exiguum Dei cultum eſſe, nullam ſupereſſe bene viuendi rationem, atque inſtitutionem, nullum pudorem, atque modeſtiam.* De Roma iamdudum teſtimonium [3] perhibuit Petrar-

[1] *Seſſ.* 1.

[2] *In orat. ad Leon.* 10.

[3] *Schola d'errori cãt.* 106.

cha, *eam ſcholam eſse errorum, templum hæreſeôn, & proditionum matrem.* De Italia querulas edidit voces [4] Robertus Aquilanus: *Italia,* inquit ille, *plange, ô Italia caue, ne propter obſtinationem tuam in te deſæuiat ira Dei,* & paulò poſt: *Tu indies durior efficeris, in peccatis & in malitia perſeuerando. fiunt iam vbique vſuræ publicæ, omnia fœdata ſunt ſpurciſſimis vitiis carnis, & ignominioſæ Sodomiæ, ſuperbia pomparum iam occupauit omnes ciuitates & terras; blaſphemiæ Dei, periuria, mendacia, iniuſtitiæ, violentiæ, oppreſſiones pauperum, & ſimilia ſuperabundant.* [5] Boccacius in perſona Iudæi cuiuſdam oſtendit [6] *nullam eſſe Romæ morum ſanctitatem, aut religionis curam, aut bonorum operum ſtudium.* Contra *autem, luxuriam, auaritiam, gulam fraudem, inuidiam ibi dominari. nam &* [7] *Papam, & Cardinales, & prælatos & clericos eſſe luxurioſos, & Sodomitas.* Quod & omnes nunc, qui vrbis Romæ mores norunt, ſciunt, licèt pulchrè diſſimulant. Apud Palingenium diabolus interrogatus quid Romæ ageretur,

Cuncti luxuriæ, inquit, *atque gulæ, furtiſque doliſque*
Certatim incumbunt, noſter eſt ſexus vterque.

Ecce, inquit epiſcopus Chemenſis de onere eccleſiæ. c. 19. *Roma nunc eſt Vorago & Mammon inferni; vbi diabolus capitaneus auaritiæ reſidet.* Brigitta 4. eccſt. 5. dicit, *Romæ ſap-*

[4] *In ſerm. apud. Sixt. Senenſ. lib. 3. p. 206.*

[5] *Nouell. 2.*

[6] *Niuna ſantita, niuna diuotione.*

[7] *Peccare in luſſuria & nō ſolo nella naturale, ma anchor' nella ſodomitica.*

ſapphyros verſos eſſe in lutum. Aduerſarii iam noſtri luxuriæ fræna laxare ſoliti ſunt, demque exitium viris bonis, & peſtem patriæ iamdiu machinari non deſtiterunt. nihil t ergo quod viris bonis vel morum labem, l religionis contemptum obiiciant.

Aſſeruntetiam *multos apud nos eſſe, qui tres eos ſtatuunt, & qui Chriſti myſteria irrint.* Sed cur non illos multos, aut ſaltem eis aliquos nominant? cur non hoc crimen grauiſſimum teſtibus & ſcriptis authenticis, & argumentis confirmant? num bi abſque omni argumento aut ſuſpicione redi poſtulant, quos continuæ & grauiſmæ aduerſus viros optimos calumniæ ſpectiſſimos fecerunt? nam quod dicunt ultos eſſe in Polonia *tritheitas*, & ex *Poſtel*, hominis impuriſſimi & planè athei, teimonio aduerſus Hollandos, & Zelandos Belgas malè loquuntur, quaſi ipſi illam laſphemiam *Gregorii noni de tribus impoſtoribus* probarent; nihil ad nos attinet. In olonia & Belgio omnes norunt multos ſſe homines papiſtas nequiſſimos. ex noris nemo eſt, qui non iſta cogitare horre. at in Hiſpania Marani Chriſti religionem dent, & Gregorius hoc flagitioſum comentum de tribus impoſtoribus primus inenit. Ioannes 22. ſi vera dixit Michael Cenas, *trinitatem perſonarum non* credidit. vulgo ſynagoga pontificia tot habet deos, uot ſanctos. in eam ergo quadrat illud

[1] Hieremiæ *ſecundum numerum ciuitatum tuarum erant dii tui*. hîc Chriſtophorus, ibi Gregorius, hîc Catharina, ibi Cecilia, vbique diua virgo adoratur. neque eos vel patrum ſententia, vel quorundam ſuæ ſectæ hominum confeſſio ab errore deducere poteſt. [2] Hieronymus martyres colendos negauit; *honorandi ſunt*, inquit [3] Auguſtinus, *propter imitationem, nō adorandi propter religionem*. [4] Sanctos aduerſarii quidem negant immediatos eſſe interceſſores: ipſi tamen ſic orant, *tu nos protege, & in hora mortis ſuſcipe*. & nunc omnes ſynagogæ pontificiæ liturgiæ plenæ ſunt ſupplicationum ad ſanctos defunctos: quod temporibus Caroli Magni nouum erat, vt ex Albino colligimus. Quid quod coram cruce & imaginibus ſe proſternunt, & eiſdem parem honorem cum prototypis exhibent, cuius flagitii modeſtiores papiſtas puduit? [5] Ioachimus Abbas & eius diſcipuli, trinitatis perſonas non eſſentiâ, ſed collectione vnum eſſe Deum docuêre. vnde ſequitur ipſos tres deos poſuiſſe. Leo decimus non aliter de Euangelio, quàm de fabula exiſtimauit. [7] Iulius tertius *vel inuito Deo*, pauonem ſibi dari poſtulauit. Gregorius ſeptimus & Syluester ſecundus & multi alii pontifices Rom. pro Deo diabolos coluerunt. in eis ſane potenter diabolus operatur. *eccleſia à Spiritu ſancto regitur, ſed eius rectores*, inquit epiſcop. Chem. in lib. de ora re eccleſ. cap. *19. quandoque à ſpiritu mali*

[1] *Hierem.* 2.
[2] *Contr. Vigilant.*
[3] *De vera religi.*
[4] *Bellarm. de ſanct. beat. c.* 17.
[5] *c. Damnamus. de ſum. trinit. & fid. cath.*
[6] *Speculum pontificum.*
[7] *Da al diſpetto di dio. apologie pour Herodote.*

o exagitantur. Idem oſtendit *peruerſum pō-ficem nuncupari Angelum abyſſi*. in eos ergò quadrant aptiſſimè, quę nobis aduerſarii fal-imponunt.

Aſſerunt nos *religiones mutare, vt polypus lores*. ſed res ipſa eorum maledicentiam fellit. quod verò alios appellant Zuinglia-os, alios Lutheranos; oſtendunt ſe cum ma-facere non poſſint, malè loquendo dele-ari. nos omnes fideles *Chriſtianos* appel-mus; nec præterea quenquam inter no-os recenſemus. Anabaptiſtas, vt etiam pa-ſtas, hæreticos eſſe dicimus, & propterea ocietate fidelium alienos cenſemus.

Non pudet eos aſſerere, *noſtros homines in riſque fidei capitibus cum Turcis conue-re*. ſed quid non illi aſſerant, qui frontem on modò perfricuerunt, ſed ferro etiam riorem reddiderunt? nos hoc multò re-ius oſtendimus papiſtis conuenire. [8] Io-nes vigeſimus ſecundus pecunias à Chri-anis corrogatas Turcis dedit, vt Chriſtia-os oppugnarent. Idem perſonarum ſuſ-lit Trinitatem in Diuinis: nec rectius de imæ immortalitate ſenſit, quàm Turcæ. regorius nonus Friderico aduerſus Turcas gnanti perfidia & rebellione ſua victori-n eripuit. in multis præterea nos antea o-ndimus papiſtas & Turcas conſentire.

[8] *Auentinus lib. 7. & Ioannes Villanus hiſt. Florent.*

Atque hæc in religionis negotio mentiti nt. In hiſtoria etiam non leuiter peccarũt. m Medinam aſſerunt Mahometi ortu &

obitu nobilitatam, cum natus ſit in pago *Itrarip*, & longè à loco illo mortuus.

[9] *Menauin. & alii omnes*

Præter mendacia, multa etiam abſurda in hoc capite habentur. Samueli, vtpote verbi Dei miniſtro, partes noſtras tribuunt defendendas: eundem tamen inducunt noſtros homines ingratitudinis & immanitatis nomine accuſantem, eò quòd papiſtas legum vinculis coërceri paſſi eſſent. præterea ridiculè quæ de ſe narrat [1] Theuetius, ea *Samueli* aſcribunt; cum tamen nihil eſſet ipſi cum Theuetio commercii. vana etiam ſomnia ſunt, quæ de præmiis & honoribus eorum apud nos, qui per mundum latè vagantur, iſti comminiſcuntur. mirantur quidem homines idiotæ papiſtas Romipetas, & ſepulchripetas, & huiuſmodi homines erraticos; præmii autem nomine nihil eis confertur.

[1] *Coſmogr. lib. 6. c. 5.*

Hucadde, quod nihil minus probabile fingi poteſt, quàm verbi Dei miniſtrum ad *Mahometi* ſepulchrum peregrinantem inducere. poſtremò videant ipſi, quomodo conueniat papiſtas laudare Mahometum; & an veriſimile ſit, aliquem Chriſtianum auſum eſſe Conſtantinopoli Mahometum velut *impoſtorem impuriſſimũ* vituperare: quod tamen iſti factum fingunt.

Cum ergo nihil hoc caput contineat, niſi blaſphemias, mendacia, nugas, fabulas & ſolœciſmos monachales: nihil eſt, quod quiſquam tituli mordacitatem metuat, aut in reliquo

quo libro, magnificum aliquod opus ex-
pectet. vbique ſtilus lutulentus, vbique ca-
oricrepæ nugæ, vbique eadem authorum
utilitas. cuius non leue ſpecimen in hoc ca-
ite vidiſtis. nos nugis leuiter notatis, reliqua
orum magnidica mendacia breuiter per-
urremus.

Cap. V.

Nihil habere eccleſiæ Anglicanæ fidem, Turcicæ impietati & perfidiæ affine, aduerſus lib. 1. cap. 2. calumnias.

TOtus iſte latratorum iſtorum liber, licèt per tractatus & capita diſtinctꝰ videatur; amen inſtar ſcirpi ſine nodis eſt & iuncturis. ræterea, inſtar ſcirpi aridus & exanguis eſt, uamuis ex loco cœnoſo enatus ſit. neque nim cauſa vlla erat, cur caput hoc à ſuperio- e auulſum prodiret, nec quicquam iam multos annos prodiit toto hoc libro ieiuni- s, inſulſius, futilius. In principio capitis Reginaldus & Giffordus Gallis, & Germa- is, & Polonis petulanter maledicunt. *eos nim leui momento ad Turcicam religionem mpelli, & ſponte Turcas fieri* ſcribunt. quod ſtendit ipſos non nobis tantum Anglis, ſed iis etiam nationibus eſſe iniquos. ſed ocillis curæ erit. Poſtea Italos, Hiſpanos, Armenios, Gallis & Germanis antepo- unt: vnde videre licet, transfugas iſtos, li- t gente Anglos, animo tamen Hiſpanos & alos eſſe, & patriæ hoſtes certiſſimos. Sed deamus cur Italos & Hiſpanos, & Arme-

nios tantopere laudent. aſſerunt *iſtos, niſi coactos, à fide non deficere.* quaſi verò non ignominioſum ſit, & à fortitudine Chriſtiana alieniſſimũ, omnino à fide deficere. Præterea, aut ipſi ſuperiorum temporum hiſtorias non legerunt, aut ſe apud lectores imperitos verba facere putarunt, qui Italos & Hiſpanos & Armenios hoc nomine tantopere laudant. nam Armenios ferè omnes iãpridem Turcicam perfidiam amplexos eſſe conſtat. etiam Georgiani, qui ſe Chriſtianos profitebantur, facilè fidem [1] abiecerunt. Hiſpanos olim propter fidem malè audiuiſſe ſignificat [2] Matthæus Paris, vbi *moribus* dicit *habitos fuiſſe deteſtabiles.* Hiſpaniæ autem Bæticæ populi ferè omnes et Turcis & Saracenis propagati ſunt. Per totam etiam Hiſpaniam multi ſunt etiam noſtris temporibus Marani. plurimique quotidie ex Hiſpania in Africam transfugiunt Hiſpani. imò ex eis qui Ferdinando militarunt ſub Caſtalio duce, non paucos profugiſſe ad Turcas ſignificat [3] Pizarrus. Italorum verò ſemper fluxa & incerta fuit fides. Ligures reliqui Itali appellant [1] *homines ſine fide.* antiquitus etiam habiti ſunt ſemichriſtiani. Et *multæ ciuitates Italiæ,* [2] inquit Matthæus Paris, *quas inhabitant ſemichriſtiani, in apoſtaſiam prolapſi eſſent, (* nempe amiſſa Damiata*) niſi epiſcoporum, &c. conſolatione roborarentur.* Ex Italis etiam Turcæ aliquot noſtris temporibus habuere inſignes duces, inter

[1] *Minadous de bello Perſico.*
[2] *In Henric. 3.*
[3] *De bello Pãnonic.*
[1] *Gente ſenza ſede.*
[2] *In Henric. 3. p. 771.*

inter quos eminuit Luzali: ex Italorum trãſfugis præſtantiſſimos habent nautas & claſſis præfectos. Ianſonius dicit plures ſimul Italos ad Turcas transfugiſſe. *Interim* [3] inquit ille, 250. *milites, inter quos multi Itali ex arce elapſi in caſtra hoſtium* (Turcarum) *transfugerunt, quorum religionem amplexi Mamaluci facti ſunt.* Contra verò Germani, & Galli, ſemper ſe ſtrenuiſſimos Chriſtianæ religionis aduerſus Turcas propugnatores demonſtrarunt. declarant hoc Godefridi Bullionei, Ludouici Gallorum regis, Fredericorum & Henricorum imperatorum aduerſus Turcas celeberrimæ expeditiones. neque docere poſſunt fabulatores iſti, crebrius iſtos, quàm Hiſpanos aut Italos ad Turcas deficere ſolere.

[3] *In mundo furioſo.*

Poſtea Alchoranum Turcicum euangelio noſtro anteponunt. *Fidem enim Alchorani eſſe ſtabilem & perfectam; fidem euangelii fluctuantem, incertam, & imperfectam.* Quod nõ ſine aperta blaſphemia dici poteſt. neque enim nos aliud euangelium habemus quàm illud Ieſu Chriſti. neque vllo modo parcimus eis, qui nouum euangelium intuliſſe videntur. hinc enim omnis nobis cum papiſtis contentio, quòd ipſi, relictis apoſtolicis inſtitutis, & Chriſti euangelio, papales conſtitutiones, & nouum doctrinæ genus, à Chriſti fide alieniſſimum, amplexi ſunt. neque enim Chriſtus aut ſalutem in lege quærendam, aut iuſtitiã in obedientia legũ papa-

lium ponendam docuit. neque ab illo papiſtę cultum virginis Mariæ κατ' ὑπερδουλείαν, & adorationem crucis, & imaginum, aut Angelorum & hominum defunctorum inuocationem, aut cæremonias ſuas miſſaticas, aut ſuperſtitiones ethnicas didicêre. nos pręter legem Dei & canonem ſacræ ſcripturæ, nullas nobis eligimus pro arbitratu regulas: neque aliquod habemus euangelium præter illud Chriſti. at ſinguli monachorum ordines nouas comminiſcuntur regulas præter ſcripturas: eaſque verbo Dei perfectiores eſſe putant. & [a] Carmelitæ olim, quaſi Chriſti euangelium antiquatum eſſet, nouum ex fabulis cõſtructum protulerunt euangelium, quod æternum vocarunt. Sed videamus, obſecro, quibus argumẽtis freti nobis & noſtrę religioni tam petulanter illuſerint, vt Chriſti Euangelium quod nos credimus & profitemur, *viam eſſe ad Turciſmum*, dicere non dubitarint.

[a] *Matth. Paris in Hẽric. 3.*

Primò, aſſerunt *religionem pontificis Rom. & Mahometi ex diametro pugnare*. ſed quorſum iſtud? neque enim propterea ſequitur, faciliorem eſſe ad Turciſmum à noſtra religione quàm a pontificia tranſitum, nam ab vno extremo in aliud ſæpius fit mutatio, quàm à medio: vt ab auaritia in prodigalitatem citius quàm liberalitatem, & ab vno vitio in aliud. Medium verò, vt ſcopum difficile eſt attingere. præterea falſum eſt, has duas religiones ex diametro pugnare. nam

in mul-

in multis cæremoniis, & iuſtitia operum, & multis præterea dogmatis oſtendimus & Turcas, & papiſtas rectè & germanè conſentire. quid, quod pontifices Rom. & Turcarum imperium auxerint, & vires Chriſtianorum fregerint? Alexander ſextus in gratiam imperatoris Turcarum, venenum Sizimo ſeu Gemi eius fratri in Italiam fugienti propinari curauit. Gregorius nonus, & Innocentius quartus, rem Saracenicam reſtituerunt, vt antea dictum eſt. Nec obſtat, quod ex papiſtica ſecta nonnulli aduerſus Turcas multos annos bella gerunt. Nam hoc etiam *Sophiani*, & *Perſæ* faciunt, licèt in religione Mahometica ferè conſentiant. fœdera denique cum Turcis multi papiſtæ colunt, & coluerunt.

Secundò, contendunt *pleroſque è noſtris Turcas papiſtis, & eorum religionem papiſticæ antepoſuiſſe.* ſed hoc ſimpliciter nemo fecit. [1] Lutherus quidem *papiſticam religionem dixit magis eſſe idololatricam, quam Turcicam:* & hoc alii etiam nonnulli affirmarunt: & omnes vident verum eſſe. nam papiſtæ idola ſtatuunt, Turcæ tollunt. non tamen ſimpliciter Turcicam ſectam papiſticæ præponunt. Sunt etiam qui Turcas clementius cum Chriſtianis agere, quàm papiſtas dicunt: & res ipſa indicat. iſti enim omni cruciatu aduerſarios tollunt; illi victos conſeruant, & tantum tributum

[1] *In Geneſ.* c. 48.

pendere cogunt. non tamen quod iſti affirmant, puto aliquos profeſſos eſſe *ſe potius Turcas futuros, quàm papiſtas,* niſi fortè vt ſignificarent, ſe vitam potius amiſſuros, quàm veram religionem. at papiſtæ per Siciliam & Neapolim Turcarum imperium exoptaſſe videntur. *Sicilia enim & Neapolis regna olim florentiſſima, ita eſſe afflicta & ſpoliata Cæſarianorũ præfectorũ auaritia & crudelitate, vt Turcarum imperia ad tantarum miſeriarum refugium exoptarint*, apud Henricum ſecundum Galliæ regem dicunt Senenſium [2] oratores.

[2] *Natal. Comit. hiſt. lib. 6.*

Tertiò affirmant *Germanos Turcicum imperatorem contra Carolum Quintum ſæpius ſolicitaſſe.* ſed nec nomina dicunt eorum qui hoc feciſſe arguũtur, nec literas eorum proferunt, aut argumento illud aliquo probant: aut teſte aliquo certæ & indubitatæ fidei cõfirmant. neque fortaſſe curant ſe in manifeſta calumnia deprehẽſos teneri. hoc ſanè cõſtat, Germanos ſemper fortiſſimè cõtra Turcas pugnaſſe, & Viennam à Turcis obſeſſam liberaſſe, & nunc eius victoriam potiſſimum morari.

Affirmant etiam *Principi Condeo Anno* 1575 *miniſtros quoſdam verbi Dei authores fuiſſe, vt ſe Turcarum imperatori ſubmitteret.* ſed cum nullum proferant teſtem, præter vnum Launoium, quem à fide defeciſſe nec ipſi negare poſſint; conſtat hoc omne mendacium eſſe. quod inde etiam probatur, qui

Ger-

Germanorum opibus princeps tunc in Galliam reducẽdus erat, & nullis in anguſtiis verſabatur. atque vt tale aliquid molitus eſſet, non eſt veriſimile Launoium hominem ineptiſſimum & contemptiſſimum aut in cõcilium vocatum fuiſſe, aut aliunde hoc ſcire potuiſſe.

Vniuerſos etiam Galliæ fideles accuſant, *quaſi ipſi fidei Chriſtianæ patrocinium à Turca poſtulaſſent anno* 1568. *& ſuam religionem Turcicæ eſſe ſimilimam confeſſi eſſent.* ſed hæc oſtendenda erant argumentis, & non nudè affirmanda. *Surius* nihil eius aſſerit, neque vt aſſereret monacho falſidico, & ab hoſtium partibus ſtanti, cui nec ipſi [1] Papiſtæ ſtrenuè mentienti fidem habent, quicquam credendum eſſet. Teſtimonium ex libro de furoribus Gallicis deſumptum nihil valet. eſt enim ille liber ab hoſtibus religionis aduerſus nos confictus, & ex multis mendaciis cõflatus.

[1] *Schulting. in bibliotheca. eccleſiaſt.*

Sereniſſimam denique Angliæ Reginam Elizabetham ſycophantæ iſti accuſant, quaſi *ipſa Turcas aduerſus Hiſpanos anno* 1587 *concitaſſet, & per Legatum de Iebuſitis ex Turcico imperio eiiciendis egiſſet.* Quorum primum omni caret ſuſpicione, & ab ipſius moribus alieniſſimum erat. eo enim tempore, non de bello, ſed de pace, miſſa in Belgium legatione honorificentiſſima, regina agebat. Interim verò pacem ſimulantes Hiſpani, arma expediebant, & claſſem nobis

nihil tale exſpectantibus, penè in oſtio Thameſis conſtituerunt. cur autem Turcam illa aduerſus Hiſpanos excitaret, quæ nec Hiſpanos bellum aduerſus fœminam geſturos credere potuit, nec aliquid huiusmodi ab Hiſpanis meruerat? Petri autem Saxonis, & huiuſmodi falſariorum ſcripta contra Reginæ dignitatem conficta, ne pili quidem facimus. Solent enim nunc papiſtæ commentitiis fabulis bonorum famam, quantum poſſunt deturpare. falſa enim religio ſine falſis inſtrumentis defendi non poteſt.

Secundum nititur tantum vnius ſceleratiſſimi [1] transfugæ teſtimonio. ſed quis vel transfugæ credat aduerſus patriam patriæque parentem declamanti; vel teſtimonio, quod à ratione tam longè abhorret? nam cum ex Anglia in Turciam & terræ vltimos fines Iebuſitas omnes expulſos cupiant, & ipſos Galliæ rex fortiſſimus & prudentiſſimus velut peſtes patriæ edicto expulerit; cur Regina ex Turcia eiectos cuperet? aut quid illa quid apud Turcas agerent Iebuſitæ ſolicita eſſet? Verum vt inde regina expulſos vellet, atque vt de Iebuſitis, legatus mercatorum nomine miſſus, tanquam de peſte rerumpublicarum teterrima, apud Turcarũ imperatorem verba feciſſet; non tamen qui hæc capita ſcelerum reſecta cupiunt, ad Turcicam perfidiam propendent.

[1] *Alani reſp. ad iuſtit. Britan.*

Nam

Nam ſic apud Gallos papiſtæ ad Turciſmũ propenſi eſſent, & non valde ab eo abhorrerent & Franciſcani, & alii ſectæ pontificiæ ordines, qui aduerſus Iebuſitas iſtos, qui reliquos magnis vectigalibus priuarunt, actiones multas intenderunt. Præterea, vt regina Angliæ ad Turcas oratorem de rebus ſuis legaſſet, minus tamen illa reprehendenda eſſet, quàm Franciſcus primus Galliæ rex, qui Turcarum auxiliis Carolum Quintum oppugnauit; quam Philippus ſecundus rex Hiſpaniæ, qui fœdus cum Turca percuſſit, vt liberius Chriſtianos pacificos armis perſequeretur; quam Alexander ſextus, qui aduerſus Carolum octauum regem Galliæ Turcarum auxilium implorauit; quàm Gregorius nonus, & Innocentius quartus, qui Imperatorem Fridericum, oratoribus miſſis, Turcis prodere, & res Chriſtianæ reip. turbare conati ſunt. Nihil ſanè Elizabetha hac in re fecit, niſi more aliorum principum, & ex legibus omnium populorum. Galli, Germani, Hiſpani, Veneti, & alii Itali ad Turcam legationes mittunt. imò nonnulli vt pacem à Turca redimant, & Legatos mittunt, & hoſti religionis Chriſtianæ tributum pendunt. ipſa autem quantum valuit apud Turcam gratia, tantum pro afflictis Chriſtianis laborauit, quod & Tranſiluanus, & alii principes Chriſtiani libenter agnoſcunt.

Aſſerunt quintò, *Solimanum Turcarum imperatorem Lutheri doctrinam, & noſtros homines Turcicā religionem papiſtica prætuliſſe. multos etiam proferunt, qui, relicta noſtra religione, ad Turcas transfugerunt. & nominant Alemannum, Paulum Alciatū, Petrum Statorium, Blandratam, Socinum, Georgium Paulum, Petrum Alciatum, Franciſcum Liſmaninum, Adamum Neuſerum, Bernardinum Ochinum, & alios.* ſed de Solimanni teſtimonio nihil eſt quod Belleforeſtio homini mendaciſſimo, & veritatis hoſti iurato credamus. prçterea, quid ad nos attinet, quid Turcæ ſcilicet ſenſerint? toto hoc libro Michças Turca papiſticam religionem noſtrç anteponit. nihil tamen illud pro nobis facere putamus. religionem Turcicam nemo noſtrū in omnib. anteponit papiſticæ. in quibuſdā cur non anteponamus, cum ipſi papiſtæ Turcicam noſtræ anteferre cœperunt? ſi ergo aliquid eſſet in hoc argumento ponderis, eſſent papiſtæ germani Turcæ. Alamannus nec Bezæ erat familiaris nec noſtræ eccleſiæ miniſter, nec vnquam, quod ego intelligere potui, ad Turcas profectus eſt. Quid ergo non pudeat iſtos mentiri? Itali autē illi non à noſtris, ſed à monachis profecti, in hæreſes grauiſſimas inciderunt. Turcicam perfidiam amplexos eſſe non conſtat. ſed ſi verum eſt quod iſti narrāt, facilè Italici monachi ad Turcas deficiunt. De Neuſero apertè calumniatur doctor ille Raceburgenſis. Ioanni Schutz homini bilioſo

nemo

nemo fidem adhibet. at præter iſtos nullos habent aduerſarii teſtes. Ochinus cũ ſordes monaſticas excutere non poſſet, & ſcholaſticis diſputationibus nimium confideret, in hęreſes incidit. ſed hoc papiſticę poti⁹ ſectæ, & Italicæ monachorumque arrogantiæ & mobilitati aſcribendum eſt, quàm religioni noſtræ, quam ille deſeruit. Sed ſi hoc argumentum aliquid valeret, tum monachiſmo, & papiſmo valde affinis eſſet Turciſmus. nã inde ad Turcas multi Itali & Hiſpani quotidiè transfugiunt: & non aliũde, quàm ex monachorum gurguſtiis *Paulus Alciatus*, & *Franciſcus Liſmaninus*, & *Ochinus* emerſerunt.

Quare aut alia quærenda ſunt argumenta, aut de iſta ſuperba magniloquentia aliquid remittendum. noſtra enim religio nihil aliud eſt, quàm Chriſti religio, cuius & Turciſmus & papiſmus labes ſunt. illa ſemper durabit; iſtæ iam vacillant. illa certa eſt, vtpote ſupra petram fundata: iſtæ vanæ ſunt opiniones, ex pontificis Rom. & Mahometi commentis conflatæ, & ex hominum arbitrio pendẽtes. *Apud iſtos* vt inquit [1] Brigitta, *magis veneratur lupanar, quam eccleſia.* Vnde ait epiſcopus [2] Chemenſis *præſumendum eſſe, propinquam eſſe ruinam eccleſiæ Latinæ.*

[1] 4 *ecſtaſ.* 142.

[2] *Onus eccleſiæ* c. 19.

Cap. VI.

Impudenter nobis ab aduerſariis vel ſectarum multitudinem obiici, vel conciliorum ad diſſenſionum præcidendas cauſas remedium denegari, aduerſus lib. 1. c. 3.

VT aduerſariorum impudētia vbique inſignis; ſic hoc loco admirabilis viſa eſt. Nam cum propter ſectarum multitudinem, & ſchiſmatum ſcandala, maxima infamia iādudum laborent, nobis tamen ſectas, & ſchiſmata obiiciunt, & cum ipſi concilia legitima refugiant, & huiuſmodi conuentus apud eos iampridem haberi deſierint; nobis tamen concilia inculcant, & ea legitimè à nobis indici & celebrari poſſe negant. & ſectarum quidem apud aduerſarios multitudo, non modò ex ordinum monaſticorum varietate, ſed etiam ex maximis de ſummis fidei capitibus contentionibus deprehenditur. Vt apud Corinthios dicebant, *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ*, & propterea ſectarii cenſebantur; ſic iſti dicunt, *Ego ſum Franciſci, ego Dominici, ego Brigittæ, ego Ignatii Laiolæ.* & non tantum inſtitutis & legibus, ſed etiam ſententiis de fide diſcrepant. nam Thomam & eius diſcipulos oppugnant Scotiſtæ, & vtroſque ſæpe Durādus, & alii ſcholaſtici. De modo natiuitatis filii à patre, & proceſſionis Spiritus ſancti à patre & filio, de Angelis, de ſacramentis, de peccato originali,

ginali, ſumma vi inter ſe contendunt. Pro contentionibus iſti iam pridem mendicantes monachi malè audiuerunt. *Illi mendicantes*, inquit [1] Vbertinus, *deſignantur per locuſtas de puteo abyſſi exeuntes, quia ipſi ſunt ſcurriles, leues, volatiles, carnales, rodentes ſacras literas, virides, paganicæ philoſophiæ ſequaces, quaſi equi curretes, ſic illi in vanam diſputationem.* Cum ergo ipſi vbique diſſentiant; quid nobis contentionem de interpretatione horum verborum, *hoc eſt corpus meum*, obiiciant? Schiſmata nuſquam frequentiora habentur, quàm in ſynagoga pontificia. nam non tantum de papatu, ſed etiam de fide ſæpe papiſtæ pugnarunt. Schiſmata ipſi numerant iam olim viginti duo. ſectas fraterculorum, quæ variis temporibus extiterunt, vix ipſi numerare norunt. *Schiſma 2. inter Liberium & Felicem*, inquit [2] Wernerus, *euenit propter Arrianos quibus fauebat Liberius.* ipſi pontificii homines nō negant ſectas varias inter ſe extitiſſe. *Quales contentiones*, inquit [3] Wernerus, *æmulationes, ſectæ, inuidiæ, ambitiones, intruſiones, perſequutiones?* hæc *ſcandala ille in ſede Apoſtolica contigiſſe* dicit. [4] Auentinus tres ſimul pontifices hæreticos ſedi incubuiſſe ſcribit. Idem *odia, ſtupra, furta, peculatus, ſacrilegiæ, diſſidia & ſeditiones* ſynagogæ Rom. tēporibus Gregorii ſeptimi fuiſſe [5] perſequitur. qui Henrici quarti, & Gregorii ſeptimi res geſtas deſcripſit, ita exor-

[1] *Onus eccleſ. c.22.*

[2] *In faſcic. temp.*

[3] *Ibid. in Matt.2. Adrian.3. & Steph.5.*

[4] *Lib.5. Annal.*

[5] *Ibid.*

ditur orationem:[6] *Ad factiones, fraudes & ſcelera peruentū eſt.* Vrſpergēſis de temporibus Innocentii tertii verba faciens: *Orta ſunt,* inquit, *in hominibus ſimultates, doli, perfidiæ, traditiones.* Pontifices denique Rom. nontātùm anathematum telis, & contrariis ſcriptis, ſed etiam armis ſe inuicem oppugnarunt.

6 *In vita Hen. 4.*

Concilii verò nomen nulli magis ſuſpectū eſt, quàm pontifici Rom. & eius ſectæ. *Vetuſtiſſima contentio,* inquit [7] Gaguinus, *de Papa & vniuerſali concilio, vtrum eorum maius ſit, hactenus inter eccleſiaſticos perſeuerat. quo mea ſententia, factum eſt, vt generales ſynodos cogere pontifices detrectent. formidant enim ſuā tam late patentem, ne dicam vſurpatam authoritatem, conciliorum decretis cohiberi.* In eā etiam ſententiam ſcripſit[1] Petrus de Alliaco: *Multi* inquit ille, *ſuſpicātur, quod ſuper hoc cōcilia fieri neglexerit,* (nempè pontifex Rom.) *vt poſſet ad ſuæ voluntatis libitum plenius dominari, & iura aliarū eccleſiarum liberius vſurpare.* Idem [2] oſtendit *eccleſiā Rom. propter defectum celebrationis conciliorum, in diuerſa ſchiſmata, & innumerabilia mala lapſum eſſe.* & ſanè niſi Sigiſmundus imperator Conſtantiæ concilium indixiſſet, nunquam videtur aliquod concilium ibi futurum fuiſſe. Poſtea verò licèt de quinquennio in quinquennium concilia ex decreto Synodi Conſtantienſis celebranda eſſent, & hoc imperator [3] Sigiſmundus ſummè contendiſſet: Martinus

7 *In Carol. 7.*

1 *Lib. de ref. eccleſ. in principio.*

2 *Ibid.*

3 *Orth. Græc. ante lib. Petr. de Alliac. de reform. eccleſ.*

nus tamen quintus, & decretum illud floccifecit, & *imperatorem eluſit.* Eugenius quartus aduerſus patres Synodi Baſilienſis Gallos concitauit, & armorum ſtrepitu conſultationes ſaluberrimas diremit. Iulius ſecundus, ad concilium Piſanum nulla euocatione, aut vi adduci potuit. concilium petierunt [4] Germani liberum ad tollenda grauamina: ſed non ſunt auditi. *Concilia debita*, inquit epiſc. [5] Chemenſ. *rarò & ſegniter celebrantur, vel Romæ, ſeu alibi coram potentibus tractantur, vbi humilibus & fidelibus non eſt expreſſio, vt in eis lentè corrigantur ea, quæ diuinum cultum, & Chriſtianam religionem concernunt.* noſtris denique temporibus, & imperatoris, & principum Germaniæ, & totius populi Chriſtiani concilia flagitantis preces põtifices Rom. contempſerunt. Clemens 7. eo nomine miſit legatum in Germaniam, vt imperatori perſuaderet ne concilium fieret. neque antea indixit concilium *Paulus tertius*, quàm ſibi de loco & principum ſuffragiis cauiſſet, armatorumque copias in aciem produxiſſet. quæ omnia ſi aduerſarii cogitaſſent; numquã vel vnum verbum de ſectis, aut conciliis feciſſent.

4 *In grauã. Germaniæ.*

5 *Onus eccleſ. c. 19.*

Sed videamus tamen quid illud ſit, quod de ſectis, vt loquuntur, noſtris, & de conciliis generalibus nobis occinunt. Dicunt *apud nos ſectarum multitudinem indies enaſci.* ſed lepidi iſti noſtri accuſatores ne ver-

bo quidem vno cauſam ſuam confirmant. nam quod libros dicunt in nundinis Francofurdenſibus edi à noſtris contrarios, nihil ad rem facit. Papiſtæ enim multò, quàm noſtri, acrius in ſe inuicem ſcribunt: & nullus eorum multa ſcripſit, qui non plures habeat ſingulares ſententias. Proferunt præterea Puritanorum & Familianorum apud nos exempla. ſed valdè ipſis dolet, quod non maius ſit inter nos diſſidium. publicis edictis iſtorum petulantia compreſſa eſt, & *Familiani amoris*, vt dicuntur, extincti ſunt & reliqui ſilent. Publicè nullæ ſunt inter eccleſias Germanicas, Gallicas, & noſtras, contentiones. nec ex priuatorum ſcriptis de publicis eccleſiæ negotiis facilè exiſtimare licet. nam & papiſtæ ſe inuicem ſcriptis configunt, & in Italia & Hiſpania omnium hæreſeôn eſt colluuies; imò multi Marani in occulto latent.[1] Alexãder enim ſextus Maranis ex Hiſpania pulſis Romæ, licèt multũ indignante *Ferdinãdo*, Hispaniæ rege, aſylum aperuit: & in Hiſpania Bætica malum hoc latè nunc ſerpit. Tandem ergo cum nullo argumento ſectarum multitudinem probare poſſent, impudenter noſtros ſub Samuelis perſona crimen fatentes introducunt: atque ita debellatum eſſe credunt. Sed nos hoc conſtantiſſime inficiamur: & propterea iterum ipſis in prælium redeundum eſſe denuntiamus. Præterea Turcarum teſtimonio contendunt

[1] *Onuphr. in eius vita.*

multas

multas eſſe apud nos ſectas : eos enim propter diſſidiorum, & ſectarum multitudinem noſtros auerſari. ſed nos aut locupletiore teſtimonio vrgere debent, aut non moleſte ferre, ſi pariter & Turcarum, & ipſorum blaſphemias, & maledicta contemnamus. hoc omnes vident, non multum iſtos ſapere, qui cum Turcis aduerſus nos conſpirantes, eorum teſtimonio pugnant, & tamen nihil afferre poſſunt, niſi apertè mentiri velint. neque enim veriſimile eſt, Turcas nos propter diſſenſiones, ſi quæ eſſent, odiſſe, cum ex noſtris diſcordiis creſcere ſoleant, & res noſtras nec norint, nec curent.

Aſſerunt etiam *Synodum generalem à noſtris hominibus cogi non poſſe.* ſed quid ita obſecro? *nempe quia,* vt ipſi credunt *non conuenit inter nos, qui ſint admittendi in concilium, & qui nam excludendi, nec qua norma in diſputationibus & decretis ſequenda ſit, nec qui debeant eſſe iudices rerum controuerſarum, nec qua denique debeat eſſe canonum authoritas.* hæc enim ſumma eſt eorum, quæ prolixè aduerſarii contra conciliorum noſtrorum exſpectationem diſputant. Sed non minus hæc aduerſus papiſtas, quam noſtros faciunt. neque enim de hac re plenè conſentiunt. [1] Nonnulli presbyteros ſuffragia ferre debere contendunt, vt in antiquiſſimis conciliis factum videmus. nonnulli imperatoris ſummam volunt eſſe in moderandis con-

[1] *Æneas Syluius de geſtis concil. Baſil.*

liis poteſtatem, vt in concilio Niceno 1. & cō-
cilio Chalcedonenſi & aliis cōciliis factum eſt.
Gerſon & Panormitanus nec laicos exclu-
dunt. alii omnia ridiculè ex pontificis Rom.
& prælatorum ſententia ſuſpendunt. In
concilio Niceno & Synodis antiquiſſimis,
codices ſacri coram omnibus propoſiti ſunt,
vt ex eis lites terminarentur. hos conſulen-
dos eſſe dixit Conſtantinus. [1] Auguſtinus
Chriſtum & Apoſtolos controuerſiarum iu-
dices cōſtituit. [2] Baſilius *Scripturam diuinitus
inſpiratam* διαιτᾶσθαι *oportere* cēſuit. ex Scriptu-
ris patres lites ſuas diremerunt. Papiſtæ ap-
pellant patres: ſed cum ad rem ventum eſt;
abſque oraculo pontificis ſui, & eius decreta-
libus, conſiſtere non poſſunt. noſtros epiſco-
pos illi contra omne ius, & maiorum exem-
plum excludunt. aliqui volunt ſolos epiſco-
pos, alii vnâ preſbyteros iudicare. alii ſolum
pontificem Rom. iudicem conſtituunt. nam
in hoc ſumma ſummarum, & tota ſpes ad-
uerſariorum poſita eſt, ſi in eius ſinum con-
fugere poſſint. Alii ſummam eſſe volunt
canonum authoritatem; alii pontificis Rom.
alii volunt canones conſcientias ligare; alii
conſcientias eatenus dicunt ligare, quatenus
nituntur iuris diuini principiis, & non vltra.
De poteſtate denique conciliorum indi-
cendorum, penes quos eſſe debeat, ſumma
diſſenſio eſt. quanto ergo magis nobis danda
eſt venia, ſi nō in omnib. conſentiamus? quin
omnes

[1] *De nupt. & cōcup. lib. 2. c. 33.*
[2] *Epiſt. 80.*

omnes controuerſiæ in legitima ſynodo diſcutiantur, nemo noſtrûm repugnat. at aduerſarii, vt dictum eſt, & concilia libera & legitima, & ſcripturarum authoritatem repudiant.

Neque obſtat quod nonnulli homines pertinaces aliquos à ſe diſſentientes à colloquiis ſuis excludendos cenſuerint. non enim ex paucorum arbitrio iſta pendent. qui ab eccleſiis Anglicanis, Gallicanis, & Germanicis publica authoritate miſſi ſunt, non ſunt aliquorum factione excludẽdi. Neque in hac re aliqua futura eſt difficultas, quæ.n. Surius & Genebrardus de diſſenſione theologorum noſtrorum, an. 1557. Wormatiæ collectorum narrant, nullam fidem merentur. in tanto bellorum ſtrepitu, præſertim cum Carolus Imperator abeſſet, colloquium placidum inſtitui non potuit. quod autem inſtitutum fuit, illud papiſtarum pertinaciâ diſſolutum eſt. [1] Latomus, qui omnia colloquii acta diligenter deſcripſit, nullam noſtris doctorib⁹ hoc nomine culpam aſcribit. In colloquio autẽ Ratisbonenſi, Eckius à duobus ſuis collegis Phluggio, & Groppero [2] diſſentiens, eisq; multa malè loquens, oſtendit papiſtas potius, quam noſtros, hoc nomine accuſandos eſſe, quod non conſentiant inter ſe. illi enim hoc in loco non conſenſerunt. noſtris & hîc & in colloquio Poſſiaceno pulchrè conuênit.

[1] *Dathen. aduerſ. Latomi calumnias.*

[2] *Acta colloquii Ratisbon. An. 1541. edit.*

Non obſtant præterea quæ de modo a-gendi, & actoribus, de mediis, & de ſacræ ſcripturæ libris, ab aduerſariis inculcantur. Hæc enim omnia poſtquam epiſcopi, & le-gati omnium eccleſiarum in ſynodo libere conuenerint, facilè definiri poterũt. Primas partes meritò ſibi vendicant ſacrę ſcripturę, reliqua ex veterum authoritate, & concilio-rum optimorum conſuetudine facilè defi-nientur. horum decretis & Tritheitæ, & artolatræ, & ſtaurolatræ, & omnes papiſtę & reliqui omnes hæretici acquieſcere debent. quid enim æquius, quam vt verbo Dei o-mnes ſe ſubmittant? *Scripturarum autho-ritatibus*, inquit Auguſtinus contra Ma-xim. li. 3. c. 14. *res cum re, cauſſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.* vnde autem eli-cietur ſententia Scripturæ, niſi ex ipſa Scri-ptura, & ſaniorum interpretum ſtudio & in-duſtria? huic ſanè nos ſemper parati ſumus cedere; nec puto Theologos aliquos ortho-doxos repugnaturos. nobis igitur omnia ex-pedita ſunt, & facilia; nec dubitandum eſt euerſa pontificum Rom. tyrannide, & ceſ-ſantibus bellorum incendiis à papiſtis exci-tatis, quin aliquando legitimum, & liberum & noſtrarum eccleſiarum, & totius orbis futurum ſit concilium, quod controuerſiis aut omnibus, aut maximis finem allaturum eſt. Neque hoc nobis vitio vertendum eſt, quod hucuſque nullum cõcilium generale celebratũ ſit. hoc enim nos votis, & omnib

gitim

gitima ratione quæſiuimus, & aduerſarii impediuerunt. Nec mirũ ſi in perturbatione eccleſiæ nullum fieri potuerit concilium generale, cum ab apoſtolorum temporibus vſque ad Conſtantinum Magnum, nullum coactum ſit. huc accedit, quod imperio labefactato, & à pontifice Rom. occupato, nullum niſi ad eius arbitrium concilium haberi [1] potuerit.

Comparemus nunc aduerſariorum cauſam cum noſtra, & ſic facilè perſpiciemus nihil fuiſſe cauſſæ cur de conciliis mentionem facerent. ipſi enim non tantum fugiunt concilia, vt dictum eſt, ſed etiam contẽdunt non opus eſſe conciliis. diſputat [2] Bellarminus, *non eſſe concilia generalia abſolutè & ſimpliciter neceſſaria.* aliquãto longius progreſſus fuiſſet, ſi audiret. temporibus autem cõcilii Conſtantienſis diſputabant nonnulli, non opus eſſe omnino conciliis: ſufficere enim pontificis Rom. decretales & decreta; aduerſus quos diſputat Petrus de Alliaco. *Iudicatur,* [3] inquit ille *quod hodie non eſt opus concilia generalia, aut prouincialia congregare, ſicut fuit in primitiua eccleſia, & quod ad tollendum vexationes prælatorum in huiuſmodi conciliis Romana eccleſia, ſeu papalis curia poteſt ſufficienter caſibus emergentibus reſpondere: reſpondetur, quod hoc non eſt vtique verum.* [4] aſſerunt omnes pontificẽ Romanũ ſummũ eſſe cõtrouerſiarum religionis iudicẽ, & ipſum infallibiliter iudicare. At ſi hoc

[1] *Onus eccleſ. c. 19.*

[2] *De concil. & eccleſ. c. 10.*

[3] *In lib. de reform. eccleſ.*

[4] *Bellar. & Staplet. & Harding. & omnes alii.*

verum ſit, quid opus eſt ex toto terrarum orbe paſtores eccleſiarum conuenire? cur non omnes rectà ad pontificem tanquam vnicum eccleſiæ oraculum confugiunt? cur non eius ſententiæ acquieuêre ſuperiorum temporum hæretici? omnes enim papam eſſe ſupra concilium prædicant, & eum tanquam lege curiata à conciliorum decretis ſoluunt. At ſi hoc verum ſit, fruſtra celebrãtur concilia, cum pontifex Rom. & contra concilia, & præter concilia, omnia pro arbitratu ſuo diſponere ſoleat. Quid, quod Papam Rom. ſummum & vnicum eſſe ſcripturæ ſacræ interpretem contendunt, *& omnes patres, imò totum mundum contra ipſum ſententiantem*, vt ipſi loquuntur, nec pili vnius æſtimant? quid illi de regula conciliorum, & patrum, & eccleſiæ, & canonum authoritate anxiè quærant; cum ille vnus ſit inſtar omnium? ab hoc etiam concilia cogi, & modum ea celebrandi prçſcribi, & omnia definiri volunt. At hæc non modo iniquiſſima ſunt (quid enim iniquius, quam eos qui poſtulantur in iudicio, & iam grauiſſimorum criminum condemnantur, iudicare?) ſed etiam abſurdiſſima. quid enim abſurdius, quam vt homines indoctiſſimi, impiiſſimi, impuriſſimi, ſceleratiſſimi, de religionis negotiis iudicent? & propterea aduerſariorũ de conciliis ſententia & ex eccleſiæ antiquiſſimæ moribus, & patrum teſtimoniis, & rationibus grauiſſimis, & verbi di-

ui

uini authoritate exploditur: eaque eſt inſulſiſſima, & iniquiſſima. Quod ergo Reginaldus & Giffordus tantopere laudant, & admirantur ſuum pontificem, & nobis inſultant, quaſi morbo inſanabili laboraremus, eò quod nullum agnoſcimus in terris totius eccleſiæ monarcham; fruantur ſua inſania. nos ab illo pontifice maximam malorum molem in eccleſiam inuectam videm⁹, & dolemus. tantum abeſt, vt pontificem à noſtris reiectum, quod nos in perſona Samuelis fatentes inſulsè [1] introducunt, moleſtè feramus. [1] *Cap.4.*

CAP. VII.

De ſumma ſecta papiſtica crudelitate, & noſtrorum hominũ clementia, & Turciſmi & Papiſmi origine; aduerſus lib.1.cap.4.

QVemadmodum homines mente moti, abſq; rationis regimine huc & illuc temerè iactati, faciunt vt plurimum, quæ non decent: ſic Giffordus & Reginaldus atra bile perciti, nunc de laudibus religionis Turcicæ, nunc de ſectis, nunc de conciliis temerè & confusè tractant. Hoc loco crudelitatem hominum noſtrorum attingunt. poſtea ad principium & fundamentum Turciſmi relabuntur. ſed quorſum hæc? num inde probare poterunt, doctrinã Caluini ad Mahometiſmum tendere? non magis ſanè, quam ſi de lana caprina craſſum volumen edidiſſent. Nos autem furioſos iſtos

religionis apoſtatas veſtigiis perſequẽtes, ne aliqua in re bonis nocere poſſint, operam dabimus. Et primò quidem quod de crudelitate obiectum eſt, diluemus; poſtea de primordiis Mahometanæ perfidiæ, quam cum noſtra religione cœpiſſe ſcribunt, reſpõdebimus. ſed breuiter vtrumq; ; quia in tractatu de Turcopapiſmo nõnihil iam de iſtis rebus diximus.

Dolet papiſtis, & præſertim transfugis iſtis, quod, vt aliis in locis fecerunt, ita in Anglia pios populariter cædere, & iugulare nõ potuerint. vident complures ex ſodalibus ſuis, quos pontifex Rom. ad incendium, & ſeditionem in Anglia excitandam ſubmiſit, magiſtratuum vigilantia ſublatos eſſe. hoc ipſi & acerbè & crudeliter factum querũtur. quaſi vero crudele ſit, ſe aduerſus hoſtium inſidias, & impetum crudeliſſimum defendere, & munire.

Sed qui ſunt iſti qui de noſtra crudelitate queruntur? Giffordus *primò*, qui ad ſereniſſimam principem Elizabetham trucidandã percuſſores aliquoties ſubmiſit. *deinde* Reginaldus apoſtata religionis, & hoſtis patrię, qui iam pridem Hiſpanis obſequens, excidium & peſtem nobis omnibus machinatus eſt. vterque ex ſecta ſanguinaria papiſtarum, qui lupina feritate ſanguinem omnium bonorum exugere conantur. nos autem antea oſtendimus papiſtas Turcis eſſe crudeliores. hoc loco ipſos crudeliſſimos tyrannos ſupe-

ſuperaſſe, multis teſtimoniis & exemplis oſtẽdemus. Et primò quidem ex lege illa ſanguinaria [1] Lucii tertii nomine edita, qua *omnes contra ſua dogmata docentes & ſentientes vltore ferro perſequuntur*. exemptis [2] tollunt priuilegia: principibus [3] negant obedientiam præſtandam; [4] obligationes iuris Diuini & humani ſoluunt. Et licèt [5] crudelitas, vt inquit Cicero, *extra mortem progredi non ſoleat*: iſti tamen morte inimicorum non contenti, *ſepulturâ eos prohibent, memoriam condemnant, liberis infamiam irrogant*.

1 *c. ad abolendam, de hæreticis.*
2 *Ibidem.*
3 *c. abſolutos. ibid.*
4 *Ibidem.*
5 *Lib. 5 in Verrem.*

Probatur etiam ex legibus inquiſitionis Hiſpanicæ, quæ velut fera inſatiabilis multorum bonorum virorum ſanguinem hauſit. crudeles iſti quęſitores ſupplicio reorum non contenti, acerbiſſimis cruciatibus eos tollunt. Phalaridis taurus apud veteres celebrabatur: at horum incendia, fidiculę, equulei, taurum illum longè ſuperant.

Auentinus de Gregorii ſeptimi temporibus verba facturus, ſe *cædes, homicidia, parricidia, & ſeditiones pluſquã ciuiles ſcripturum* [6] præfatur. Platina oſtendit pontifices Rom. fuiſſe tyrannos crudeliſſimos. *Hi*, [7] inquit ille, *largitione, & ambitione pontificatum quærentes, & adepti, poſthabito diuino cultu, inimicitias non ſecus ac ſæuiſſimi quidam tyranni inter ſe exercebant.*

6 *Lib. 5. annal. Boior.*
7 *In Sergio 3.*

Vlricus [8] Huttenus pontifices Rom. *tyrãnos* vocat. *In illos*, inquit Huttenus, *verè deteſtandi ſceleris cõmentores pontifices omnia a-*

8 *Vlric. Hutten. ad Leon. 10. An. 1517.*

cerbiſſima dicta, omniaque ferociſſima facta conueniunt. quid ni? in depeculatores, in fures, in tyrannos, in latrones.

[1] *In Chronico.*

Abbas [1] Vrſpergenſis bella ab Innocentio tertio excitata deſcripturus: *Tunc*, inquit *cœperũt multiplicari mala in terris. ortæ ſiquidem ſunt in hominibus ſimultates, doli, perfidia, traditiones, vt ſe inuicem tradant in mortem & interitum.* Rectè ergo pontifices & cardinales coccineis veſtibus vtuntur. rubent enim veſtes ſanguine ſanctorum, quos illi crudeliſſimè interfecerunt. neque enim ſexui, nec ætati, nec ordini parcere ſolent, vt ſynagogam Rom. oſtendant eſſe Babylonicã meretricem, cui⁹ veſtes coccineę & purpureæ [2] erãt, quęq; *ebria erat ſanguine ſanctorũ.* Hinc cędes in Gallia & Belgio noſtris temporibus toties inſtauratæ. hinc ſtrages illa Albigenſium ab Innocentio tertio, & Dominico illo truculento Hiſpano facta. hinc crudelis illa clades Merẽdolenſium & Chabrierenſiũ, duce Minerio à ſacrificis papalibus cõtra eos miſſo. quo tempore nec ſenes, nec infantes ętas, nec fæminas ſexus, nec viros bonos innocentia, ex manibus carnificũ liberare potuit.

[2] *Apocal. 17.*

Neque hæc tantum populus papiſticus, ſed ſummi pontifices deſignarunt. Gregorius ſeptimus crudelitatis viam reliquis prę monſtrauit. *tres ſuſpendit ſine ordine iuris ſeruato*, inquit [3] Beno Cardinalis: *viduæ filio pedem amputauit. Cincium in vaſe aculeis pleno con-*

[3] *In vita Gregorii Septimi.*

no concluſum mille mortibus excruciauit. Iſte Hildebrandus, inquit [4] Rulandus epiſcopus Parmenſis, *neque paſtor, neque pater, neque pontifex eſt, ſed fur, lupus, latro, tyrannus.* Vrbanus ſextus Cardinales quinq; ſecuri percuſſit, vel vt alii [5] aſſerunt, *culleis inſutos in mare deiecit.* Cardinalis de Sangro eius mandato Archiepiſcopos, epiſcopos, Abbates, Presbyteros, clericos, grauiter in equuleo afflixit. *Vrbano ſexto* inquit [6] Theodorus Niemenſis, *nullus repertus eſt in papatu truculentior, aut ſæuior.* [7] Bonifacius nonus patrem à filio, fratrem à fratre ſuſpendi iuſſit. [8] Innocentius ſeptimus vndecim Romanos ciues ad nepotem miſit iugulandos: quibus interfectis dixiſſe fertur, *eo modo tolli ſchiſmata & ſeditiones.* [9] Gregorius nonus Alemannos Friderico adhærentes crudeliter interfecit. contra *Pauli ſecundi* crudelitatem teſtimonium dicit Platina. Onuphrius, licèt pontificum facta vbique excuſet, ſcripſit tamen Alexandrum ſextum propter immanem ſæuitiam in famem fuiſſe. vnde hoc diſtichon:

Mirum, ſi vomuit nigrum poſt fata cruorem
Borgia? quē biberat, cōcoquere haud poterat.

Sed quid nos vel teſtimonia vel exempla quęramus? omnes enim vident, nihil eſſe crudelius, quam pontifices Rom. & eis adhęrentes papiſtas. *clamat altius*, inquit [1] Valla, *ſanguis Chriſtianorum a pontifice Roman. effuſus.* incendiis, gladiis, equuleis, inſidiis

4 *Auentin. lib. 5.*

5 *Theod. à Niem. lib. 1. de ſchiſ.*

6 *Tract. vnion. 6. cap. 39.*

7 *Theod. à Niem. de ſchiſ. 2. cap. 27.*

8 *Platin. in Innocent. 7.*

9 *Paralip. Vrſperg.*

1 *Contra donat. Conſtantini.*

multa hominũ millia, non alio nomine qui quod Deum ritè colere, & à fœda Synagoga Rom. idololatria ſe puros conſeruare conati ſunt, tyranni iſti ſuſtulerunt.

Proferant aduerſarii ſimilia teſtimonia, & exempla crudelitatis noſtrę, & nemo negabit noſtros fuiſſe crudeles. editus quidem eſt à vaniſſimo quodam, vt videtur, monacho, liber de furoribus Gallicis, ſed pleniſſimus mendaciis. in eo tamen nihil habet, quod non belli ius excuſat. narrant iſti *quoſdam apud nos propter grana benedicta, & roſaria, & imagines ſupplicio affectos:* & res iſtas *reculas* vocant, *& fidei veteris indicia.* ſed neque nouum eſt eos, qui cum hoſtibus conſpirant, interficere: nec teſſeræ hoſtiles pro reculis ęſtimãdæ ſunt: nec aliud ſunt res iſtę, quam ſuperſtitionis ſigna, quibus ciues rebelles ſe ad pontificem Rom. pertinere oſtendunt. nemini autem dubium eſt, quin pontifex Rom. hoſtis ſit huius regni: multos enim iam annos cum eo non de imperio, ſed de vita & ſalute, tanquam aduerſus draconem & feram depugnauimus. iſte armis & inſidiis nos diu oppugnare non deſtitit. hinc etiam ſequitur læſæ maieſtatis teneri, qui teſſeras eius circumferunt, aut cum eo ſentiunt. veteres huius regni [a] conſtitutiones, *læſæ maieſtatis reos pronuntiant, qui cum hoſtibus ſentiunt, aut eis adhærent.* hoc etiam leges Rom. quibus nunc omnes vtuntur [b] ſanxerunt. nam non tantum qui cum hoſtibus

[a] 15. *Edvvard.* 3. 2.
[b] *ff. ad leg. Iul. maieſt. l.* 1. *Cod. ad leg. Iul. maieſt. l. quiſquis.*

bus aduerſus rempub. conſpirat, ſed qui *factionis contra rempub. ſuſceperit ſacramentum, aut ſignum*, maieſtatis lege tenetur. Sint ergo in ſe reculę ſuperſtitioſę: tamen vt ſunt teſſeræ factionis & defectionis à debita erga principem obedientia, non ſunt contemnendæ.

Mirantur etiam iſti, *cur læſæ Maieſtatis damnantur, qui Anglos pontifici Romano reconciliant*. quaſi verò non ſemper pro hoſtibus habiti ſint, qui hoſtium partes augent & tuentur; & non omnibus perſpectum ſit pontificem Rom. huius regni hoſtem eſſe capitalem, qui religionis ſpecie incautos capere tentat. Atque vt tantum hæretici eſſent, & non hoſtes publici: cur non tollantur eorum conuenticula, & ſacrifici multentur, cum [4] Valentinianus & Martianus conuenticula hæreticorum lege vetuerint, & Eutychianorum, & Apollinariſtarum ordinationes condemnarint?

[4] *Cod. de hæret. & Manich. L. quicunque.*

Conqueruntur deinde aduerſarii, *nullam nobis eſſe certam fidem, & tamen ad fidem noſtram compelli papiſtas*. ſed vtrobique mentiuntur. cur enim non ſit nobis certa fides, cum certis articulis comprehendatur, quos mutari poſſe negamus; cum fides papiſtica ex incertiſſimo pontificum Rom. arbitrio pendeat? præterea oſtendant iſti, vbi aliqui ſupplicio affecti ſunt, eò quod noſtrã religionem amplecti noluerunt: quod toties ſignificant, & tã grauiter querũtur. Quę

iſti de ſectis Puritanorum & familianorum vbique garriunt, ineptiſſima ſunt. non magis enim apud nos, quam apud papiſtas tales ſectarii habentur, & occulté latent.

Inſtant præterea, & dicunt, *iniquè homines à priſca catholica Eccleſiæ fide legibus noſtris deterreri.* ſed impudēter faciunt, qui qđ in principio eſt, petunt. nos enim noſtram religionem aſſerimus eſſe Catholicam, & Apoſtolicam, & de Papiſmo contra exiſtamus: & tamen ſi à pontifice Rom. qui Antichriſtus eſt, & hoſtis publicus, eius hæreſis ſtudioſi abſtinere velint, & obedientiam Regiæ maieſtati præſtare, quam non tantum leges regni, ſed etiam leges diuinę poſtulant; non animaduertimus in eos, qui malè de fide ſentiunt. atque ſi maximè faceremus, hoc tamen aduerſarii reprehendere non poſſent.

Illud denique iniquiſſimum eſſe contendunt, *vt acerbiore ſupplicio afficiantur, qui ad pontificiam religionem accedunt, quam ad antitrinitariorum & aliorum hæreſes.* ſed aut ſententiam legis non intelligunt, aut delicias faciunt. nos enim nullos pœna afficimus, quia papiſticam religionem ſponte amplectuntur: ſed contra iſtorum hominum crudelitatem, religionem ſuadendam, & non cogendam cenſemus. idcirco hęreſes verbo Dei tollimus, eccleſiaſticis cenſuris coercem⁹: ſed in eos qui religionis nomine factiones ſequuntur, & moliuntur ſeditiones, animaduer-

aduertimus quo nomine ſi rei eſſent aliqui Puritani aut aliqui apud nos hæretici, in illos etiam leges vindicarent.

Hoc etiam loco commemorant aduerſarii, *multos eſſe apud nos antitrinitarios, atheos, & hæreticos*. ſed hæc maledicta ſunt aduerſariorum, & non vera noſtrorum hominum crimina. Apud ipſos autem non tantum athei, & hęretici occulti ſunt (hos enim [1] Bellar. inter eccleſiæ Rom. membra & ornamẽta recenſet) ſed in Cathedris ſcholaſticorum doctorum, & ſedibus pontificum Romanorum publicè & palam dominantur. *religioſi collocati ſunt in religione velut angeli*, vt eſt apud [2] Catharinam Senenſem, *ſed quam plurimi ſunt dæmonibus deteriores*. Et poſtea: *facti ſunt arma diaboli, corrumpentes religionem intus in ſe & fratribus, ac extra in ſecularibus*. iſti autem ſunt Synagogæ Rom. doctores. Gloſſa in Methodio eos appellat *elatos, pomposos, ſimoniacos*. [3] Palingenius de monachis verba faciens,

Proh pudor, inquit, *hos tolerare poteſt eccleſia porcos,*
Duntaxat ventri, Veneri, ſomnoq; vacãtes?

Sed quid opus eſt teſtibus in re tam clara? nonne omnes vident doctores Synagogæ Rom. ita viuere, quaſi nullus eſſet Deus, nulla poſt hanc vitam pœna? certè, ſi Iebuſitæ Deum eſſe crederent, nunquam propter Deum ſuum terreſtrem, & vẽtres ſuos, tot homines innocentes occiderent, tot re-

1 *De eccle. milit. c. 9. & 10.*

2 *Cap 125.*

3 *In Sagittario.*

gna turbarent, cœlumque terræ miſcerent. Rectè ergo de ſacerdotibus eccleſiæ Rom. in ſynodo Tridentina dixit epiſcopus Bitōtinus, *dicunt, in corde ſuo, quod non eſt Deus.* quid autem pontifices Romani? aduerſarii eos appellant capita eccleſię. ipſi autem ſe oſtendunt eſſe capita ſcelerum, & duces ad interitum. *cur tantum odis me*, inquit Chriſtus ad papam apud [3] Brigittam, *quare tanta eſt audacia & præſumptio tua?* & poſtea, *rapis & deprædaris*, inquit, *à me innumerabiles animas. nam quaſi omnes qui veniunt ad curiam tuam mittis in gehennam ignis.* Boccatius oſtendit [4] pontifices ſui temporis *nullam habuiſſe curam religionis.*

[3] 4. 142.

[4] Nouella 2.

Pontifices, inquit [5] Palingenius, *nunc bella iuuant, ſunt cætera nugæ:*

Nec præcepta patrum, nec Chriſti dogmata curant.

[5] In Capricorno.

De Alexandro ſexto nec ipſi diſſimulant papiſtæ atheum fuiſſe. hoc etiam de Leone decimo, Clemente ſeptimo, Paulo tertio, Iulio ſecundo & tertio, aliiſque multis teſtantur [6] hiſtoriæ. [7] Epiſcopus Chemenſis dicit iſtos quandoque *a ſpiritu maligno exagitari.* Hæretici erant *Liberius, Felix, Anaſtaſius ſecūdus, Honorius primus*, Ioannes 22. & 23. de quo teſtimoniū etiam perhibet ſynodus Conſtantienſis, quod animæ immortalitatem negaret. Romę ergo, & inter papiſtas, ſunt hæretici, ſcelerati, Turcæ, & athei. Apud nos autē, licèt ſedulo aduerſarii inueſtigent,

[6] Zegedinus, Barnus, Baleus, Onuphrius.

[7] Onus eccleſ. cap. 19.

ſtigent, nullum tamen huiuſmodi hominũ genus reperire poſſunt.

Poſtea ad ſuperiorem accuſationem pedem referentes [g] aiunt, & *noſtros & Mahometanos aduerſarios noſtros è medio ſublatos cupere.* ſed nos antea oſtendimus hoc papiſtarũ eſſe proprium, vt malè de religione ſentientes, ferro, inſidiis, iudiciis, veneno, omnique ratione tollendos cenſeant. imò per ſummũ ſcelus & perfidiam multa innocentiſſimorum hominum millia in Gallia, Belgio, Germania, Anglia, Scotia, Hiſpania, Italia, & omnibus orbis Chriſtiani prouinciis, crudeliſſimè trucidarunt. at nos interim, licèt poſſimus parpari referre, nõ facimus. apud nos non tantum opibus, ſed etiam honorib⁹ notiſſimi papiſtę fruuntur. neque, ſi pecuniariam mulctam excipiamus, vlla eis imponitur propter pertinaciam pœna. imò qui à pontifice Rom. ad reginam trucidandam, aut ſaltem ad res nouandas venerunt, illi viui aſſeruãtur in cuſtodia. hæc eſt noſtrorum hominum clementia; neſcio, vtrum reip. vtilis, at certè hoſtib⁹ patriæ ſalutaris. nos illiş parcimus, qui nobis exitiũ machinati ſunt: papiſtæ innocẽtiſſimis hominib. necẽ inferũt. sũt ergo illi Turcis ſimilimi, nos diſſimilimi.

[g] P. 202. 203.

De tempore etiam quando primum cœpit eccleſia Chriſti labefactari, & de modo propagandi religionem noſtram, non leuis eſt inter nos, & Turcas diſcrepantia: licèt aduerſarii contrariam affirment & ſentiant. Turcæ tempore Mahometi prorſus

interiiſſe eccleſiam, & propterea nouam ab ipſo legem proferendam fuiſſe exiſtimarunt. at nos non tantum temporibus Gregorii primi & Mahometi, ſed diu poſt, etiam Romæ eccleſiam fuiſſe concedimus. Antichriſtus enim in [1] templo Dei ſeſſurus erat, & paulatim vires acquirere, & potētiam ſuā diffundere debuit. in aliis verò locis eccleſiam ſemper fuiſſe non dubitamus, licet nō ſemper oculis conſpicua fuerit. eſt enim eccleſia ſuper Petram [2] fundata nec quia non erat conſpicua, propterea nullam fuiſſe credendum eſt. In vrbe Roma verò, à Gregorii primi temporibus, paulatim labefactari, & tandem, quoad externam formam, in illa vrbe deficere cœpit. atque hoc Antichriſti temporibus futurum fore ipſi aduerſarii agnoſcunt. tunc enim cultum Dei in aperto & publico ceſſaturum. [3] epiſcopus Chemenſis de ſuis temporibus loquens, dixit *præſumendum eſſe propinquam eſſe ruinam eccleſiæ Latinæ, quoad eccleſiaſticā dignitatē. pontifices .n. carnalia ſequentes exhibere ſe magis mixtos* AntiChriſti *præcurſores, quā Chriſti fideles ſeruitores.* [4] Petrarcha & alii multi teſtati ſunt, Romam eſſe Babyloniam. at quantum intereſt inter Babyloniam & Hieruſalē; tātum intereſt inter Romam à Chriſto deficientem, & eccleſiam. *Qualis eſt diſpoſitio Romanæ curiæ*, inquit Chriſtus apud [5] Brigittam, *quæ ſedes mea deberet eſſe, ſed peruerſa eſt? in ea ſuperbia pro humilitate, propria volun-*

[1] 2. Theſ. 2.

[2] Matth. 16.

[3] Onus eccleſ. c. 19.

[4] Canto 106. 107. 108.

[5] Eccleſiaſ. 51.

voluntas pro obœdientia, ira & inuidia pro charitate & miſericordia, vocari Rabbi & doctus pro diuina ſapientia. ideo meritò corruet: prædixit & Spiritus ſanctus [1] hãc ſynagogam & ſedem Antichriſti ruituram: vbi dicit *Babylonem cecidiſſe.*

[1] *Apocal. 18.*

Turcæ armorum potentiâ legem ſuam promulgarunt: nos verbi prędicatione propagandam credimus. verbo enim Chriſti, oues palantes in caulam Domini coguntur; & Euangelii prædicatione paſcuntur & cuſtodiuntur.

Turcę nouam ſectam conſtituere, & nouam legem promulgare cœperunt: at nos ad apoſtolicam eccleſiam redeundum, & nõ nouam promendam legem; ſed veterem Chriſti doctrinam reſtituendam cenſemus. imò omnibus, qui aliud Euangelium afferunt, anathema dicimus.

Poſtremò, ipſi eo tempore eccleſiam reſtitutam dicunt: nos eo primum tempore labes inualuiſſe, & palàm graſſari cœpiſſe affirmamus.

At inter Turcas & Papiſtas, de iſtis rebus rectè conuenit. nam & Turcarum, & pontificum Rom. poſt annum Domini 600. ſę oſtẽdere cœpit imperium. nam quo tempore Bonifacius III. à Phoca obtinuit, vt Roma omnium eccleſiarum caput haberetur, exortus eſt Mahometus. Gladio Turcæ imperii fines propagarunt: gladio etiam pontifices Rom. dogmata ſua defendunt. labente ec-

cleſia & imperio, & Turciſmus & Papiſmus emergere, & paulatim ſe oſtendere cœperunt. Quare, ſi aliquod ſit in tempore originis, aut modo propagandæ doctrinæ momentum, valde affinis erit Papiſmus Turciſmo.

Cap. VIII.

De patrum ſcriptis, & eorum authoritate, aduerſus lib. 1. cap. 5.

CVm tanta ſit patrum eccleſię apud Chriſtianos authoritas; non mirum eſt, ſi in hoc ſummè elaborent aduerſarii, vt patres nobis eripiant, & ad ſuas partes traducant. ſed fruſtra omnem hunc laborem ſuſcipiunt. nos enim non contemnimus patres, vt iſti prædicant; nec aduerſarii ſibi ſuffragantes patres habent, vt nonnunquam gloriantur. Lutherus non reiicit patrum aliquorum ſententiam, niſi vbi patres aduerſus verbum Dei ſentiunt. *Ego*, [1] inquit, *aduerſus dicta patrum, hominum, Angelorum, dæmonum, pono maieſtatis æternæ verbum, Euangelium.* Idem [2] dicit, *contra diuina fulmina, nihil valere concilia, patres, & conſuetudinem.* [3] Illyricus ex ſcripturis dicit *patres hauſiſſe ſalutarem doctrinam*; & propterea eas fonti comparat, hos riuulis à fonte fluentibus. [4] Zuinglius *non ex patribus, ſed ex verbo Dei, de controuerſiis indicandum* cenſet. Negat *Petrus* [5] *Martyr patribus tribuendam de ſcripturis; & iis quæ ad ſalutem*

[1] *Cont. reg. Angliæ.*
[2] *De miniſtris eccleſ. inſtit.*
[3] *In præfat. noui teſtam.*
[4] *In explanat. art. 64.*
[5] *In præfat. in 1. Cor.*

lutem necessaria ſunt, ſupremam cenſuram. Vrbanus [1] Regius dicit, *Eccleſiam ſcripturas intellexiſſe antequam aliqua edita eſſent commentaria patrum.* Iuellum [2] Humfredus nimium largitum fuiſſe aduerſariis cenſet, quando ex patrum ſcriptis ſuam ſententiam probandam ſuſcepiſſet. [3] Caluinus *patrum ſcripta nobis ſeruire debere, & nō dominari* dicit. ſimiliter etiā ſcribit [4] Wolfgangus Muſculus. Atque hæc eſt communis noſtra ſententia, in qua quid eſt, quod iſti repræhendant? num patrum teſtimonia ſcripturis anteponent? aut aliquibus in fidei negotio, vel ſine ſcripturis, vel cōtra ſcripturas loquentibus credent? at hoc nec ipſi patres poſtulāt. *Nobis*, inquit [5] Tertullianus, *nihil licet ex noſtro arbitrio inducere, ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quicquam de ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam à Christo diſciplinam fideliter nationibus aſſignarunt.* Similiter [6] Cyprianus: *Non curandum eſt*, inquit, *quid hic, aut ille ſenſerit. ſed quid Christus fecerit, aut docuerit.* atque vt [7] Hieronymus affirmat: *nec parentum, nec maiorum error ſequendus eſt, ſed authoritas ſcripturarum.* [8] Auguſtinus non modo reiicit, ſed anathemate ferit *quicquid annūtiatur præterquam quod in ſcripturis legalibus, & Euangelicis accepimus.* & in epiſtola ad Hieronymum: *Ego ſolis eis ſcriptoribus*, inquit, *qui iam ca-*

1 In mater. cogit de miſſ. negotio.
2 In vitâ Iuell.
3 In præfat. in Inſtit.
4 Loc. com: de ſcriptur.
5 De præſcrip. aduerſ. haret.
6 Lib. 2. epiſt. 3.
7 Hieron. in 9. c. Hierem.
8 Contr. lit. Petil. libr. 3. cap. 6.

nonici appellantur, didici hunc timorem adhibere, vt neminem eorum ſcribendo erraſſe credam. Idem oſtendit etiam doctiſſimos patres inter ſe diſſentire. *alia,* [1] inquit, *ſunt in quibus inter ſe etiam doctiſſimi, atque optimi regulæ catholicæ defenſores, ſalua fidei compage, non conſonant, & alius alio de vna re melius dicit.* Quid quod grauiſſimi ſunt errores in ſcriptis patrum? *negare non poſſum,* inquit [2] Auguſtinus, *nec debeo, ſicut in ipſis maioribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſunt iuſto iudicio, & nulla temeritate culpari:* quod ex libris Retractationum in ſe verum eſſe demonſtrauit. Origenem multas habuiſſe peruerſas opiniones, & Arianiſmi primum fuiſſe parentem docet [3] Zonaras. *Præter plurimas alias peruerſas ſententias,* inquit ille, *etiam vnigenitum Dei filium conditum eſſe, & a natura paterna diuerſum affirmauit.* Idem aſſerit Euſebium Pamphilum hæreticum fuiſſe Arrianum. *Arrii ſectam tum amplexabatur,* inquit [4] Zonaras, *etiam Euſebius Pamphilus Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus.* atque hoc ille pluribus teſtimoniis confirmat. [5] Hilarius negare videtur *Chriſtum ſenſiſſe dolorem in paſſione.* Tertullianus in doctrina de Spiritu ſancto hallucinatus eſt, in Montani dogma delapſus. idemque condemnat ſecundas nuptias. Hieronymus etiam ſecundis nuptiis videtur iniquior, & in doctrina [6] de prouidētia Dei grauiter errauit. in epiſtola ad Damaſum negaſſe videtur

[1] *Libr. 1. aduerſ. Iulian. c. 2.*

[2] *Ad Vincent. Donatiſt.*

[3] *Annal. tom. 3.*

[4] *Ibidem.*

[5] *Lombard. lib. 3. ſentent. diſt. 15.*

[6] *Sentent. Lomb. libr. 1. diſt. 40.*

tur

tur tres in Deo hypoſtaſes, quod nec Bellarminus [1] diſſimulat. Irenęus quinquageſimo ætatis anno Chriſtum mortuū fuiſſe [2] ſcripſit: quod ſacris ſcripturis apertè repugnat. hæreticorum baptiſma condemnauit Cyprianus. hæreſim millenariorum plurimi propugnarunt patres. *Iuſtinus, Origenes, Irenæus, Lactantius, Chryſoſtomus, Theodoretus*, & alii aliquot patres, negāt animas piorum à corporib. ſeparatas videre Deum ante finale iudicium: quod nec [3] Bellarminus ignoraſſe videtur. præterea, patres non tantum diuerſas habent de multis rebus ſententias, ſed planè contrarias. Idcirco Thomas Aquinas argumentationem à patrum authoritate tantùm probabilem eſſe [4] dicit. *Sacra doctrina*, inquit ille, *authoritatibus canonicæ ſcripturæ vtitur propriè ex neceſſitate argumentando; authoritatibus autem aliorum doctorum eccleſiæ, quaſi arguendo ex propriis, ſed probabiliter.* Auguſtinus etiam nobiſcum ſentiens ridet eos, qui ex patribus aduerſus ſcripturarum ſententiam teſtimonia colligunt. *Noli frater*, [5] inquit ille, contra *diuina tam multa, tam clara, tam indubitata teſtimonia colligere velle calumnias ex epiſcoporum ſcriptis, ſiue noſtrorum, ſiue Hilarii.* neque tanta vnquam fuit patris alicuius authoritas, vt non liceret eum contra fidem Chriſtianam docentem redarguere. non eſt ergo reprehendendus vel Beza, ſi Origenē, & Chryſoſtomum errātem taxarit: vel *Mu-*

1 *De pontif. Rom. libr. 4. c. 11.*

2 *Libr. 2. aduerſ. hæreſ. c. 29.*

3 *De ſanctor. beatitud.*

4 *Summæ 1. p. quæſt. 8. act. 2.*

5 *Ad Vincent. Donatiſt.*

ſculus & *Vrbanus Regius*, ſi Hieronymi errores notarint; vel alii viri docti, ſi patres aliquos alicubi errantes deſeruerint. multa enim præterea ſunt in patribus, quæ laudamus, & libentiſſimè admittimus. neque obſtant nonnulli eorum errores, quin & rectas eorum ſententias, & interpretationes probemus.

At aduerſarii in multis habent patres ſuę ſententiæ contrarios, in pleriſque patrum teſtimonio deſtituuntur. Ignatius eos qui ſabbatho ieiunant, velut interfectores Domini condemnat. [1] Clemens laicos ieiunãtes eo die à communione excludit. Imagines è templis tollendas cenſuêre patres Elibertini, & Epiphanius. Ambroſius ſuffragia & interceſſionem ſanctorum defunctorum negauit. Gregorius primus imagines adorari [2] noluit. Angelorum cultores inter hæreticos cenſuêre [3] patres. *Sunt*, inquit [4] Chryſoſtom. *quidam qui dicunt non oportere per Chriſtum accedere ad Deum, ſed per Angelos, illud enim maius eſſe, quam vt nobis contingat.* Similiter [5] Oecumenius ex *Phocio*; *Erant*, inquit, *aliqui, qui in hypocriſi humilitatis prohibebãt eos dono Chriſti accedere, vtpote indignos tãtis: & angelis aduocatis vti oportere, qui nos ad Deum adducant.* vterq; Angelorum cultum, à Paulo, velut impium cõdemnari exiſtimauit.

[6] Gelaſius ſacrilegii eſſe reos pronuntiauit eos, qui ſpecies ſacramentales ſeparantes pa-

[1] Can. apoſt.

[2] Lib. 7. epiſt. 109.

[3] Epiphan. & Auguſtin. de hæreſ. Angelic.

[4] In Coloſ. 2. homil. 7.

[5] In Coloſ. 2.

[6] c. comperimus, de conſecrat. diſt. 2.

tes panem recipiebant, & à calice abſtinebant. omneſque vno ore patres, communicantibus tam poculum, quàm panem diſtribuendum docent. hoc Dionyſius eccleſiaſt. hierarch. c. 3. hoc Ignatius in epiſtola ad Philadelphenſes, & Cyprianus in libr. 1. epiſt. 2. & Auguſtinus ſupra Leuit. lib. 3. cap. 57. hoc Chryſoſtom. homil. 18. in epiſt. ad Corinth. 2. & Theophyl. in 1. Corinth. 11. & Haymo in 1. Corinth. 10. hoc Paſchaſius denique de corpore & ſang. Dom. cap. 44. & alii recentiores & antiquitus factum eſſe, & fieri debere docent.

Tranſubſtantiationis commentum patribus ignotiſſimum erat. *Acceptum panem,* inquit [1] Tertullianus, *ac diſtributum diſcipulis corpus ſuum illũ fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei. figura autem nõ fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus.* Auguſtinus contra Adimantum cap. 12. *non dubitauit,* inquit, *Dominus dicere, hoc eſt corpus meum, cum ſignum, ſiue ſacramentum daret corporis ſui.* & in Pſalm. 3. *Iudam,* inquit, *adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendauit.* idẽ de doctrina Chriſtiana lib. 3. c. 16. diſertè docet figuratam eſſe loquutionẽ, vbi Chriſtus dixit, *hoc eſt corpus meum. Carnale eſt,* inquit Chryſoſtom. homil. 46. in Iohann. *dubitare, quomodo nobis Chriſtus carnem ſuam ad manducandum dare poſſit, cum hoc ſit myſticè & ſpiritualiter intelligendum.* [2] Idem

[1] *Contr. Marcion. libr. 4.*

[2] *Ad Caſarium.*

dicit, *naturam panis remanere in ſacramento* poſt conſecrationem. Theodoretus ait, *Symbola quæ videntur, corporis & ſanguinis ſui appellatione honorauit, non naturam mutãs, ſed naturæ gratiã addẽs.* atq; hæc reliquorũ eſt Patrũ de his verbis, *Hoc eſt corpus meũ*, & hoc ſacramẽto, cõmunis ſentẽtia. Cõmuniter etiam illi doctrinam ſcholæ pontificię de accidentibus ſine ſubiecto, & priuata ſacrifici cœna, & ſacramenti idololatrica adoratione oppugnant. Miſſa etiam, & ritus plerique eccleſiæ Roman. poſt patrum ætatem in eccleſiam obrepſerunt: illi enim non communicantes ex eccleſia eiiciebant. *Si quis non communicet, det locum*, inquit Gregorius dialog. lib. 2. c. 23. [1] Martinus eiiciendum ex eccleſia decernit, qui intrans in eccleſiam à ſacramento abſtineret. fluxit hoc ex regulis Apoſtolorum, vt videtur. Priuatas miſſas omnes patres ignorabãt. antiquitus nec preces publicas ad virginem Mariam & ſanctos dirigebant, nec miſſas in honorem ſanctorum decantabant: neque illis temporibus vlla erant officia in honorem beatæ virginis inſtituta.

Similiter nouum eſt, quod Papiſtæ in lingua populo ignota ſacra celebrant, preces recitant, ſcripturas legunt. *Nemo*, inquit Auguſtinus de Geneſ. ad Lit. libr. 12. cap. 8. *ædificatur audiendo, quod non intelligit. Si ad ædificandam eccleſiam conuenitis*, inquit [3] Ambroſius, *ea dici debent, quæ intelligant audi-*

[1] De conſecrat. diſt. 2. c. ſi quis.

[2] In 1. Cor. 14.

[3] Ibidem.

audientes. [1] Chryſoſtomus dicit, *Linguas inutiles eſſe, quæ non intelliguntur.* atque hæc omnium patrum ſententia communis eſt, quod Apoſtolus 1. Cor. 14. *preces & lectiones in lingua non intellecta velut inutiles* condemnat. vnde & antequam tyrannis pontificis Rom. inualuiſſet, certum eſt, publicam eccleſię liturgiam in lingua, quam populus intellexit, ſemper peractam fuiſſe. imò ante concilii Tridentini decreta, nuſquam legitur linguarum vernacularum in publicis precibus & officiis ſacris vſus interdictus aut excluſus.

Huc adde, quod ſacramentorum ſeptenarius numerus, & extremæ vnctionis, & reliquæ ſynagogę Roman. ſacramentales ritus, & auricularis confeſſio, & purgatorium pontificum, & doctrina ſcholæ Rom. de his rebus, patribus antiquis inaudita erat.

Antiquitus pōtifex Rom. nec vniuerſalis dictus eſt, nec habuit ille in omnes eccleſias poteſtatem. [1] Polycarpus Aniceto, Cyprianus Stephano obtemperare noluit. eccleſię Aſiaticæ Victorem, Africanæ Zozimum & Bonifacium contempsêre. imo diſertè vetuere patres [2] Africani appellationes ad pontificem Rom. fieri. Iulio verò Primo epiſcopi orientales epiſcopatum abrogarūt, eumq; à communione repulerunt. patrum denique temporib. nec leges eccleſiæ præſcripsêre epiſcopi Rom. nec epiſcopos vbique ordinarunt, nec cauſas omnium eccleſiarum ad ſe reuocarunt. quod ne longiùs

[1] *Euſeb. libr. 5. c. 26.*

[2] *Concil. Carthag. 6. c. 92.*

abeamus, inde probatur; quia legum ſuarũ tabulas à Gregorio ſeptimo incipiunt.

Iam nihil opus eſt, vt pompam pontificis Rom. & regium faſtigium & Cardinalium faſtum nouum eſſe oſtendam. *Quod papa incedit deauratus, gemmatus, vario ornatu decoratus*, inquit epiſcopus Chemenſis ad [1] Bernardi dicta alludens, *quod milite ſtipatus, equo albo vectus, aut à miniſtris in altum portatus, hæc ſunt magis dæmonum, quam ouium paſcua, vbi non eſt paſtus ouium, ſed faſtus hominum; ibi non Petro, ſed Conſtantino ſuccedítur.* omnia deniq; illa ſynagogæ Rom. dogmata, quæ nos oppugnamus, poſt patrum eccleſiæ obitum, quaſi poſt occaſum clariſſimorum ſyderum, in tenebris errorum & ſuperſtitionum, clàm in eccleſiam irrepſerunt: quod & ipſi Papiſtæ nonnunquam agnoſcere videntur. [2] Guicciardinus *recentiores eccleſiæ Rom. mores longè à priſca Chriſtianorum diſciplina diſceſſiſſe* dicit. Nicolaus [3] Machiauellus ad Clementem ſeptimũ ſcribens aſſerit, *miracula noua cum veteris eccleſiæ moribus* pugnaſſe. *In decretaliũ volumine* inquit [4] Duarenus, *multa intueri licet, quæ a priſca illa diſciplina, quam decretorum liber à Gratiano editus continet, multum degenerent.* Sed & res ipſa teſtatur, hęc ita eſſe. nam ſi nihil mutatum eſſet, quorſum tot decretaliũ volumina? quid ſibi volunt tot Scholaſticorum ſubtilitates & diſtinctiones? vnde emerſerunt tot noui monachorum & mendicantium

[1] *Libr. 4. ad Eugenium.*

[2] *Lib. hiſt. 2.*

[3] *Hiſt. Florent. libr. 1.*

[4] *In præfat. in libr. de ſacr. eccleſ. miniſter. & benef.*

tium fratrum ordines & regulæ? cur pontifices, relicta gregis paſcendi cura, res alienas agunt, arma tractant, regnant in aulis & ſplendidis palatiis ſublimes? num hæc olim ſancti factitarunt patres?

Nihil eſt ergo quod aduerſarii hominibus noſtris patrum nomina iactent. patrum enim teſtimonio papiſmus euertitur. neque ſi illi authoritatem obtineant, conſiſtere poteſt ſynagogæ Rom. fides. non dubitant itaque pontificiæ cauſę actores nonnunquã hunc, nonnunquam illum ex patribus, nõnunquam omnes deſerere, & in ſui pontificis, quem pro omnibus patribus habent, ſinum confugere. aſſerunt quidem *ex patrum teſtimonio miſſæ ſacrificiũ, ſanctorũ inuocationem, vota monachorũ, & reliquã ſuam doctrinam confirmari*: ſed hactenus maximi huius cauſæ patroni hoc demonſtrare non potuerunt. iſti aũt ſcurrę nihil habent quod ſperent. Patres verò nos in maximis controuerſiis ſecundiſſimos habemus. iniuriam ergo nobis faciũt, vbi nos patres aſpernari, & nihil eis tribuere affirmant, ineptè etiã & putidè noſtros hoc confitentes in Samuelis perſona introducunt. vbi enim (quęſo) non honorificè de orthodoxis patribus loquimur? Quod autem Simlerus aduerſus *Samoſatenianos* diſputans parcè vtitur teſtimoniis patrum, propterea fecit, quia patribus illi nullam adhibent fidem. ipſi verò patres accuſatores noſtri à pontificis Rom. ſententia

diſſidentes ne pili quidem vnius faciunt. vnde ſequitur, *ſi contemptus patrum Turciſmũ olet*, quod illi ſæpe inculcant, tum aduerſarios noſtros à Turciſmo non tantum abhorrere, quantum ſimulant.

Abſoluta tantum de patrum authoritate confabulatione, ad ſycophantias ſe Turcopapiſtæ noſtri recipiunt, & aſſerunt *nos nullam habere de rebus diuinis certã ſententiã*. ſed nihil hoc ad argumentum in manibus. nam multò certior haberi poteſt de rebus Diuinis ſententia ex authoritate Prophetarum & Apoſtolorum, quàm ex dictis patrum. præterea, nos vt ſuper ſcripturas ędificamus fidẽ noſtrã, ita ſuffragium habemus Patrum. hinc fidei noſtræ confeſſiones certæ & immutabiles enatæ ſunt. interea verò ſectæ pontificiæ fides, eiuſque omnis certitudo ex vnius pontificis incertiſſima voluntate pendet. hunc enim tànquam vltimum controuerſiarum iudicem venerantur.

Obiiciunt nobis præterea iactantiam & maledicentiam, ibidemque famam & nomen clariſſimi & optimi viri I. Iuelli epiſcopi Sareſburienſis iam defuncti perſtringũt, quaſi ipſe *glorioſè pollicitus eſſet, quod præſtare non poſſet, & multa falsò ſcripſiſſet*. ſed prouocationis Iuellianæ quod nos locupletius deſideremus teſtimonium, quàm quod hactenus nullus aduerſariorum, gradum conferre, & argumenta, quæ ipſe reddidit, ſigillatim refellere auſus ſit? ſtat etiam ipſius de-

fen-

fenſio pro fide eccleſiæ Anglicanæ immota & inconcuſſa. ſummam eius modeſtiam vtinam hoſtes iſti patriæ imitari vellent. candorem ipſius, & veritatis amorem ſcripta ipſius teſtantur; quorum fundamenta licèt aduerſarii magnis minis oppugnarint, conuellere tamen nunquam potuerunt. Pro noſtris hominibus nihil neceſſe eſt reſpondere. quid enim illi non modicè, vel potius intra modum de ſe dixerunt? Cur aũt mentirentur, cauſa non erat, cum tanta eſſet criminum ſeges, vnde veriſſimarum obiectionum aduerſus Papiſtas infinitam materiam ſumere poſſent. maledictis autem certare alienum putarunt ab officio boni viri: ſed iſti vera crimina maledicta vocant. Iam verò aduerſariis nihil confidentius, aut glorioſius. Pontifex Rom. ſe tanquam Deum in terris effert, & licèt ſit impurus & ſtercoreus, Diuinos tamen ſibi arrogat honores. monachos, omnes notant tanquam homines arrogantes & pompoſos. neque aliunde aduerſarii ſuperbiam ſuam didicerunt, quàm ex Lucifero. malè loquendo nemo ipſos ſuperare poteſt. adeo vt planè oblitos eſſe cõſtet ſe Turcico odio nobis malè loquutos, cum nobis has obiectiunculas præripiunt.

Dicũt poſtremò *nos res manifeſtiſſimas negare.* at ſi res adeo manifeſtæ eſſent, vt iſti prædicant; certè nihil proficeremus negando. Quod autem negamus nunc *reginam dici caput eccleſiæ*, illud veriſſimum eſt. quia enim nonnulli non ſatis intelligentes, quid

per vocabulum hoc *capitis eccleſiæ* nobis vellemus, exiſtimarunt omnē pontificis Rom. poteſtatem ad regiam maieſtatem tranſcribi: idcirco lege lata mutatus eſt regius ſtilus, vt vocant, & ſupremi gubernatoris appellatio regibus noſtris tributa: vt omnes viderēt, nullam ſacerdotalis officii partem cum regio miſceri, ſed tātum regiam dignitatem à pontifice Roman. vſurpatam regibus reſtitui. antiquitus enim pontifex Roman. nō tantum populo Anglicano, ſed etiam ipſis regibus leges præſcripſit. & prçſules quos ei viſum eſt, [1] Regibus inuitiſſimis, eccleſiis præfecit. in iudiciis denique eccleſiaſticis ſummam ſibi poteſtatem arrogauit. reges verò Angliç per aliquot ſecula, nec quod ex vſu erat eccleſiæ præcipere, nec indigniſſimos præſules repellere, nec ſuis ſubditis ius dicere potuerunt. hoc ergo titulo, excluſo pontifice, populus Anglicanus oſtendit reges ſummum ius habere. nō ſanè, vt quiduis in religione mutent, aut ſtatuant, neque vt eccleſiæ præficiant indignos, & pro arbitratu ſuo ius dicant, neq; vt ſacerdotali officio ſe immiſceant; ſed vt Chriſti veram religionem tueantur, & ſuperſtitiones abrogēt, & viros pios & idoneos & ad docendū & iudicandū promoueri, & indignos deiici procurent. Hanc poteſtatem regib. tribuimus, eamque eis & legib. diuinis, & humanis deberi non dubitamus. hanc enim & reges populi Dei ſub lege, & principes Chriſtiani ſub

[1] *Matth. Paris in Iohanne.*

euan-

euangelio habuerunt. non enim ſummi ſacerdotes regibus, ſed ſacerdotibus reges Iſraelitarum ius dixerunt. leges de rebus ſacris non Aaron, ſed Moſes à Deo accepit. poſtea Salomon officia ſacerdotum & templi miniſtrorum diſtinxit. Dauid claſſes ſacerdotum & Leuitarum ordinauit. cœtus populi reges, non ſacerdotes coëgerunt, iidemque ieiunia publica indixerunt. Quamprimum verò Chriſti fidem reges amplecti cœperunt, in illis reipubl. & eccleſię regendæ ſumma erat poteſtas. ipſi enim epiſcopis & eccleſiæ miniſtris leges[1] dederunt, & nullas ab eis acceperunt. imo in eis erat conciliorum actis robur, & authoritatem dare. Propterea meritò agnoſcimus in rebus externis eccleſiæ, regum ſummam eſſe poteſtatem, quod & patres antiquiſſimi, & ipſi epiſcopi Rom. agnouerunt. *Colimus imperatorem*, inquit Tertullianus ad Scapulam, *vt hominem à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem.* [2] Optatus dicit, *nullum eſſe ſupra imperatorem, præter ſolũ Deum, qui fecit imperatorẽ.* [3] Chryſoſt. de imperatore verba faciẽs. dicit *ipſum ſuper terrã parẽ non habere.* [4] Gregorius imperatoris poteſtatem à Deo eſſe, & ei non milites, ſed & ſacerdotes ſubditos eſſe agnoſcit. Imperatorem idem Dominum ſalutat. in cauſa Ceciliani Melchiades agnouit ſummam in Conſtantino iudicandi poteſtatem. neque antiquitus legitimi cenſebantur epiſcopi Roman. niſi qui im-

1 *Cod. de epiſc. & Cler. & epiſcop. audient.*

2 *Contr. Parmen. lib.* 3.

3 *Homil.* 2. *ad popul. Antioch.*

4 *Lib.* 3. *epiſt. cap.* 100. & 103.

peratorum obtinuêre ſuffragium & conſenſum. De ordinationibus epiſcoporum imperatores leges [1] tulêre. omnes etiam aliæ res eccleſiaſticæ, quoad externum regimen, ab illorum legibus pendebant. atque leges has principum de rebus eccleſiaſticis ſummè probat [2] Auguſtinus. Sed quid opus eſt argumentis, cum veritate victi aduerſarii fateantur, [3] *principes in primitiua eccleſia, & de rebus, & perſonis eccleſiaſticis leges preſcripſiſſe?*

[1] *Nouel.* 123.

[2] *Libr.* 2. *contr. epiſt. Gaudent. cap.* 17.

[3] *Alciat. in rubr. Cod. de ſacroſanct. eccleſ.*

Negamus etiam Papiſtas propter religionem pontificiam in diſcrimen capitis venire, atque hoc etſi multi mirentur, cum in nos ipſi tã crudeles exiſtant, & ſub ſpecie religionis res nouas quærant; tamen veriſſimum eſt. hoc enim & acta publica docent, & rei euidentia teſtatur, & Papiſtę qui domi placidè ętatem exigunt & in ſummis delitiis viuunt, & opibus & honoribus abundant, probè norunt, & teſtari poſſunt. declarant etiam hoc verum eſſe proditorum ſupplicia. non enim ignibus combuſti erant vt hęretici, ſed in patibula acti & in partes diſſecti, vt patriæ proditores. Atq; non temerè hoc crimen illis obiectum fuiſſe, oſtendit transfugę illius Alani [4] ſcriptum virulẽtum, quo ille & execrandorum illorum fraterculorum Pii Quinti, & Sixti Quinti Bullas contra reginam, & omnes ei adhærentes Anglos publicauit, & omnes Papiſtas ad arma ſumenda cõtra patriam incitauit. Idem etiam hortatur

[4] *A declaration of Pope Pius his Bull.*

tatus eſt omnes papiſtas,vt ſe cum Hiſpanis aduerſus patriam coniungerent. Prætereа certum eſt, pontificem & omnes eius miniſtros peſtem huic regnoparare.quis ergo ferat iſtos qui ipſius mandata ad Anglos perferunt? per ſeditioſos iſtos ſacrificos Hibernia magna ex parte obedientiæ iugum excuſſit; & hinc illi exemplum capiunt, qui in Angliam à pontifice Rom. & eius miniſtris ſubmiſſi ſunt. Videte ergo per Ieſum Chriſtum,quibus patria chara eſt,vt maturè peſtes iſtas caueatis. niſi occurritis legibus & conſilio, breui illi manu erunt ſuperiores.non agnoſcunt aliquod reginæ beneficiũ,quod damnati a morte liberantur,quod ſuſpecti læſæ Maieſtatis, non poſtulantur in iudicio. imò hanc clementiam iſti homines ingrati crudelitatem vocant. nonne ergo præſtat iure experiri,cum beneficia apud hos ingratos tam malè collocata videantur?

Atque hæc ad mendacia, & ſycophantias dicta ſunto.ſupereſt vt ſolœciſmos & barbariſmos attingamus. *praproperus es*, inquiunt iſti: quod miror, quid ſit. Item dicunt ſe *non poſſe concipere*: quaſi ex Hermaphroditorum genere eſſent, aut ſaltem Cinædorum. Dicunt præterea *aures ſuas ad auditum calêre*.multo autem magis calêrent, ſi virgatores validi illis corium conciderent propter iſtas nugas.ſed quid ego lutum hoc tracto,cum totus huius libri contextus tam lutoſus ſit?

Poſtremò, animaduertite (quæſo) iſtorum hominum ſublime ingenium. Turcam introducunt de Chriſtianæ religionis principiis ſubtiliter diſputantem. & Samuelem, cui noſtras partes tribuunt, obliti perſonæ quam ei impoſuerant, pro papiſtis acerrimè diſputaſſe fingunt. Quid ergo nos cum inſanis iſtis hominibus litigemus?

Cap. IX.

De ſcripturarum canonicarum authoritate, aduerſus lib. 1. cap. 6.

SVperiore capite patribus abblandientes aduerſarii, eos è caſtris eccleſiæ Chriſti ad pontificis ſui cauſam defendendam traducere conati ſunt. hoc autem loco ſcripturarum in ſe cauſam ſuſcipere videntur, vt ipſas à partibus noſtris ad ſe alliciant, & traducant. Quare, vt antea patres in ſeruitutẽ à Turcis Turciſq; ſimilib. papiſtis, abductos manu in libertatem aſſeruimus; ſic nunc ſcripturas in quas illi manus rapaces & violentas iniecerunt, illis eripere, & ab ipſorum iniuria vindicare inſtituimus. ſed neque multis opus eſt verbis ad hanc rem quam paramus. quicquid enim hoc in loco ſimulant, papiſtæ à ſcripturis refugiunt. hoc enim habent cum [1] hæreticis commune, *vt de ſcripturis quæſtiones ſuas ſiſtere non poſſint.* Plebem à ſcripturis arcent, neque ſine venia ipſas cõuerſas in linguas vernaculas legi [2] permittunt. prouocant à ſcripturis & ſenſu literali ad ſe

[1] *Tertull. de reſurrect. carnis.*

[2] *In indice lib. prohibit. reg. 4.*

ad ſententiam Synagogæ Rom. ad ſcripta patrum, ad traditionem & conſuetudinem eccleſiæ Rom. ad decretales pontificum Rō. epiſtolas. neque ſcripturas in linguis vernaculis publicè legi [3] volunt.

Deinde ſcripturas negant à Deo, vel Prophetis, & Apoſtolis, vel à ſeipſis authoritatem habere; ſed à pontifice Rom. & eius ſectæ doctoribus. illos enim [4] efficere, *vt ſcriptura authentica ſint quoad nos.* iidem etiam ex ſe incertas eſſe aſſerunt, & dubias, niſi eccleſiæ Rom. hoc eſt, pontificis Rom. acceſſerit authoritas.

3 Synod. Trid. & index librorū prohib.

4 Stapleton. de author. eccleſ.

Præterea ſcripturis detrahunt, & malè loquuntur. eas enim negant eſſe perfectum, & certum canonem fidei. contra aſſerunt eſſe [5] *materiam litis, literam mortuam, atramētum nigrum.* hoc in loco aſſerunt in Turcæ perſona, *quædam in ſcripturis noui Teſtamenti eſſe apocrypha, & profana: & epiſtolam ad Romanos perabſurdè ſcriptam eſſe Græcè*: & nō negare ſe, *quin Apoſtoli in ſcribendo errare potuerint:* impiè ſanè & Turcicè.

5 In colloqu. Wormat. anno Dom. 1557.

Poſtremo, vt ſcripturis fidem abrogent, ſcriptis apocryphis non minus, quam canonicis authoritatem tribuunt. at Hieronymus non dubitat, quin *omnis ſcripturæ vacillet authoritas, ſi aliquid falſum in aliqua parte reperiatur.* omnem ſanè illi certitudinem ſcripturæ ex hominum ſententia ſuſpendunt. ſi ergo vel mediocri prudentia prçditi fuiſſent aduerſarii, nullam ex Scripturis nos calumniandi anſam arripuiſſent.

Nos enim fatemur Scripturas ſacroſanctas eſſe, eaſque ab omnibus apocryphis ſcriptis ex patrum & eccleſiæ ſententia, & multo magis rerum ipſarum maieſtate & euidentia ſecernimus. Eas præterea fatemur eſſe exactiſſimam & perfectiſſimam fidei regulam, & ſummam eis in religionis controuerſiis diiudicãdis tribuimus authoritatem & fidem. nefas denique eſſe putamus de veritate & certitudine earum dubitare. quid habent ergo aduerſarii, quod propter noſtram de ſcripturis ſententiam, aduerſus nos obganniant?

[1] *In præfat. in Biblia.* Proferunt quidem primò [1] Caſtalionis teſtimonium, qui fatetur *ſuum ſeculum in profundis ignorantiæ tenebris eſſe demerſum, & clariſſimam veritatis diem non adhuc nobis diluxiſſe.* ſed nimis illi inepti ſunt, qui non intelligũt, nullam eſſe Caſtalionis apud nos authoritatem. prętereа nihil eius verba impediunt, quin certiſſima ſit ſcripturarum fides. nam vt non omnes veritatis ſolem, quẽ papiſtę quantum poſſunt, obſcurant, & ſuarum opinionum & ſubtilitatum nebulis obducunt, aſpiciant: immota tamẽ ſtat ſcripturarum fides, & authoritas.

[2] *P. 52. c. 6. lib. 1.* [2] Aſſerunt deinde *euangelium in Alchorano contineri, & hoc nihil eſſe verius.* quod oſtẽdit ipſos eſſe homines impios & blaſphemos, & ſub Turcica larua latẽtes, Chriſtum, eiuſque euangelium oppugnare.

Epiſtolam Iacobi Luthero iudice *ſtrami-*

neam

neam videri, & ex Muſculo, non mereri authoritatem contendunt. ſed hactenus illi oſtendere non potuerunt, vbi Lutherus ſimpliciter ſtramineam dixerit. quicquid autẽ malè ſenſit, hoc poſtea ipſe correxit. ad nos autem qui rectè de hac epiſtola ſentimus, quicquid ille dixerit, nihil attinet. nos enim Chriſti, & nõ Lutheri diſcipuli ſumus. Muſculum autem iniuriâ accuſant. non enim negauit illſe quin Iacobus ſummus Apoſtolus fuerit.

Querunt etiam *vbinam in verbo ſcripto legerimus Paulum & reliquos Apoſtolos in ſcribendo nunquam erraſſe.* quaſi verò ſcriptum non ſit [3] ſcripturas *eſſe diuinitus inſpiratas*, & Chriſtus eis Spiritum ſanctum apud Ioannem non eſſet pollicitus, qui ipſos [4] *omnem veritatem docturus eſſet.* At vbi pontificis in fallibile eſſet in definiendo iudicium, quod iſti contendunt; nec ſcriptum eſt, nec apud antiquos patres auditum, nec à populo Chriſtiano creditum. iſti tamen homines miſeri, qui Scripturas in dubium vocant, ex ipſius incertiſſima ſententia pendêre coguntur.

[3] *2.Tim.* 3.

[4] *Iohan.* 14.

Deſcribunt poſteà verba quædam *Lutheri, Caluini, Molinæi, Fricii* & aliorum, quibus oſtendere conantur, quoſdam noſtrûm exiſtimaſſe *Apoſtolos errare potuiſſe.* ſed iniquè faciunt, ſi omnia doctorum virorum dicta nobis præſtanda putent: cum nec ipſi papiſtæ ſuum Eckium, Hoſium, Syluestrum

Prieratem, Hardingum, atque, vt ad recentiores veniamus, ſuum Stapletonum, Gregorium de Valentia, Bellarminum, & reliquos ſuos doctores vbique rectè & catholicè loquutos aſſerant; imò nec quenquam illi contra pontificis Rom. voluntatem & placita loquentem vel pili vnius æſtimant. Reſpondemus præterea Lutherum, vbi aſſerit *Petrum docuiſſe extra verbum Dei*, intellexiſſe ipſius ſententiam de obſeruatione legalium cæremoniarum: quo nomine Paulus ei in faciem reſtitit: aut fortaſsè verba ipſius ad Chriſtum, quando ſuaſit ne Hieroſolymam proficiſceretur. Simpliciter nunquam dixit eum extra verbum Dei docuiſſe. reliqui autem non dicunt *Apoſtolos in ſcribendo aut docēdo errare potuiſſe* (abſit vt quiſquam ita ſimpliciter loquatur) ſed debuiſſe eos doctrinę, & mandatis Chriſti inſiſtere, ne errarent: quod ex Chriſti verbis, Matth. 28. colligitur. At anno 1525.[1] Berlini in Germania, *Monachus quidam pro concione blaſphemans dixit Paulum mentitum eſſe.* & vulgò papiſtę apoſtolos omnes prę ſuo pōtifice contemnunt.

[1] *Bucholcer. chronolog.*

Significant pręterea aduerſarii nos *quaſdam Scripturas canonicas ex canone delere, omnéſque in dubium vocare: nam ſine teſtimonio eccleſiæ,* (quod à nobis repudiari dicunt) *non conſtare vetus teſtamentum à prophetis, nouum ab apoſtolis fuiſſe conſcriptum.* atque hoc paſſim alii papiſtę noſtris hominibus obic-

obiecerunt. ſed hanc eorum calumniam iam ſæpè redarguimus. nam noui teſtamenti omnes libros, qui in corpore bibliorum multos iam annos reperiuntur, fatemur eſſe in canone. Nec [2] Wirtenbergenſes negant, eos enim tantum excludunt, de quibus non aliquis, ſed vniuerſa eccleſia dubitauit. *Germani* aliquot theologi diſtinguunt inter eos, de quibus aliquando dubitatum eſt, & eos qui communi eccleſiæ ſuffragio recepti ſunt: quod & *Sixtus* [3] *Senenſis*, & papiſtæ faciunt. Veteris teſtamenti libros omnes recipimus, quos eccleſia Dei, & patres doctiſſimi & antiquiſſimi canonicos eſſe teſtati sũt. quod ergo dicunt nos repudiare teſtimonium eccleſiæ, apertiſſimè calumniæ conuincuntur. Non tamẽ tanti facimus teſtimoniũ eccleſiæ, quin Dei teſtimonium ei prępona-mus. Ex iſtis teſtimoniis, & aliis indiciis certò credimus libros ſacræ Scripturę, & à Spiritu ſancto fluxiſſe, & eorũ eſſe, quorũ nomina ferunt, & proinde certiſſimę eſſe fidei.

[2] *in confeſ. Wirt. de ſacra ſcript.*

[3] *In biblioth. ſancta.*

Matthęi euangelium *innumeris in locis corruptum eſſe*, nemo noſtrum dicit, aut exiſtimat. quo maiore odio digni ſunt calumniatores iſti, qui hoc Caluino & Bezę aſcribunt. Falſum eſt etiam à doctoribus noſtris hiſtoriam adulteræ apud Ioannem, tanquam aſſumentum aliunde intextum repudiari. Beza ſanè hoc de noſtris hominibus nuſquam ſcripſit. *Feuardentius* ad mentiendum conductus, nihil de pontificia le-

cta meruiſſet, niſi fortiter aduerſus Caluinum oblatraſſet. Cur Caluinus caput ſextum Ioannis in dubium vocaret, nihil cauſæ erat, cum tam multa ibi contineantur, quæ papiſticam corporis Chriſti comeſtionem refellant.

Aſſerunt etiam ſe *tanquam fluctibus marinis, huc & illuc iactatos fuiſſe, & nihil habuiſſe certi, quod crederent.* quod ego de apoſtatis, & ſecta pontificia facilè concedo. illa enim ad pontificis nutum & Synagogæ Rom. mutabilem praxim attendens, non mirum eſt, ſi in fide fluctuet. at ſi hoc de noſtris hominib. intelligant, iniuriam nobis faciunt, qui ſupra prophetas, & apoſtolos & Ieſu Chriſti euangelium fundati, non mouebimur in æternum.

Articulum ſymboli de deſcenſione Chriſti ad inferos, à Caluino, & Beza, & *Oecolampadio*; articulum de aſcenſione, à *Brentio* ſublatum dicunt. ſed nihil fingi poteſt iſtis impudentius. nemo enim hæc vnquam eis antea obiecit. At inquiũt iſti, *nouo modo hos articulos interpretati ſunt.* eſto. nihil tamen hoc ad nos. præterea non magis nouè vbiquitarii, quam papiſtæ, qui corpus Chriſti in omnibus altaribus & pluribus locis ſimul verè eſſe credunt. quod non niſi per nouam & coactam huius articuli de aſcenſione Chriſti interpretationem fieri poteſt.

Poſtea ad toties repoſitam crambem reuer-

uertentes aiunt, nos *veteres doctores & conciliare ſpuere.* quaſi verò ipſi ex doctorum & conciliorum teſtimonio ſuas hęreſes ſtabilire, & noſtri doctores ex eis veram Chriſti fidem ſtatuere non poſſent: aut non ſatis ad iſtam calumniam iam antea reſponſum eſſet.

Henricum octauum, *ſe in Papa locum ſurrogaſſe*, mendacium eſt. nihil enim ille intellexit cum ſe caput eccleſiæ dixit, niſi ſe primum eſſe in regno ſuo, & poſt Deum ſecundum: quod antea de imperatore dixit [1] Tertullianus. Præterea ius regium à Papa ſublatum, & vſurpatum, regibus Angliæ reſtituit. quod cum regibus omnibus debeatur, non mirum eſt, ſi cum iure regio, ad pueros & fœminas iſte principatus deferatur. Nunquam tamen defertur, vt iſti ſcribunt, ad pueros *vagantes in cunis*: quod planè portentoſum eſſet. nam vt vagire ſoleant, monſtrum tamen eſſet, ſi extra cunas vagarentur.

[1] *Ad Scapulam.*

Ex eo, *quod ſummam poteſtatem principibus noſtris & in ciuilibus, & eccleſiaſticis negotiis tribuimus*, colligunt iſti *religionem noſtram ex principum nutu pendêre.* ſed toto cœlo errant, ſi hoc nos cuiquam tribuere putent, vt vel Chriſtianam religionem mutet, vel falſam religionem ſtatuat. nec hoc Mariæ vel alteri cuicunque à nobis conceſſum erat, vt Miſſæ idolum reſtitueret: hæc enim poteſtas ſumma non excedit limites

vel fidei, vel legis diuinæ. Reges enim ſummi Deo ſubditi ſunt. at pontificia ſecta ita ex nutu pendet pontificis Rom. vt quamcunque ille religionem iubet, hanc omnes eius ſectæ homines amplectantur, & mordicus teneant.

Atque hęc falsò, impudenter, ſtultè. illud verò impiè: euangelium enim in Alcorano contineri dicunt. *Mirari non debes*, inquit Reginaldus, *quod euangelium in Alcorano contineri dicam, cum nihil ſit verius.* quod quamuis in perſona Turcæ dicatur, tamen quoniam nihil tale dicunt Turcæ, ſed potius legem Mahometi nouam eſſe legem contendant; ab ingenio Reginaldi, & Giffordi profectum eſſe, neceſſe eſt.

Cap. X.

De Theologia naturali, & Turcica, aduerſus lib. 1. *c.* 7.

ETſi multa nobis aduerſus Giffordum & Reginaldum, eorumque ineptiſſimas confabulationes ſuppeterent argumenta; nihil tamen à nobis dici poteſt grauius, quam quod ipſi in hoc capite ſponte profitentur, ſe abiectis euangeliis, & epiſtolis Apoſtolicis, ex principiis religionis Turcicæ, & Theologiæ naturalis diſputaturos. Quid enim illis religionis, aut mentis ſupereſſe putamus, qui abiecto aut neglecto luci-

do

do Dei verbo, in naturæ cæcæ tenebris errantes, Deum quęrunt? nonne intelligunt *animalem hominem non* [1] *percipere ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, & non poſſe ea intelligere?* eoſque qui naturali ſcientia nituntur, *in iis* [2] *corrumpi, quæ naturaliter norũt*? quid, quod [1] ſchola docet *Præter cognitionem naturalem, & ſcientias ratione humana inueſtigatas, opus eſſe doctrina reuelata*? neque enim ſine errore cognoſci poſſe, quæ naturaliter cognoſcuntur. Pręterea cum Theologia [2] ſcientia ſit, & ſumma ſapientia; & ſcientia & ſapientia naturaliter haberi non poſſit; quomodo dici poteſt aliqua Theologia naturalis? num omnes, qui ex naturæ principiis intelligunt Deum eſſe, & eum vnum eſſe, & remuneratorem, ſtatim Theologi erunt? ita iſti putant. imò miſſæ ſuæ ſacrificium, & vota ſua monaſtica, ex Turcica & naturali Theologia profitentur ſe probaturos. & idcircò in concluſione huius capitis aſſerunt, *Plurima apud Turcas in Alcorano multò diuiniora eſſe, quam in euangelio.* quis ergo non miretur pręclarum illud ſacrificium miſſę & ſtupenda illa vota, quæ Giffordus ſe nunc deploratis reliquis probationibus, ex ipſo Alcorano probaturũ dicit? & cur non papiſtæ nunc relicto euangelio, ad Alcoranum confugiant, quem iſti multa diuinitus ſcripta continere affirmant? ¶ Nos ſanè hęc diſputatio in fide euangelii validè

[1] 1. Cor. 2.
[2] Iudæ epiſt.
[1] Thomas 1. p. q. 1. art. 1.
[2] Ibid. q. 1. art. 2.

confirmat, adeò vt eam non tantum religioni Turcicæ, ſed etiam papiſticæ, quæ Turcicæ tam affinis eſt, præponamus. quis enim non eam religionem ſuſpectam habeat, quá *Turcæ* laudant, Ethnici ſequuntur, & omnes ſectæ in multis, velut ex naturalibus principiis conflatam probant? & quis non ſummè gaudeat religionem noſtram ab iſtis impietatibus tam longè eſſe ſeiunctam?

Neque ſanè moramur quæ ſub perſona Turcica ex veteris comœdiæ licentia homines impuriſſimi aduerſus homines Chriſtianos deblaterant. Dicunt *diuerſarum eſſe ſectarum apud nos opiniones contrarias, & Zuinglianum à Puritano, & vtrumque à Lutherano & Anabaptiſta, & illos a Trinitario, vel Zwenckfeldiano hoſtiliter lacerari.*

Sed hæc ſomnia ſunt papiſtarum delirantium, & nobis peſſima quæque optantium. nos enim & *Puritanis*, & *Anabaptiſtis*, & *Swenckfeldianis*, & Arrianis, & aliis hæreticis de Trinitate malè ſentiētibus, anathema dicimus: eoſque pari loco & gradu cum papiſtis cenſemus. quos autem iſti appellant *Zuinglianos* & *Lutheranos*, nos orthodoxos eſſe credimus, licèt neminem iſto nomine appellemus. In fide autem is nobis eſt inter nos conſenſus, vt liuore, & inuidiâ iſtis cor miſerum contabeſcat.

Apud papiſtas autem omnia contentionibus ardent. Franciſcanos incurſant Dominicani,

nicani, & vtroſq; Iebuſitæ. ordines mēdicā-tium fratrum Benedictinos monachos iam-pridem exagitarunt. Pontifices verò Rom. non tantum contrariis decretis, ſed etiam collatis ſignis ſæpe depugnarunt. iidemque licèt pios vbique perſequantur, tamen Maranos & Iudęos aduerſus Chriſtum blaſphemantes, in media Roma fouent. In ſynagogis etiam ſuis omnia hæreticorum genera, modo aduerſus pontificum Rom. dignitatē non obloquantur, ſuſtinent.

Religionem deinde noſtram ex principum arbitrio & nutu pendere iterum obiiciunt. ſed hanc calumniam antea diluimus, & crimen in aduerſarios reiecimus.

De epiſcopis noſtris, & liturgia eccleſiæ Anglicanæ, multa malè loquuntur, teſtimonioque vtuntur quorundam ſchiſmaticorum, & turbatorum eccleſiæ noſtræ. Sed nos epiſcopos noſtros verè oſtendimus eſſe epiſcopos, vtpote qui opus faciunt epiſcoporum. At apud pontificios nihil aliud ſunt epiſcopi, quam homines laruati & perſonati, qui nomen habent epiſcoporum, & præterea nihil. *Epiſcopi*, inquit [1] Chemenſis, *omittere ſolent hoſpitalitatem, pauperes Chriſti negligendo, ſemetipſos impinguando, aliaque animalia alendo, & ſic vna beſtia nutrit aliam*. *Picus* [2] *Mirandulanus* aſſerit, *ſacras ædes & templa committi, cum lenonibus & catamitis, tum nefariis lupis*. [3] Budæus *doctrinæ*, virtutiſque præmia, & epiſcopatus, in

[1] *Onus eccleſ. c.20.*

[2] *In orat. ad Leon* 10.

[3] *Annot. prior. in leg. 2 de legib.*

quoſdam conferri dicit, *tam ſtolidos, tam inertes, tantaque nequitia, vt illis anima data ſit pro ſale, vt ſuibus.* In Synodo Tridentina, episcopus Bitontinus dixit, *Sacerdotes omni ſordium colluuie eſſe fœdatos. peſſimus quiſque prouehitur,* vt inquit [4] Petrarcha. Prçclarè etiam ageretur cum pontificibus Rom. ſi eorum qui dicuntur ſanctiſſimi, morum ſanctitate peſſimis è noſtris reſponderent. ipſi enim *Baccho* & *Veneri*, vt plurimum indulgent; reliquo tempore lites ſerunt, vt bonos opprimant, filioſque ſuos ſpurios opibus augeant; homines turpiſſimi, & nequiſſimi, quos miror Romanos, & Italos ferre poſſe.

[4] *Epiſtol. ſine nomine 9.*

Liturgiam Anglicanam allatrarunt multi, erroris conuicerunt nulli. felices ſe dicere poſſent papiſtæ, ſi eorum miſſalia & breuiaria, ita ab omni ſuperſtitione, & idololatria purgata eſſent. ſed hoc aliter ſe habere, oſtendunt preces ibidem idololatricæ, & blaſphemæ, & multiplices ſuperſtitionum notæ. calumnias quorundam ſchiſmaticorum tanti facimus, quanti maledicta papiſtarum. Vtroſque aduerſus nos inſurgentes iam pridem fuſos, & fugatos eſſe videmus.

Aſſerunt prçterea Caluinum docuiſſe, *Deum peccati eſſe authorem*; & in Samuelis perſona fingunt, *doctiſſimos homines apud nos totis voluminibus Dei bonitatem impugnaſſe*

gnaſſe. Hinc illi quaſi in latiſſimum campum excurrentes, multis hæc refutant, & Deum non eſſe authorem peccati probant. ſed non opus erat, quod nos libenter concedimus, operosè demonſtrare. illud potius oſtendendum erat, Caluinum hęc affirmare, & noſtros hoc fateri: quod nunquam facient: ac propterea omnes eos velut calumniatores exſibilabunt.

Negant denique nos *credere vel bonorum operum præmia, vel ſcelerum pœnas.* ſed quid opus eſt verbis, vt iſta diluamus, cũ in Symbolis fidei hęc contineantur, & nuſquam non pręmia bonorum, & pœnas peccatorum vrgeamus? apud iſtos verò pontifices Rom. & pręlati ita viuunt, vt nec cœlos nec inferos credere, aut cogitare videantur. [1] Clemens ſeptimus ex hac vita diſceſſurus, dixit ſe *id breui comperturum, de quo ſemper antea dubitauerat: nempe, an aliqua poſt hanc vitam alia ſupereſſet.* [2] Ioannes vigeſimustertius idcircò à Synodo condemnatus eſt, *quod animæ immortalitatem negaſſet.* In Synodo [3] Lateranenſi decretum editum eſt contra eos, qui *aduerſus animæ immortalitatem diſputarent*: quod fruſtra factum fuiſſet, niſi plurimi tunc temporis eam in dubium reuocaſſent. *In aula pontificis*, inquit [4] Petrarcha, *futuræ vitæ ſpes, inanis quædã fabula; & quæ de inferis narrantur, fabuloſa omnia; & reſurre-*

1 *Speculum pontificum.*

2 *In Synod. Conſtant. appendic.*

3 *In Synodo Laterã. ſub Leon. 10.*

4 *Epiſt. ſine tit. 20.*

ctio carnis, & mundi finis, & Chriſtus ad iudicium venturus, inter nænias habetur. Quod ſi ergo Turcæ hæc credant, tum pontifices Rom. & eorũ aulici Turcis ſunt deteriores.

Atque hæc illi *ex Theologia*, vt aiunt, *naturali*, abiectis euangelii codicibus, ſubtiliter diſputant. interim verò, vt oſtentent mirabilem ſuam lectionem, oſtendunt *Turcas firmam euangelio fidem adhibere*. quod non modò falſiſſimum eſſe omnes norunt, ſed etiam contrarium iis, quæ antea dicta ſunt. Quomodo enim hæc cohærẽt, Turcas, poſthabitis libris biblicis, ex theologia naturali diſputare, quod iſti per totũ hoc caput perſequuntur; & Turcas tamen euangelium plurimi facere?

Vt autem oſtendant Turcas euangelium plurimi facere, hiſtoriam narrant de Turcis quibuſdam, qui euangelium è manibus [5] Theuetii acceptum exoſculati ſunt. Sed primò abſurdè, quod Theuetius alius Turcopapiſta ſibi factum narrat, Samueli tribuunt. Deinde totam hiſtoriam peruersè referunt. nam Theuetius Turcas *baptiſmi memores narrat euangelii codici honorem detuliſſe*: iſti aũt ex religione Turcica hoc factum narrant: quod omninò repugnat religioni Turcicæ. neque.n. vllæ religiones magis pugnant, quam Chriſtiana & Turcica: quas dum iſti coniungere voluiſſe videntur; oſtendunt ſe animo Turcico religionẽ Chriſti oppugnare, & ab impietate Turcica vix duos digitós abeſſe.

[5] *Theuet. Coſmogr. lib. 6. c. 14.*

C A

CAP. II.

De votis & ſacrificiis Turcarum & Papiſtarum communibus; aduerſus lib. 1. cap. 8.

DE votis & ſacrificiis ſuis nihil eſt quod glorientur Papiſtæ. nam ipſorum vota nihil aliud ſunt, quàm ludibria, fruſtrationes & periuria: & ſacrificia non multum differunt à ſacrilegiis. Vouent eorum monachi, moniales, & ſacrifici caſtitatem, cum nullum hominum genus ſit impurius, aut libidinoſius. vouent etiam paupertatem, cum reges palatiorum & ædium ſplendore, Epicureos ciborum lautitiis, ſummos viros diuitiis ſuperent. Spondent denique obœdientiam, cum iidem ſint Deo, & legitimis magiſtratibus rebelles, & omnium incendiorum & bellorum, quibus populus Chriſtianus propè attritus eſt, præcipui authores. Iidem etiam ſacrificia ſe Deo immolare iactant; cum interea loci ex Sacramento idolum facientes, ſacrilegè Deo honoré, populo Chriſtiano ſacramenta à Chriſto inſtituta eripiant.

Ab huiuſmodi ergo votis, & ſacrificiis papiſticis ſi abhorreamus, nemo nos meritò reprehendere poſſit. nam præterquam quod nuſquam vel lege Diuina inſtituta, vel conſuetudine populi Dei confirmata legantur; eadem ſũt ſuperſtitionis, vanitatis, ſtultitiæ, & turpitudinis pleniſſima. *In Clero primitiua eccleſia religiones inſtituta non fue-*

1 3. Brig. 17. *runt*, inquit [1] Brigitta. atque hoc [2] Hieronymus docet. ipſe enim monaſticæ originē à *Paulo Thebæo* & *Antonio* repetit. ſed hoc rerum euidentia planiſſimè docet. nuſquam enim ante eorum ętatem hoc hominum genus in orbe Chriſtiano viſum eſt. In occidētalem eccleſiam ſerò tandem monaſtica, *Benedicto Nurſino* authore, traducta eſt. ſed citò degenerare cœpit. eccleſiam enim mox ruituram ipſi Papiſtę fingunt, niſi Dominicus & Franciſcus, & mendicantium noui ordines humeros ſuppoſuiſſent. ſed neque iſti reliquis erant ſanctiores.

2 In vita Pauli.

In modernis religioſis, ſui amore affectis, ſub ouina cuculla lupum agentibus, inquit epiſcopus [3] Chemenſis, *Dei charitas friget. Mēdicantes* [5] *peruerſi*, inquit Vbertinus, *deſignantur per locuſtas de puteo abyſſi exeuntes, quia ipſi ſunt ſcurriles, leues, volatiles, carnales, rodentes ſacras literas virides, paganicæ philoſophiæ ſequaces, quaſi equi currentes, ſic illi in vanam diſputationem.* Si Turcas dixiſſet, graphicè ille præclaras iſtas ſynagogę columnas depinxiſſet: tales etiam nunc ſunt Iebuſitę. Eos Vincentius dicit, *eſſe peiores cæteris Chriſtianis.* Epiſcopus [4] Chemenſis, *è via ſaluationis in viam perditionis egreſſos teſtatur. Eſt religioſus habitu*, inquit [5] Brigitta, *& profeſſione monachus, ſed moribus apoſtata; dignitate ſacerdos, ſed ſeruus peccati; peregrinus fama, ſed intentione girovagus; Hieroſolymitanus opinione, ſed magis Babylonicus.* [6] Rodericus oſten-

3 Onus eccleſ. c. 22.

4 Vbi ſupra.

5 2. Brig. 7.

6 In ſpecul. human. vitæ, lib. 2. c. 27.

oſtendit monachos ſui temporis fuiſſe *vitioſos, incontinentes, diſſolutos, & inquietos. Clauſtra virginum vltra modum dehoneſtata fuiſſe*, dicit [1] Petrus de Alliaco. [2] Ioannes Picus Mirãdulanus *in lupanaria cõuerſa fuiſſe queritur.* In monaſteriis omnia vitia & turpitudines regnare oſtendit [3] Arioſtus:

—*Myſtæ*, inquit [4] Palingenius, *vafrique cuculli*
Quos caſtos decet eſſe, palam cum pellicibus, vel
Furtim cum pueris, matronis virginibusque
Nocte dieque ſubant.

Sed de monachorum turpitudine iam antea ſatis diximus.

In ſacrificiis ſuis, velut Iudęi, Chriſtum mactant: & velut Anthropophagi & Cyclopes, humanas Chriſti carnes deuorant. iidem tamen hunc ſuum Deum panaceum adorant, & ei quem mox deuoraturi ſunt, genua flectunt: quod nec Turcas credo, ſi Chriſtus cum eis verſaretur in terris, facturos. Poſtremò, in hoc ſuo ſacrificio Chriſti mortem luctuoſiſſimam repręſentari aiunt, & tamen ridiculis ſuis cantiunculis, & hiſtrionicis geſticulationibus omnibus riſum commouent.

Quare niſi hæc ſua vota & ſacrificia lege diuina niti oſtendant, nihil nos vel mores Ethnicorum, vel Turcarum mouebunt. imo propterea nobis Miſſa & vota monaſtica ſuſpecta ſunt, quod ab hominum

1 *Libr. de reform. eccleſ.*
2 *In orat. ad Leon.* 10.
3 *Canto* 14.
4 *In Virgine.*

inuentione profecta videantur. *Fruſtra*, inquit [1] Chriſtus, *me colunt, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Et [2] Paulus anathema dicit eis, *qui aliud euangelium prædicarent, præterquamquod ille prædicauerat*. at ethnicorum & papiſtarum vota, & ſacrificia, humana ſunt commenta, & inuenta præter legem Dei. Miſſam *Michael Ritius ab ethnicorum ſuperſtitione fluxiſſe* [3] putat. *antiquitus*, inquit ille, *in illa varia Deorum ſuperſtitione peracta re diuina, conuerſus ad plebem ſacerdos aiebat*, λαοῖς ἄφεσις, *id eſt, populis miſſio, vt eſt apud Apuleium*. Patres etiam *Miſſæ* à variis authoribus inuentas, & paulatim additas fuiſſe narrant authores apud aduerſarios fide digni, [4] Durádus, [5] Biel, [6] Polydorus Virgilius. Votorum leges primus præſcripſiſſe videtur Benedictus Nurſinus. primum dico, quia ante Benedictum liberior erat monachatus, & votorum vincula laxiora. nouos monachorum ordines deinde à variis inſtitutos conſtat: atq; hæc more gentilium, & Turcarum. Apud Turcas enim & Gentiles, vota & ſacrificia in vſu fuiſſe comperimus: quod & aduerſarii noſtri prolixè docent.

[1] *Matth.* 15.
[2] *Galat.* 1.
[3] *In regia Francorum hiſt. libr.* 2.
[4] *Rational. diuinor.*
[5] *In can. Miſſ.*
[6] *De inuent. rerum.*

Oſtendunt etiam *Deum non tantum externis cæremoniis, ſed interno etiam affectu colendum eſſe*. quaſi verò quiſquam de hac re dubitet. At quod maximè probandum erat, nempe hunc ſiue Turcicum, ſiue Papiſticum ſacrificandi & vouendi morem à lege diui-

ge diuina, & priſcæ eccleſiæ diſciplina profectum eſſe, non probant. teſtes quidem citantur Caluinus & Muſculus. ſed mirum eſſet, ſi ipſi ſacrificium miſſaticum aliquo firmamento aut teſtimonio ſuffulcirent, quod totis viribus oppugnant. [1] Turcæ à Mahometo ſcarabeum ſacrificatum aſſerunt: Papiſtæ fruſtum panis ſacrificant: vtrumque ridiculè. Nuſquam enim tale ſacrificium vel inſtitutum, vel ab eccleſia receptum legitur. Similiter Turcæ, vt & Papiſtæ, ſuos habent monachorum ordines, & nouas votorum leges. ſed populus Dei antiquitus nec talia deſidiabula monachorum, nec tales votorum leges habuit. nec ad rem facit, quod votis ſe antiquitus ad continentiam aſtringebant. nam votum tunc temporis nihil erat, niſi certum animi propoſitũ. at nos de tribus votis monachorum papiſticorum quærimus, triaque vota & leges de votis, quales papiſtę habent, nobis demonſtrari poſtulamus.

[1] *Zigaben. Saracenica.*

Proferunt præterea exempla *Georgianorum, Iacobitarum, Neſtorianorum*, & aliorum hæreticorum, *quos omnes ſacrificiis Deum coluiſſe dicunt*. quos facilè nos aduerſariis cedimus. à Paganis enim, Turcis & hæreticis illos ſua ſacrificia ſumpſiſſe non inuidemus. ſed nos in cauſa fidei, fidelium teſtimonia flagitamus.

At inquiunt, *nunquam tot gentes tanto locorum ſpatio diſiunctæ in hoc ſacrificandi &*

vouendi more conſentirent, niſi ſacrificia & vota eſſent iuris naturalis, & diuini. & inde colligunt, *nos legi naturali repugnare, qui ſacrificium Miſſæ, & vota monaſtica ſuſtulimus.* ſed malè iſta colliguntur. nam etſi à natura corrupta petere non ſoleant homines Chriſtiani diuini cultus formulam; tamen non ita repugnamus naturæ, vt ei bellum in hac re indixiſſe videamur. Habemus enim vnicum & perfectiſſimum Chriſti ſacrificium, quod non niſi ſemel offerendum erat: & ſacrificia laudis & gratiarum actionis quotidiè celebramus. vota etiam Deo facimus & reddimus; ſed de huiuſmodi rebus, quas non dubitamus ei gratas fore. Atque vt vno verbo omnia complectar, nulla nobis deſunt ſacrificia, aut vota, quæ Apoſtolicæ eccleſiæ vſitata eſſent: atque hæc nobis ſufficere exiſtimamus. animalium immolationes, & vota monaſtica ſuperſtitioſa & violenta, quæ Turcis & Ethnicis communia erant, Papiſtis relinquimus. facilè etiam concedimus *Iacobitas*, *Maronitas*, *Neſtorianos*, & huiuſmodi hæreticos cum pontifice Romano, & Papiſtas coniunctos eſſe. quid ni enim hæreticis inter ſe rectè conueniat?

Vos autem inſignem Giffordi & Reginaldi ſtultitiam animaduertite: qui dum ex Gentium & Turcarum exemplis nos refellere conantur, & ſe & ſuos pontifices cum Turcis, & Paganis, & hæreticis coniungunt.

gunt. quorum licèt me nunc aduerſarium profiteor, eorum tamen hac in re ſentẽtiam, certum eſt non refellere.

CAP. XII.

Non ſeruaſſe vel omnes Gentes, vel Chriſtianos, Papiſticum in ſacrificando morem, & propterea non meruiſſe nos maledicta, quæ hoc nomine in nos Giff. & Regin. effundunt, aduerſus libr. 1. cap. 9.

CHriſtianorum genera decem ex Septemcaſtrenſi recenſent Gifford. & Reginaldus: *Latinos nimirum & Græcos, Abiſſinos & Iacobitas, Neſtorianos, Maronitas, Armenios, Georgianos, Surianos & Mozarabes*; & tamen Chriſtianos Catholicos, qui in veſtigiis Chriſti & Apoſtolorum doctrina verè inſiſtunt, omiſerunt. Qua in re primò ſe cum hæreticis coniungunt, deinde hæreticos pro Chriſtianis habent, & poſtremò ſe alienos eſſe à vera Chriſti eccleſia oſtendunt. Præterea, hinc colligimus pontificis Romani regnum, licèt ſe vniuerſalem epiſcopum appellet, in anguſtum eſſe redactum. neque enim Græcis, aut aliis Chriſtianorum generibus imperat, aut venales extrudit ad eos ſuas indulgentias. [1] Edidêre quidem nuper confeſſionem, neſcio cuius, famelici hominis Abdiſu, & aliorum etiam Chriſtianorum iactare ſolent conſenſum: ſed nec nummum

[1] *Onuphrius in vita Pii Quarti.*

à populis iſtis procudere poſſunt pontifices, nec leges illi à pontificibus Roman. accipiunt.

Quod ergo ſe aduerſarii hæreticis aggregant, facilè patior. quod omnes Chriſtianos ſacrificaſſe aſſerunt more Roman. falſum eſt. nam de Apoſtolis aliter loquuntur ſacræ literæ. Apoſtolorum ſucceſſores etiam nullum talem morem habuerunt. Poſtremò, nec iſtos, quos recenſet, hæreticos, verum eſt more papiſtico ſacrificaſſe. primò incertum eſt, an omnino ſacrificarint. atque vt ſacrificarint, non tamen more Roman. ſacrificaſſe neceſſe eſt. neque enim Græci morem Roman. ſequuntur, nec ſolent Georgiani tantum apparatum, & tot ineptias adhibere. ipſi aduerſarii fatentur Mozarabes, ſeu Hiſpanos Arabum lingua vtentes, miſſale & canonem habere diuerſum à Romano. Æthiopes longè alios habent ſacrorum ritus. aduerſarii ergo, cum ſe nihil probare poſſe cernant, ad mendaciorum & calumniarum ſuarum arcem refugiunt.

Primoque nihil referre dicunt ad ſummam religionis, *ſi in controuerſiis de ſacrificio Christi vnico, & votis, & aliis rebus omnibus cedamus, modò arcem religionis teneamus:* & hæc à nobis dici fingunt. ſed neque iſto modo loquimur, neque ita ſentimus. imo nihil aliud magis contendimus, quàm vt doctrinam Apoſtoli de vnico Chriſti ſa-

crificio

crificio integram teneamus. de cæteris etiam religionis controuerſiis, magna vi aduerſus hoſtes religionis pugnamus, nec eũ verum eſſe Chriſtianum credimus, qui aliquod fidei dogma prodit, vt nec ciuem putamus, qui locum quem defendere poteſt & tenetur, hoſti cedit. hoc ipſi potius credunt, & in eo [1] Alphonſum de Caſtro, qui omnes hæreticos baptizatos, & [2] Bellarm. qui omnes hæreticos occultos membra eccleſiæ facit, ſequuntur. noſtra longè alia ſententia eſt.

[1] *Libr. 2. de hæreſ. c. 24.*
[2] *De eccleſ. cap. 10.*

Secundò dubitant, *an religio illa, quàm eccleſia noſtra profitetur, nomen mereatur religionis.* ſed omnes hoc habent hæretici, vt ſuas de fide opiniones reliquorum omnium ſententiis anteponant. [3] Ethnici etiam Paganiſmum ſuum lege Dei, & religione Chriſtiana prꝑſtantiorem eſſe credũt. nos quid hoſtes religionis loquantur, non magni facimus.

[3] *Cic. orat. pro Flacco.*

Illi etiam eo nomine nos reprehendunt, quod prædeſtinationem credimus; quod hominem non renatum liberum arbitrium ad eligendum, & faciendum bonum habere negamus; quod fidei vim iuſtificandi tribuimus. miror, quod non ideo vituperẽt, quod in Chriſtum credimus. pariter ſanè & noſtrã de his articulis ſententiam, & Chriſti religionem vituperare poſſunt.

Iidemque præterea religionem noſtram ſacrificio miſſæ deſtitutam, mancam, & mu-

tilam eſſe autumant. imò hoc nomine, quaſi capta omni hoſtium vrbe præter arcem, triumphos agunt. ſed nos antea oſtendimus ſacrificium nobis ſummum non deeſſe. illud verò execrabile Miſſæ ſacrificium, quod idololatræ Papiſtæ colunt, non pluris faciendum eſt, quàm canis ſacrificium, & turpe idolum ex omni Chriſtianorum cultu exterminandum.

Poſtremò, diſſipatas ſuas aſſertiones iterum repetunt, & ex eis argumenta, tanquam ex naufragii tabulis nauem ędificare moliuntur. Aſſerunt nos docere *eccleſiam Catholicam ante annos mille ruiſſe, & propterea idem eſſe fundamentum euangelii & Alchorani.* ſed neque illud quiſquam noſtrûm docuit, neque hoc ex eo ſequitur. *Mahometus* enim ſtatim poſt Apoſtolos eccleſiam funditus interiiſſe exiſtimauit, & propterea nouam legem propoſuit. nos eccleſiam Chriſti à principio mundi duraſſe credimus, & licèt à Gregorii primi temporibus, Romæ præſertim, variis ſuperſtitionibus & hæreſibus fœdari cœpiſſet, interiiſſe tamen negamus. imo ſatis eſſe dicimus, ſi ad Apoſtolicæ, & primi Chriſti eccleſię mores reuertamur.

Præterea, non pudet eos eo nomine nos accuſare, *quaſi totam eccleſiam primitiuam, patres, doctores, & concilia repudiaremus: imo quaſi multas partes Teſtamenti noui certa eſſe Spiritus ſancti oracula negaremus.* quod

nos

nos miraremur ab iſtis dici, niſi titulus libri nos admoneret eos capitali odio aduerſus bonos efferri. Reſpondemus ergo ipſos immeritò hæc nobis obiicere. nam idcirco nos Papiſtas accuſamus, quod relictis ſacris literis, ad traditiones; antiquata priſca eccleſiæ diſciplina, ad pontificum Romanorum conſtitutiones adhæſerint. idcirco reprehendimus Synagogam Romanam, quod patrum eccleſiæ relictis veſtigiis, nouas canoniſtarum & ſcholaſticorum ſequatur inuentiones. nos autem nouum teſtamentum, omneſque eius partes amplectimur, verboque Dei primam deferimus authoritatem. Poſt ſcripturas, legitimorum conciliorum, & ſanctorum patrum plurimum veneramur, & eorum recipimus teſtimonium.

Atque hæc leuiora videri poſſunt. poſtea enim non verentur affirmare, *religionis noſtræ perfectum & abſolutum ſtatum eſſe Alchoranum.* Qua in re oſtendunt, ſe perfectiſſimos & abſolutiſſimos eſſe ſcurras, & nihil aliud propoſuiſſe pręter contumelias & maledicta, quæ vbique in nos oggerunt. quod quidem ſi callidè & aſtutè facerent, minus eſſent reprehendendi: nunc autem inſulsè nobis Turciſmum obiiciunt, vbi de ſacrificiis, & votis, & ſectis loquuntur, quæ omnia cum Turcis habent communia; nos non habemus. habent enim & ſacrificia, & vota monaſtica, & monachorum ordi-

nes & Turcæ, & Papiſtæ; quæ nos non habemus. quare ſi in rebus tantillis conſiſtat abſolutus ſtatus religionis Turcicæ; tum Giffordus & Reginaldus ſe Turcas eſſe abſolutos, & omnibus numeris perfectos fateantur, neceſſe eſt. interim verò, ſcurras eſſe illos ridiculos & ineptos omnes agnoſcunt.

Nobis autem adeo nihil eſt cum Turcica impietate commercii, vt Papiſtas idcirco maiori odio dignos cenſeamus, quod communiter illi & Turcę religionem oppugnẽt Chriſtianam, & in plęriſque capitibus conſentiant. ad Turcas ętiam quotidiè transfugiunt Itali & Hiſpani. quid quod in media Roma [1] Turcæ alacres volitent, & Hiſpani ſint multi Marani? de quibus rectè ille apud Matthæum Paris; *Nouit inſuper dominus rex*, [2] inquit ille, *Hiſpanorum mores, & religionẽ, quoniam ſunt hominum peripſemata, vultu deformes, cultu deſpicabiles, moribus deteſtabiles*. ſi Maranos & Mahometanos, & ſuperſtitioſos dixiſſet, nihil excogitari potuiſſet elegantius.

[1] *Onuphr. in Alexandr.* 6.

[2] *In Henr.* 3. *p.* 862.

Cap. XIII.

Eccleſiam Catholicam perpetuò duraturam eſſe; nihilq́ eam neceſſariò credendum docere, quod non in ſacris literis contineatur, aduerſus lib. 1. *cap.* 10.

SVperioris diſputationis, ſiue potius confabulationis ſumma capita hoc loco colligunt

ligunt aduerſarii. ſed vt nec ex arena fit ſolidum ædificium; ſic neque ex diſputatione diſſolutiore quàm arena, aliqua certa infertur cõcluſio. huius ergo capitis nos ineptias breuiter redarguemus.

Primò fingunt Samuelem, cui noſtras partes defendendas tribuunt, poſtquam à Turca diſceſſiſſet, ſuperioris diſputationis ſumma capita ſecum reuoluiſſe, & attentius conſideraſſe. quaſi verò ſoleant homines omnes ſuas ineptias in mentem reuocare; aut non ineptum ſit, quæ ſemel euolarunt verba, repetere, & retractare; aut denique aliquid dignum eſſet in ſuperiore confabulatione alicuius memoria, aut recordatione.

Deinde illum aſſerunt *vehementer commotum fuiſſe, & temeritatis ſimul & inſcientiæ ſeipſum accuſaſſe*, idque *præſente Ludouico* papiſticæ ſectæ propugnatore. quod nos facilè concedimus. quid enim hîc attulerunt Turco-papiſtæ iſti, quod non eſt ſtultitiæ, & temeritatis pleniſſimum? at neminem noſtrûm iſta commouent: nec ab aliquo viro docto proficiſci potuerunt. ſunt enim nugæ ineptiſſimæ, & indignæ quæ à quoquam viro bono legantur, vel proferantur. præterea inſulſum eſt, ea aliorum nomine edere, quæ ipſi dicere non ſolent. nos ſanè iſto modo diſputare non ſolemus. neque nos aduerſarii temeritatis & inſcitiæ conuincere poſſunt, vt nos cum eis con-

greſſos eſſe puderet. In actis concilii [1] Ratiſbonenſis ad noſtram ſententiam acceſſere aduerſarii. In Anglia papales epiſcopi pugnam cum noſtris dettectarunt. In colloquio Poſſiaceno inferiores diſceſſerunt. In Bernenſi colloquio, ante pugnam [2] fugerunt Papiſtę.

[1] *Act. colloq. Ratisb. an.* 1541.

[2] *Sleidani hiſt.*

Poſtea quaſi victi eſſemus, ita Samuelem introducunt manus ſupplices ad Ludouicum Papiſtam tendentem, & auxilium aduerſus Turcam implorantem: quod abſurdiſſimè fingitur. neque enim ab hoſtibus auxilium emendicare ſolemus; nec ea eſt noſtra cauſa, vt aliorum auxiliũ implorare neceſſe ſit. nihil enim afferre poſſunt aduerſarii à nobis publicè receptum, quod non aduerſus vniuerſales Iebuſitarum, & Turcarũ copias defendere poſſimus. at facilè eſt in ſcena pugnas vmbratiles facere: in aciem & pugnam iuſtam raró prodire ſolent.

Atque hæc abſurdè dicuntur. illud verò quod ſequitur, falsò nobis imponitur. aſſerunt enim nos docere, *eccleſiam Chriſti ante annos mille vel noningẽtos, funditus collapſam fuiſſe.* at hoc nos diſertè negamus, & ſępe negauimus. aſſerimus enim portas inferorum aduerſus eccleſiam Chriſti non præualituras. tempeſtate iactari & perſequutionum fluctibus affligi poteſt; funditus autem perire non poteſt. Chriſtus enim ſe cum ſuis vſq; ad conſummationẽ ſeculi futurum promiſit. *At* inquiunt illi, *aſſeritis factam fuiſſe*

inuiſibi-

inuiſibilem, ita vt vbinam deliteſceret nemo mortalium ſciret. quaſi verò idem ſit, eccleſiã factam eſſe inuiſibilem, & funditus interiiſſe. Ioannes prædicit eccleſiam in deſertum fugituram: & tempore Chriſti, & temporib. perſequutionum legimus eccleſiã latuiſſe: at periiſſe, aut funditus collapſam eſſe negamus. prȩterea, non ita ſemper ab annis mille eccleſiam latuiſſe dicimus, vt eam nullus videre aliquo tẽpore potuerit. nam in medio Antichriſti regno lucis ſæpe radii fulſerunt, & eccleſiȩ occidentales ante tempora Ioannis 22. & doctrinæ veritatem, & iura ſua in multis rebus tenuere. Eccleſiæ verò orientales & Africanæ, ſtrenuè ſemper libertatem ſuam aduerſus pontificum Rom. tyrannidẽ defenderunt. proferunt ergo contra nos teſtimonium *Ochini, Caluini,* & *I. Iuelli* venerandi illius epiſcopi Sariſburienſis. ſed miror non puduiſſe ipſos teſtes iſtos citare, qui nihil contra nos, tam multa contra ipſos dicunt. Ochinus non [1] loquitur de vniuerſali eccleſia, vbi dicit eam euerſam fuiſſe à papis Rom. neq; enim illi in vniuerſalem eccleſiam eam habuêre poteſtatem. præterea non magis cenſendus eſt Ochinus inter noſtros, quàm inter Papiſtas. In [2] Apologia noſtra nuſquam fatemur *eccleſiam totam iam olim interiiſſe.* [3] Caluinus quidem fatetur, *vbi nec verbum Dei ſonat, nec ſacramenta legitimè adminiſtrantur, ibi non eſſe eccleſiam.* at hoc nunq̃ per totum orbem factum eſt. Fatemur

[1] *In præfat. dial. 26.*

[2] *cap. 3.*

[3] *Inſtit. libr. 4. cap. 2.*

quidem nos pontifices Roman. in hoc potiſſimum laboraſſe, & in multis locis illud effeciſſe: vbiq; & omnino, quod volebant obtinuiſſe, negamus. præterea multum intereſt inter eos qui eccleſiam Roman. euerſam eſſe, & eos qui vniuerſalem eccleſiam interiiſſe dicunt. illud aliqui, hoc nulli aſſerunt. ſemper enim alicubi vera doctrina retenta eſt. Nihil ergo opus erat tot locis ſcripturæ, ad demonſtrandam eccleſiæ Chriſti perpetuam durationem. certè poſt ſcripturæ teſtimonia, non erat argumentum à teſtimonio Mahometi petendum: quod aduerſarii tamē faciunt, qui, vt ſcripturæ in tenebris laterent, non videntur curare, ſi Alchoranus vbique dominetur.

Neque ſanè ex eccleſiæ interitu erant abſurda colligenda. facilè enim vno abſurdo dato, mille ſequuntur. hoc dato, Giffordum animal eſſe pennigerum, ſequetur ipſum volare poſſe: quod tamen abſurdum eſt. nam vt è patria euolarit, volare tamen non poteſt. Verum vt Roma fuerit Antichriſti ſynagoga; nihil eſt quod ſcripturis metuant: has enim & Deus ſeruauit integras, & viri pii à corruptelis hęreticorum ſemper vindicarunt, & nos eas aduerſus factionem papiſticam & eius corruptelas defendimus. *At* inquiunt *iſti, niſi fidem adiungatis eccleſiæ Christi, rectè de ſcripturis exiſtimare non poteſtis.* quaſi verò hoc ad eccleſiam Romanam pertineret, aut contra nos faceret. ne-

ret. neque enim nos eccleſiæ propheticæ & apoſtolicæ fidem abrogamus in aliquo, nec fides noſtra in verbum Dei recumbens, quod eccleſia Chriſti retinet, & docet, ſynagogæ Rom. authoritatem confirmat, quæ à Chriſti eccleſia diſceſſit, & ſcripturas non modo in lingua ignota occultat, ſed etiam extinctas cupit, vt pontifici omnes abſque vlla dubitatione obtemperent.

Præterea affirmant nos docere, *nihil credendum neceſſariò, quod non planè & perſpicuè contineatur in ſacris literis*: atque hoc nomine nos reprehendunt maximè. quaſi verò diſertè non dixiſſet Apoſtolus fidem eſſe ex auditu, & auditum eſſe ex verbo Dei. Præterea ipſi fatentur aduerſarii fidem niti reuelatione diuina. at nullam nos probamus reuelationem præter eam, quæ in ſcripturis facta eſt. qui autem ritus, & liturgiam, & ordines monachorum, & ſectas ſynagogæ Rom. licèt non habeantur in ſcripturis, diuinitus inſtitutas credunt, planè delirãt. nulli autem magis, quàm qui conſtitutiones pontificũ Rom. diuinas eſſe credunt. aduerſarii autem qui nõ minus hæc omnia à Deo profecta dicunt, quàm doctrinam de ſanctiſſima trinitate, & filii cum patre conſubſtantialitate & Spiritus ſancti ſubſiſtentia & proceſſione æterna, nõ modo blaſphemant, ſed etiam fidem Chriſtianam in dubium reuocant. quomodo enim non reuocant in dubium fidem Chriſtianam, cum hæc ſumma fidei myſteria, quæ

in ſcripturis fundata ſunt, cum incertis traditionibus, & nugis non probandis coniungunt? Præterea apertè mentiuntur. nam patres hæc ſcripturis probarunt. illa nec aduerſarii in ſcripturis fundata eſſe dicunt. at traditiones ſuas quando probabunt aduerſarii?

Poſtremò aſſerunt nos *principiis falſis, imò impiis, & pernicioſiſſimis inſiſtere.* ſed verba hæc magna veritate deſtituta, nihil aliud arguunt, quàm transfugarum malitiam & calumniam. De principiis fidei noſtræ, nos hominibus multo Giffordo & Reginaldo doctioribus & acutioribus iam ſæpe & ſatis reſpondimus. nec merentur iſti aliquam reſponſionem, cum nihil aliud agant, niſi vt Turcica perſona induti liberius male loquãtur. attamen nec Turcæ iſti, ſi quid contra nos dixerint malè, effugient, quin vapulent.

De Turcopapiſtarum maledictis, & *mendaciis,*

Liber II.

Cap. I.

De Chriſti prophetia, regno, ſacerdotio, & morte, aduerſus Reginaldi & Giff. lib. 2. c. 1. & 2.

DE ordinis ratione, quam in hoc ſuo ſcripto Reginaldus & Giffordus ſequuti videntur, nihil eſt quod verba multa faciam.

neque

neque enim vel ordinem illi vel rationem in eo ſpectaſſe videntur. præterea nihil diſtincte, nihil ornatè, nihil enucleatè diſſerunt. Huius libri principium *à diſputatione de fide Chriſtiana* ducunt. at hoc etiam in libro primo agebatur. neque enim ſacrificia, aut vota (credo) ſine fide placere dicent. præterea multa de ſcripturis, & patribus dicta ſunt libro ſuperiore: quæ omnia pertinent ad fidem Chriſti. nam in ſcripturis fundatur fides, & patres eccleſiæ, ſcripturarum ſunt interpretes. iſtarum ergo rerum rationem nobis reddat, ſi poſſit Giffordus. nos interim, omiſſa ordinis & diſtinctionis ratione, ad confabulationem noſtrorum Turcopapiſtarum aggrediamur.

Multa ſuperius de ſcripturis & patribus, & Dei cultu confabulati ſunt. hoc loco de fide Chriſti incipiunt fabulari. quid enim magis fabuloſum, quàm Turcas prophetiam, ſacerdotium, & regnum Chriſti concedere, quod tamen iſti aſſerunt? quid? an illi Chriſto dant prophetæ munus, qui authenticum Chriſti teſtamentum irritum faciunt, & eius doctrinam noua ſuſcepta lege contemnunt? an illi ſacerdotem fuiſſe cõcedunt, qui nec eum mortuum fuiſſe credunt, nec in cruce aliquod ſacrificium peractum fatentur? an quicquam minus cohęret, quàm eos qui Chriſti negant diuinitatem, regnum ei ſpirituale concedere, cum regnũ

eius à deitate præcipue fluat? Cum ergo non modò teſtamento eius æterno fidem abrogent, ſed etiam articulum fidei de paſſione & morte Chriſti oppugnent, & eũ Deum eſſe negent Turcæ; quis non abominetur iſtorũ hominum blaſphemiã, qui in Michææ perſona dicunt, eos *ea omnia Chriſto tribuere, quæ ex verbo Dei ei tribuenda veniunt?* quod quidem ſi ita ſe haberet; tum eſſent Turcæ fideles, vtpote qui omnia credunt, quæ in ſcriptis Apoſtolicis & Propheticis de Chriſto dicta ſunt: & actum eſſet de fide Chriſtiana, quæ cum Turcarum impietate ſimul cõſiſtere non poteſt.

Verum vt hęc nos ita eſſe concederemus; omnia tamen aduerſus cauſam ſynagogæ Rom. faciunt. pontifices enim Rom. & eis adhærentes papiſtæ ſacerdotium Chriſti tollunt, Prophetiam negant, regnũ abrogant. nam cum ſacerdotium Chriſti in oblatione ſui ipſius [1] *ſemel facta*, & interceſſione apud patrem conſiſtat: ipſi oblationem velut imperfectam creberrimè inſtaurant, & pro viuis & mortuis continuo offerunt; ipſi alios creant ſacerdotes & ſacrificos; ipſi ſingulis Chriſtianis huius ſacerdotii partem aſcribũt, nempe vt pro pœnis mortalium peccatorum ſuorum poſt baptiſmum commiſſorum ſatisfaciant; ipſi denique alios cum Chriſto cõiungunt interceſſores. imò virginem Mariã Chriſto præponunt: eam enim inuocantes dicunt: *iure matris impera*. eam reginam cœli, por-

[1] *Heb.* 7.24. & 9.24.

li, portam paradiſi vocant. in miſſali [2] *Pariſienſi* ita canunt: *Salue decus virginum, mediatrix hominum, ſalutis puerpera.* Quemadmodum ergo ferunt Titum Flaminium dixiſſe, *diſplicere ſibi ſtatuas turmales:* ſic Chriſti honori multum derogatur, cum inter turbam interceſſorum, Chriſto munus deprecandi conceditur. neque enim eſt eximius Chriſti honor, qui tam multis communicatur.

2 In proſa miſſa de annuntiat.

Prophetiæ Chriſti derogant, cum verbũ Dei partim in ſcriptis à Prophetis & Apoſtolis, partim in traditionibus à pontificibus Rom. deſcriptum eſſe docent. præterea vicarios ſe Prophetas cõſtituunt, qui doctrinæ ſuæ, tanquam oretenus à Chriſto editæ credi poſtulant.

Regnum denique nouum erigunt. papam enim *eccleſiæ monarcham* [3] conſtituunt. at nõ eſt monarcha, qui ſuperiorem agnoſcit. ei etiam poteſtatem dant leges condendi, quæ [4] conſcientias obligent. quomodo autem nõ ſit ille ſummus, qui in animas mortalium poteſtatem habet? præterea non tantum in terris, ſed etiam in cœlis, & in [5] purgatorio dominatum eius locum habere contendunt. Poſtremo, poteſtatem ei tribuunt non modo aduerſus conſtitutiones aliorum pontificum Rom. & aduerſus canones cõciliorum, & decreta patrum, ſed etiam aduerſus Apoſtolum & Euangelium diſpenſandi: regnumque ei infinitum concedunt. Quod ſi ergo Mahometani de Chriſti ſacerdotio, Prophe-

3 Bellar. de pontif. Rom. lib. 1.

4 Enchirid. Nauar. per tot.

5 Ioan. Angelus & Frãciſc. Midđẽſ. elucidat. verit. cathol.

tia & regno rectè ſentiunt; multum illi papiſtis præſtant, quorum doctrina de Chriſti officio planè impia eſt, & ab eccleſiæ fide alieniſſima.

Præterea in hoc præſtant papiſtis Turcæ, quod *horum doctrinã ex locis ſcripturæ collatis probari poſſe* aduerſarii concedunt: inde enim *circumciſionẽ, & alia dogmata Turcica* cõfirmari. at papiſtę ex locorũ ſacrę ſcripturę collatione ſua dogmata ſtatuere non poſſunt: & idcirco de ſcripturis male loquuntur, & ad traditiones & patres, imò ad pontificum indoctiſſimorum decretales trãsfugiũt: quamuis nec in antiquis eccleſiæ traditionibus, nec in patrũ ſcriptis aliquid ad ſuam ſentẽtiã ſuffulciendam adminiculi reperire poſſint, nec alibi, quàm in pontificis ſinu ſpem habeant. Qua in re, ſicut ſtulti rabulæ, non modo quæ contra ſe faciunt, ſed etiam quæ falſiſſima eſſe deprehenduntur, operoſe inculcant.

Aſſerũt *circumciſionẽ ex locorum ſacræ ſcripturæ collatione probari poſſe*. ſed nihil hoc aliud eſt, quàm arcem religionis Chriſtianæ Iudæis cedere. quomodo enim non rectè facerent Iudæi, cum circumcidũt omnes maſculos, ſi circumciſio nunc ſeruanda ex ſcripturis prӕciperetur? nos ergo ex ſcripturis credim' circumciſionem euerti. [1] Paulus enim diſertè oſtendit, *nos nõ eſſe ſub lege, ſed ſub gratia, eoſq; qui circumciduntur, a Chriſto excidiſſe.* Præterea, Chriſtus dixit legem vſque ad Ioannis

[1] *Gal. 5.*

Bapti-

Baptiſtę tantum aduentum duraſſe. *Lex,* [2] inquit ille, *& Prophetæ vſque ad Ioannem.* hoc denique ex ſciſſione veli templi, & verbis Chriſti, qui circumciſionis cæremoniam, & omnia legis ſtatuta cęremonialia à ſe cõpleta fuiſſe ſignificauit, declaratum eſt. ſabbatum etiam, quatenus cæremoniale eſſet, eiſdem locis ceſſaſſe oſtenditur. *2 Luc.16.*

Rident etiam nos, *quaſi hanc ſolam regulã ad ſcripturas rectè intelligendas adhiberemus, & ex ſola locorum ſimilium collatione illas clare intelligi poſſe crederemus.* ſed ſentẽtiam illi noſtram aut nõ intelligunt, aut peruerſe referunt. nos enim licèt hoc medium optimũ eſſe ad ſcripturas intelligendas non dubitemus, idque [3] Auguſtini inducti authoritate faciamus; non tamen eo ſolo vtimur. nam & interpretum ſcripta, & fidei regulam adhibem⁹. neq; repudiare ſolemus, vel mores populi Dei, vel rerum geſtarum & temporũ, ad multorum dubiorum explicationem, hiſtoricam narrationem. Quæ ergo cõtra *Muſculũ, Caluinũ, Molinæũ, Melanchthonem,* & *Lutherũ* dicũtur, quaſi ipſi vel ſcriptorũ apoſtolicorũ fidẽ eleuarent, vel patres eccleſiæ cõtẽnerẽt; nec verè dicuntur, nec nos attingunt. Verũ vt ſolo ſcripturarũ præſidio circũſepti eſſemus; non tamen propterea ridendi ſumus. ſunt enim velut arx inexpugnabilis, & fõs ſapiẽtiæ. Sermo Dei [4] clypeus eſt recipiẽtib. ſe ad ipsũ. inde omnis verę doctrinę cõfirmatio, & falſę improbatio peti [5] poteſt. Meritò autem pa- *3 Lib. 2 de doctr. Chriſt. c. 9.* *4 Prouerb. 30.* *5 2. Tim. 3.*

piſtæ t[illegible]endi ſunt, aut potius miſericordia digni cenſendi, qui relicto aquæ viuæ fonte, ciſternas ſibi ſine aqua effoderunt; & abiecta verbi diuini authoritate, *morem populi Christiani perpetua ſucceſſione acceptum* prætendunt: quod non modò veterum ſcriptis, ſed verbi diuini authoritati repugnat. *In ſtatutis patrum veſtrorum*, inquit [2] Deus per Prophetam, *ne ambuletis, & iudicia eorum ne obſeruetis: ego ſum Iehoua Deus veſter: in ſtatutis meis ambulate. Ad legem & teſtimonium*, non ad mortuorum voces populum remittit [3] Iſaias. Ita Cyprianus etiam, *ad diuinæ traditionis caput* [4] *cenſet reuertendum. Nobis*, inquit [5] Tertullianus, *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt euãgelium. cum credimus, nihil deſideramus vltra credere. hoc enim primum credimus, non eſſe quod vltra credere debeamus. Non eſt relictus*, inquit Hilarius de trinit. lib. 7. *hominum eloquiis de Dei rebus, præterquã ſermo Dei. omnia reliqua & arcta & concluſa, & impedita ſunt, & obſcura.* Quamdiu eccleſia Rom. ſcripturas ſequuta eſt, de via non errauit. poſtquam verò illis relictis, traditionibus pontificum Rom. non ſcriptis adhæſit; in hæreſes grauiſſimas prolapſa eſt, non aliter, quàm regiones orientales, quæ relicta verbi diuini luce, Mahometi nugas amplexæ ſunt.

[2] *Ezech. 20.*

[3] *Iſa. 8.*

[4] *Cypr. epiſt. 47. ad Pompeium.*

[5] *De præſcript.*

Neque ad rem facit, *quod ſcripturas nonnullas Zuinglius, & Lutherus aliter atque aliter interpretantur.* nam nec veteres de interpre-

terpretatione omnium locorum conſentiunt; neque propterea non certa eſt ſcripturę ſacrę ſententia, ſi modo eam ex contextu vel alio medio aſſequi poſſimus; nec propter quorundam locorum obſcuritatẽ, non ſumma eſt ſcripturæ ſacræ authoritas. Papiſtæ autem in hoc etiam Turcis ſunt deteriores. Turcæ enim Alchoranum ſuum vbique ſequuntur, & ſcriptis inhærent. at papiſtæ ineptè mores populi Chriſtiani apertiſſimis ſcripturę verbis anteponunt.

Turcę ſanè iſti cum papiſtis rectè, vt videtur, conſentiunt. Nam ſacerdotes papiſticos propter patientiam, & alias virtutes laudant. dicunt etiam *in Anglia habitos eſſe religioſos, ſinceros, ſobrios, modeſtos.* quod ſatis oſtendit magna eſſe affinitate Turcas cum papiſtis cõiunctos. nam ni ita eſſet, nunquã Turcæ patriæ proditores, & inſulſiſſimos hęreticos, & homines timidiſſimos, & moribus diſſolutiſſimos tantis efferrent laudibus. nobis ſanè inimiciſſimi ſunt. vbique enim Michæas, qui Turcarum partes agit, homines noſtros vocat *Lutheranos, Zuinglianos, libertinos, Antitrinitarios, hæreticos.* nos autem hoc laudi ducimus, quod Turcis & papiſtis noſtra ſententia diſplicet, eam ab *antitrinitariis,* & *libertinis,* & omni hęreſi alieniſſimam eſſe, nos multis iam voluminibus oſtendimus. ſed iſti hoc in more habent, *vt Lutheri, & Zuinglii, & Bullingeri,* & aliorum virorum bonorum nomen arrodant, ſic etiam leones mortuos canes ignauiſſimi allatrare ſolent.

Atque hæc de Chriſti Regno, Prophetia, Sacerdotio, de ſcripturis, & Chriſti eccleſia melius Turcæ, quã papiſtæ. de morte quidẽ aliquanto melius papiſtæ, quàm Turcę; ſed tamen peſſime ſentiunt. nã licèt mortuũ eſſe fateantur, non tamen vnica eius morte contenti ſunt: & propterea velut Anthropophagi & Chriſtophagi eum quotidie ſacrificant, & deglutiunt, vt aiunt, quod ita abſurdum viſum eſt Saracenis, vt nihil ſupra.

Prętereа mortem Chriſti non putant Deũ ſufficienter placaſſe, & ei ſatisfeciſſe, qui in pro peccatis ſuis poſt baptiſmum commiſſis ſinguli ſatisfacere teneantur.

Quid eſt ergo quod de morte Chriſti ſententiam noſtram accuſent? num nos mortẽ Chriſti, vel, vt papiſtæ, eius mortis effecta negamus? nihil minus. At, inquiunt illi, *ex eo cõſequitur vos mortem Chriſti negare, quia nihil creditis, quod gloriã Dei obſcuret*. At nos hoc abſurdiſſimè dici contendimus. nam ex hac morte Chriſtus maximam gloriam cõſequutus eſt, & in cruce de omnibus ſuis inimicis triũphauit. neq; obſtat, quod *crucis prædicatio ſtultitia gentibus, & Iudæis ſcandalum* [1] *fuerit*. nam apud Chriſtianos [2] *virtus eſt Dei, & ſapientia*, & inſigne diuinæ erga humanũ genus charitatis monumentum.

[1] *1. Cor. 1.*
[2] *Ibid.*

Multa prętereа hoc in [3] loco nugantur aduerſarii. Samuęli partes noſtras agendas tribuunt: hìc tamen Samuelẽ aduerſus noſtros declamantẽ introducunt, *quaſi eccleſiæ noſtræ paſto-*

[3] *Lib. 2. cap. 2.*

paſtores nihil ſaperent, & omnis omnino eruditionis expertes eſſent, niſi quod in cõtrouerſiis de pontifice Rom. & miſſa, & reali præſentia & huiuſmodi articulis vulgatis aliquatenus verſari ſolerẽt. ſed nihil eſt, quod vel ſe oſtentent homines inſulſi pariter & indocti, vel quod noſtros contemnant, etſi non vbiq; nos iactare ſoleam⁹. Papiſtis noſtri homines cedere nõ ſolent. religionis hoſtibus nos ſponte obuiã imus. Dicunt *facilius nobis cum Turcis, quam cum Lutheranis conuenire.* ſed nihil magis ipſis dolet, quàm quòd pacem colant eccleſię Germanicæ & Anglicanæ. Neq; obſtat quod quidam homines importuni, faces contentionum accendunt, vt ille qui colloquium edidit Maulbrunnẽſe, & Raceburgẽſis præpoſitus neſcio quis, & alii eius farinæ homines. nam ex publicis eccleſiarum confeſſionibus & actis, & nõ ex priuatorum ſcriptis de pace, & cõſenſione eccleſiarum iudicium faciendũ eſt. nunquam nos inuicem armis oppugnauimus; numquam excõmunicationũ fulmina aduerſ⁹ fratres noſtros eiaculati ſumus. at pontifices Rom. ſe mutuo, & partes aduerſas & armis, & cenſuris, & omni ſcelere oppugnarunt.

Rident nos, *quod nihil aliud, quám gloriã Dei quæramus.* at nos aduerſariorum caſum non poſſumus non deflere. ſunt enim inimici crucis Chriſti, & eorũ De⁹ venter, & gloria in confuſionẽ eſt. pro exigua deniq; mercede operas ſuas antichriſto ad male loquendum,

& patriam prodendam locarunt, nihil aliud quàm pontificis Rom. gloriam quærentes.

De cœna Domini, & baptiſmo aſſerunt Turcas nobiſcum conſentire. ſed quis non miretur eorum impudentiam, qui in rebus tam repugnantibus quærunt calúmniæ anſam? in cœna Domini [1] *annuntiamus mortem Domini,* & [2] *baptiZamur in mortem Chriſti.* quæ ergo conuenientia inter Turcarum paſcha, & noſtram cœnam, inter lotiones Turcicas, & noſtrum baptiſmum? At inter Turcas & papiſtas multo maior eſt in feſto Paſchali, & lotionibus luſtralibus cõuenientia. nam vt papiſtæ, ſic Turcæ feſtum paſchatis celebrant, vtrique ſibi inuicem bonum paſcha optant. Præterea, vt Turcæ ſuas habẽt lotiones, quãdo templa ſua & *Moſcheas* ingrediuntur; ſic habent papiſtæ aquas ſuas luſtrales, quib. tẽpla ingredientes ſe lauant, & eis peccata venialia deleri exiſtimant. lauant etiam quotãnis altaria ſua: & dum pontificis cauſam agũt, laterem lauant. At, inquiunt iſti, *pariter Turcæ & vos pontificem Rom. ſacrificium miſſæ, & realem præſentiam odiſtis.* ſed quid hoc ad cœnam Domini, & baptiſmum, de quibus hoc loco agitur? num omnes qui illa oderunt, in ſententia ſua de cœna Domini & baptiſmo conueniunt? nequaquam ſanè. nam & Turcæ & Papiſtæ aduerſus veram Chriſti religionem pugnant, & fideles pariter perſequuntur: in ſuis tamen decretis non ſemper conſentiunt.

[1] 1. *Cor.* 11.
[2] *Rom.* 6.

Ineptè

Ineptè etiam noſtram de præſtinatione, & coniugio, & ieiunio ſententiam, cum Turcarum impietate comparant; & Turcis proteſtantium nomen tribuunt. Quid enim obſecro, ſimile? At papiſtæ & Turcæ & prædeſtinari homines propter præuiſa opera, & coniugales amplexus impuritatis labe [3] fœdari, & ieiunia quadrageſimæ & quatuor tẽporum ſeruanda eſſe docent. Præterea, licèt ipſi flagitioſiſſimi ſunt, & publicas ſcortationes tolerent; tamen propter opera ſua vtrique ſe ſaluos futuros credunt. non mirum itaq;, ſi à ſe labem Turciſmi amoliri, & aliis aſpergere conentur.

[3] *c propoſui-ſti, diſt. 82.*

Aſſerunt *Auguſtanam confeſſionem aut ſepultam, aut ſaltem corruptam eſse.* at magno ſuo malo experiuntur doctrinam illam, quã Auguſtæ olim profeſſi ſunt viri pii, in Germania vigere; & licèt multum contra nitantur Iebuſitæ; pontificis Rom. tamen hęreſes aut exulare è Germania, aut frigere.

De Henrico octauo & liberis ipſius, Edouardo, & Elizabetha, non miror aduerſarios libenter malè loqui. per iſtos enim tyrannis pontificum Rom. ſublata, hæreſes eradicatę, monachorum peſtes ex Anglia eiectæ ſunt. ſed in eo multum errant, quod tres mutationes religionis ab illis tribus factas exiſtimãt. nam quod pater inchoauit, hoc filius perfecit. filii Henrici, & fratris ſui pręclaram reformationem Elizabetha reuocauit, idola demolita eſt, ſacerdotes Baal è delubris eiecit,

religionem Chriſtianam reſtituit, negotium inchoatum ad vmbilicum perduxit.

Fabulam deinde narrant de, neſcio quo, magno theologo, qui blaſphemiam eſſe putauit virginem *Mariam* matrem Dei appellari. ſed quid hoc ad nos? ſi è noſtris aliquis ita ſenſiſſet, eũ procul dubio Giff. nominaſſet. papiſtarum autem ineptias nos præſtare non tenemur. at aduerſariorum impietatis & blaſphemiæ, ne longè quæramus, hoc loco inſigne extat documentum. Alchoranum enim non verentur apertè *euangelio anteferre.* neque cauſari poſſunt, ſe *noſtrum euangeliũ* dicere. numquam enim docebunt, nos aliud euangelium, quàm illud quod docuit Ieſus Chriſtus, profiteri: quod papiſtis ludibrio eſſe, non modo dolendum eſt, ſed maximo etiam ſupplicio vindicandum.

Recitant poſtremo quædam ex epitome Maulbrunnenſis colloquii, & aliis libellis famoſis, aduerſus nos à Germanis quibuſdam acerbius dicta. ſed nec ipſi pontifices Rom. efficere poſſunt, quin papiſtæ aliquando in ſe inuicem ſcribant, & Paſquilli libelli in media Roma emanant mordaciſſimi. huiuſmodi autem hominum maledicentiam nullum eſſe argumentum dicunt diuiſionis in Synagoga Rom. quorſum ergo legem in nos ferant, quam ipſi non patiuntur in ſe ferri?

C A P.

Cap. II.

De operũ iuſtificatione, & aliis religionis Turcicæ & Papiſticæ capitibus, aduerſus lib. 2. c. 3. & 4.

MVlta Reginaldus & Giffordus religionis Turcicæ dogmata hoc tertio capite memoriter, & accurate recitant: legis Turcicæ ſcilicet periti, & magni zelatores. ſed quorſum iſta? num idcirco hęc dogmata deſcribunt, vt noſtros cum Turcis conſentire oſtenderent? hoc ſanè ego exſpectabã, & argumentum ipſum illud ferè promittebat. at aduerſarii nihil minus cogitabant. multa enim dogmata Turcicæ religionis proferunt, quę papiſtis & Turcis ſunt communia. at hoc pro nobis ſumme facit. quis enim papiſtas poſthac non fatebitur cum Turcis conſentire, qui tam multa communia habent religionis principia? imò quę à nobis in papiſmo [1] reprehenduntur de iuſtificatione operum, de precibus horariis, de inuocatione ſanctorum, de precibus pro defunctis, & liturgiæ lingua ignota; hæc Turca ſtrenuè defendit, vt non minus papiſtas Turcis, quàm Turcas papiſtis fauere intelligamus. Non ergo Caluinoturciſmus, ſed Turcopapiſmus hic liber inſcribendus erat.

[1] *Caluino-turc. cap. 4. lib. 2.*

At fortaſſe hęc dogmata Turcica recitantur, vt papiſtæ Turcas melius, quã nos ſentire oſtenderent. ſed hoc cum libri titulo nõ cõuenit. neq; enim in aliquos hoc nomen congruit, niſi qui cum Turcis idem ſentiunt. atq;

vt Turcas dicendos eſſe fateamur, qui per-uerſius ſentiunt & faciunt quàm Turcæ; papiſtæ tamen erunt Turcarum fratres germani. nos enim oſtendimus Turcas papiſtis in multis præſtare, quorum iſtos non puduit nonnulla hîc referre & fateri. Turcæ fatentur Chriſtum aſcendiſſe in cœlos, & ibi manſurum vſque ad conſummationē ſeculi. at papiſtæ eum in ſingulis altaribus ſuſpenſum monſtrant; & non ita aſcendiſſe dicunt, quin hîc etiam σωματικῶς maneat. Illi ſcripturas plurimi faciunt, vt aduerſarii aſſerunt, & honorificè de eis loquuntur: iſti ſcripturas aſſerunt eſſe *atramentum nigrum, literam mortuam, materiā litis, Delphicum gladium,* & mala de eis plurima loquuntur. Illi idola execrantur; iſti ſtatuunt. illi preces in lingua nota fundunt: iſti pręter Latinā linguam, & Hebræam & Græcam inter Hebræos & Græcos, nullam in liturgiæ publicæ vſu probant. illi vnum Deum probant: iſti quot habent ſanctos, tot habent deos. Longum eſt omnia recitare, in quibus Turcæ melius, quàm papiſtæ credunt; & nos multa iam diximus. adeo vt ſi aliquid valeat aduerſariorum diſputatio papiſtas aut Turcas eſſe aut Turcis in multis deteriores neceſſe ſit.

Tota ergo hæc confabulatio inſulſe aduerſus nos conficta eſt. quod etiam ex eo cōſtat, quia nullo in loco decori habita eſt ratio. In principio tertii capitis ita loquentem Michæam Turcam introducunt: *Totius d*

Etr

ctrina Turcarum hæc eſt ſumma. primus & maximus eſt error, quòd trinitatem in vnitate negent: at nihil potuit cogitari alienius, quàm vt Turca Turcas in maximo errore verſari concederet. ſed quid nos vnum, aut alterum huius inſulſitatis argumentum quæramus, cum omnia ſint ſimilia?

Aduerſus nos nihil affertur à Turcis & Papiſtis communiter receptum, & à noſtris reiectum; cuius non optimæ nobis conſtant rationes. negamus nos operibus noſtris iuſtificari. hoc etiam negat [1] Apoſtolus, *Quòd in lege nemo iuſtificetur apud Deum*, inquit ille, *manifeſtum eſt*. & Rom. 3. dicit, *quod non iuſtificabitur aliquis ex operibus legis corã Deo*. Similiter etiam patres. *Non per legẽ iuſtitia*, inquit [2] Auguſtinus, *ſed ex fide, & dono Dei per Ieſum Chriſtum. Tunc iuſti ſumus*, inquit [3] Hieronymus, *quando nos peccatores fatemur, & iuſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia*. Et [4] Bernardꝰ, *Memorabor*, inquit, *iuſtitiæ tuæ ſolius. ipſa enim eſt mea: nempe factus es mihi tu iuſtitia à Deo*. Idẽ probatur ratione. nemo enim mortalium non peccat, & nullus non dicit, *Remitte nobis debita noſtra*. Præterea, ſi iuſtitia eſſet ex operibus, tum Abraham iuſtificatus eſſet ex operibus. at hoc diſerte negat Apoſtolus. Haberent etiam homines, quod apud Deum gloriarentur: at quis gloriari poteſt apud Deũ? Poſtremo, aduerſarii luce veritatis victi, quandoque verum eloquuntur. *Ope-*

[1] *Gal. 3.*

[2] *In epiſt. Auguſt. & 5. epiſt. ad Innocentium.*

[3] *Aduerſ. Pelagianos, lib. 1.*

[4] *In cantic. ſer. 73.*

ra, inquit [5] Thomas Aquinas, *non ſunt cauſa, quod aliquis ſit iuſtus apud Deum, ſed potius ſunt executiones, & manifeſtationes iuſtitiæ.*

[5] *In Gal. 3. lect. 4.*

Aduerſus iſta, meras offucias loquuntur aduerſarii. Primò proferunt ſententiam ex lege Mahometi. quaſi verò ex fundamentis Turcicis aſtrui poſſit papiſmus. Deinde ratione pugnant. nam *quia ſceleribus debetur pœna, propterea concludunt bene agentibus propter opera deberi cœleſte præmium*. ſed non ſunt hæc contraria immediata, & propterea non valet ratio vt diſertè docet Apoſtolus, vbi [6] dicit *ſtipendium peccati eſſe mortem, & vitam æternam eſſe donum Dei.* Oſtendũt præterea *fidem & opera coniungi à Chriſto, & Apoſtolis.* ſcilicet. ſed fides eſt cauſa, & opera effectus. nos autem loquimur de cauſa iuſtitiæ. Citãt denique [7] Iacobum teſtem, *quod operibus iuſtificamur.* ſed loquitur ille de oſtenſione iuſtitiæ, & non de cauſa ſeu effectione iuſtitiæ. atque hæc à Turca fingũt diſputata. ita bellè papiſtæ & Turcę nõ modo in ſententia, ſed etiam in argumentis & verbis conſentiunt: & Turca papiſticè papiſticam tuetur ſententiam.

[6] *Rom. 6.*

[7] *Iacob. 2.*

Poſtea ne propterea nobis diſpliceret operum iuſtitia, quia eam Turcæ credunt, oſtendunt nullius eſſe momenti hoc argumẽtum; *Turcæ credunt operum iuſtitiam: ergo nos eam credere non debemus. Turcæ inuocant ſanctos defunctos, & eis accendunt lampades, & orant pro defunctis, & preces dicunt planetarias*

riasſeu horarias, & credunt purgatorium: ergo nos non debemus vel inuocare ſanctos defunctos vel eis accendere lucernas, vel orare pro defunctis, vel preces demurmurare canonicas ſeu horarias, vel credere purgatorium eſſe. ſed hac ſua bella diſputatione, tanquam inſani architecti, fundamentum totius ſui operis ipſi ſubruunt. Quamobrem enim, obſecro, homines noſtros Turcis comparāt, niſi quia comparatione facta, multa putant nos ſimilia cū Turcis dogmata & inſtituta tenere? Præterea hoc ipſo in loco vbi aſſerunt hoc argumentū nihil valere, adeo deſipiunt, vt nullo alio argumento vtantur. nam *quia idem putant eſſe religionis noſtræ & Turcicæ fundamentum, ſimiles authores, ſimilem progreſſum, ſimiles hominum mores; ideo Turciſmi nos accuſant.* accipiant ergo, quod ipſi prius [1] excogitarunt reſponſum; *nihil non modo dici, ſed ne fingi quidem poſſe abſurdius, quàm ita ratiocinari.* Præterea, dicimus ipſos in plurimis apertè mentiri, in quibuſdam iniuſte nos accuſare.

[1] *Lib.* 2. c. 4. p. 157.

Quod aſſerunt *Turcas & nos vnum habere fundamentum, & ſimiles authores, & media propagandi dogmatis noſtri prorſus eadem; aperte mentiuntur.* Quod etiam ipſos fateri neceſſe eſt, niſi plane pertinaces eſſe velint. Legis Mahometanæ ipſi hoc fundamentum ponunt, *quod ante annos mille eccleſia interierit, & noua lege opus habuerit.* at nos nec ante mille annos, nec aliquando interiiſſe eccleſiam putamus, nec nouam

legem poſtulamus; ſed potius, nouis abrogatis cæremoniis, ad fontem diuinæ traditionis in ſacroſanctis bibliis contentæ redeundum cenſemus.

Ipſi *Mahometum* & *Sergium* fatentur authores fuiſſe legis Saracenicæ: quorum ille pſeudopropheta erat, hic apoſtata à vera religione. at noſtræ fidei nullum authorem agnoſcimus, præter Ieſum Chriſtum. & quamuis *Lutherus* egregiam operam in vindicanda vera religione à pontificis Romani corruptelis præſtiterit; non tamen hoc ille primus fecit. Præceſſere enim ipſum Wicleuius, Huſſius, & Pragenſis. nec à fide ille receſſit, ſed acceſſit potius ad eam. imò relictis ſuperſtitionibus, & corruptelis pontificiis ad antiquam, & apoſtolicam fidem regreſſus eſt.

Mahometus ab imperatore defecit, & gladio doctrinam ſuam falſam propagauit. at noſtri homines à regibus ſuis crudeliſſimè oppugnati in officio perſtiterunt: nec armis illi religionem propagandam, ſed vitam & libertatem aduerſus antichriſti crudeliſſimā tyrannidem defenderunt. atq; hoc & leges diuinæ, & humanæ permittunt.

Germani, aduerſus Carolum quintum externo milite libertatem patriæ oppugnantem: Galli aduerſus Guiſianorum & hoſtium patriæ ſcelus & perfidiam: Aurangius aduerſus regem periurum peſtem ipſi machinantem: Scoti aduerſus hoſtes patriæ re-

gina

ginæ nomine armatos non ſolum licitè, ſed etiam neceſſario arma ſumpſerunt, idque ſecundum leges patrias, quas canes iſti allatrare poſſunt, ſed iure reprehendere non poſſunt. At papiſtæ, quorum iſti dogmata lingua, manu, & omni perfidia defendunt, verè gladio ſuam religionem promouent. Ipſi rebellione regnum ſuum propagarunt. Ipſi reges armis, & veneno tollere ſolent. Henricum tertium Galliæ regem Iacobus Clemens nefarius monachus confodit.

Henricum quartum è Iebuſitarum collegio nouitius latro ſicâ petiit, cuius ſceleris in æternam tam fœdæ rei memoriam erectum eſt in Pariſiorum vrbe monumentum. Sæpius caput reginæ Elizabethæ nefarii papiſtæ petierunt; ſæpius patriæ parenti nefarii parricidæ exitium machinati ſunt. rebellione pontifices Romani olim vires acquiſiuerunt. neque enim aliter vel imperatorum Orientis, vel Occidentis iugum excuſſere. nuper etiam papiſtæ, ducibus Guiſiis aduerſus reges [1] coniurarunt. & tamen iſtos ſine fronte declamatores non pudet homines innocentiſſimos, quibus ipſi vitam per ſummum ſcelus eripuerunt, rebellionis accuſare.

[1] *Memoires de la Ligue.*

In eo etiam mentiuntur, *quod noſtram doctrinam ex hæreſibus conflatam eſſe aiūt*. quod autem *doctrinam noſtram de originali peccato & baptiſmo, aut Mahometanam eſſe, aut ea deteriorem contendunt, libidineſque & vo-*

luptates nos auidius conſectari, quam Turcas aſſerunt, Alchoranumque euangelii doctrinæ, quam nos profitemur, [2] anteponunt: in eo apertè conuitiantur, ne dicam, blaſphemant. quid enim habent Turcopapiſtæ iſti, quod in ſententia noſtra de peccato & baptiſmo reprehendant? qui ſunt illi homines voluptarii, & ex Epicuri grege porci, qui voluptates tanto impetu proſequuntur? cur poſt accuſationem de hæreſi aduerſus noſtros inſtitutam, è iudicio, velut re deſperata, profugiunt? reſpondebunt fortaſſe, ſe nunc iſta propoſuiſſe, & poſtea rationem eorum omnium reddituros. at nos hæc non antea proponenda, nec oſtendenda cenſemus, quàm probationes afferrentur, ſi quicquam ſibi propoſuiſſent præter contumeliam. Sed quoniam in aliud tempus reiecti ſumus, nos etiam quæ de hac calumnia reſpondenda habemus, in aliud tempus differemus.

[2] *Pag.* 157.

[3] Reprehendunt præterea eccleſiæ noſtrę de diuortiis, de matrimonio, de ieiunio, de oratione, de Euchariſtia & cœna Domini, de Scripturis ſanctis, de miniſterio eccleſiaſtico, de liturgia & officiis eccleſiæ, de cruce & imaginibus, & huiuſmodi rebus doctrinam. Sed quid ita obſecro? ſi, quod Turcæ imaginum & idolorum cultum horrent; cur ipſi more prope Turcico ieiunant, ſacrificia immolant, vota faciunt, preces ſecun-

[3] *Pag.* 157. *&* 158.

cundum horas diſtinguunt? ſi quòd à Turcica perfidia abhorremus longius, quàm papiſtæ; cur nobis Turciſmum obiiciunt? hæc ſanè pugnant, & reprehendendos eſſe qui cum Turcis ſentiunt; & reprehendendos eſſe qui non ſentiunt. At, inquiunt illi, *Vos veſtram ſententiam a communis naturæ principiis non habuiſtis*. certè. neque enim è Turcis, neque à natura corrupta diſcimus, quid de fide ſentiendum ſit; ſed à Christo Ieſu & Apoſtolis, quos magiſtros habemus. nec cuiquam glorioſum eſt, à Turcis, & Ethnicis, & Iudęis dogmatum ſuorum fundamenta, & probationes petere; quod tamen iſti faciunt. Contra ipſos ergò valide valent argumenta noſtra [1] ſuperius allata, & ipſos planè Turcopapiſtas eſſe demonſtrant. At hæc Michęæ & Giffordi maledicta, iurgii potius petulantis, quam publicæ quæſtionis & diſceptationis propria ſunt: omniaque ipſorum tela in nos coniecta, & acie & acumine carent. imò quæ de hæreſibus, & variis fidei & [illegible]orum corruptelis aduerſus nos obiecta ſunt, ea omnia in papiſtas apte quadrant.

[1] *Lib. de Turcop.*

CAP. III.

De hæreſibus papiſtarum, eorumque aduerſus orthodoxam, & veram eccleſiam calumniis: contra lib. 2. Caluinoturciſmi, cap. 5. 6. & 7.

QVod olim prędixit Spiritus ſanctus futurum, [2] *vt in nouiſſimis tēporibus quidam*

[2] *1. Tim. 4.*

diſcederent à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, ac abſtinere iubentium à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione: hoc noſtris temporibus, & ſeculis aliquot ſuperioribus euenisſe, multarum hæreſeôn colluuies, à ſecta papiſtica in magnam orbis Chriſtiani partem redundãs, comprobauit, papiſtæ enim à fide Chriſti, & priſca Apoſtolorum diſciplina longe diſceſſerunt. Præterea variis mendaciis, & fabuloſis legendis intemeratam & ſinceram Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam corruperunt. *Vnuſquiſq;* inquit [3] Dantes, *ſuas extollere inuentiones conatur*; [4] *Euangelium tacetur*. Et rurſus: *Non tot ſunt*, inquit, *Florentiæ Lapi & Bindi, quot hîc & illic* [1] *fabulæ quotannis è ſuggeſtu proclamantur: Vnde fit* vt oues Chriſti quæ parum intelligunt, *vento paſcantur*. Legendæ etiam pro ſcripturis publicè leguntur, & exponuntur. Idem etiam hypocritas reliquos longè ſuperant. nam licèt turpiſſimi ſint, ſimulant tamen ſanctitatem; & peſtes rerumpublicarum & non tantum Chriſti eccleſiæ Iebuſitæ & alii monachi perfectionem iactant, omneſque ſe catholicos vocant. * Cum lupi ſint rapaces; ſe tamen pro paſtoribus gerunt, & ſucceſſionem pontificum Rom. palam oſtentãt,

[3] *Paradiſ. cant. 29.*
[4] *E'l vangelio ſi tace.*
[1] *Si fatte fabule per anno in pergamo ſi gridan.*

&præ-

& prædicant. illi cauteriatam habent conſcientiam, & neque peccatorum & ſcelerum ſuorum ſenſum habent, nec Dei iudicium horrendum, quod ipſos propter tot innocentiſſimorum hominum cædes, & hæreſes, & reliqua ſua ſcelera manet, reformidant. & ne alios quam papiſtas deſignari putemus, ipſi *nouiſſimis his temporibus* prohibent nubere, & carnibus veſci. Olim ſanè *Tatiani, Encratitæ, Seueriani* & *Manichæi*, & nuptias calumniati ſunt, & ciborum delectum docuerunt, ſed ne illos intelligi putemus, Spiritus ſanctus nos ad nouiſſima tẽpora, & calamitates eccleſiæ ſub finem ſeculi ab hæreticis introductas remittit. qua in re papiſmus Mahometiſmum referre videtur. Nam *vt Mahometiſmus ex veteribus hæreſibus* [2] *conſutus eſt*; ſic etiam papiſmus. In hoc etiam Mahometiſmo deterior videtur, quòd ad multas veteres hæreſes nonnullas adiunxit nouas.

A Simone mago longa iam ſucceſſione pontifices Romani, & prælati papales, labem & hæreſim ſimoniacam ad hæc vſque tempora deriuarunt. nam non tantum prælaturas & beneficia eccleſiaſtica, ſed etiam Sacramenta eccleſiæ, & Miſſas ſuas, quas maximè eſſe ſpirituales putant, turpiſſimè multos iam annos [3] vendiderunt. imò, quod multò turpius eſt, ipſum Chriſtum vendunt.

—*venalia nobis*, inquit [4] Mantuanus,

2 *Bibliander, in præfat. in Alchoran.*

3 *Aureum ſpecul. in antilogia. Felin. de offic. iud. deleg. c. ex parte, num. 1. Nic. de Clemang. Onus eccleſ. c. 20. & 21.*

4 *Lib. calam. 3.*

Templa, ſacerdotes, altaria, ſacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, cælum eſt venale, Deuſ-
que.

At Turcæ non ſolent ſua ſacra vendere. Deum ſanè ſuum & ſanctos non vendunt. hîc ego ſi Giffordum imitari vellem, poſſem concludere papiſtas Turcis eſſe deteriores. ſed hoc nos ex plurimis aliis hæreſibus oſtendere poſſumus: illam itaque concluſionem ad vltimum reſeruabimus. Interim verò omnes vident ipſos deteriores eſſe Iuda, qui Chriſtum vendidit, & prodidit. *Deteriores ſunt Iuda*, inquit Chriſtus apud[1] Brigittam, *qui pro ſolis denariis me vendidit: illi autem omni mercimonio.* & poſtea inquit, *ipſi quaſi fures & proditores, produ͂t me, & quaſi meretrices contingunt me.*

[1] 4. Brig. 132. & Onus eccleſ. c. 23.

Ab eodem etiam Simone hauſit magiſter ſententiarum hęreſin ſuam de originali peccato. nam vt ille[2] putauit *animam non pollui vitiis, ſed tantum carnem*: ſic magiſter[3] exiſtimauit originali peccato [illegible] *animam, ſed carnem*, in qua eius ſedem poſuit, *fœdari*. Ab eius diſcipulis didicêre iſti cultum imaginum. ná vt Simoniani imagines *Simonis* & *Helenæ*; ſic Papiſtæ colunt imagines *Franciſci* & *Claræ*, aliorumque ſanctorum & ſanctarum, quę pôtifici Rom. placuerunt.

[2] Epiphan. de hæreſ. Simonis.
[3] Lib. ſentent. 2. diſt. 31.

[4] Baſilidiani non tantum imagines adorabant, ſed etiam incantationibus & creaturarum ſuperſtitioſis adiurationibus vſi ſunt. vtriuſque hęreſeôs labe ſynagoga Rom. labo-

[4] Iren. aduerſ. hæreſ. lib. 1. c. 23.

borat. imagines enim colit, atque in earum
ultu magnam religionis partem ponit: i-
naginibuſque omnes ſuorum templorum
ngulos implet. Pręterea exorciſmis ad mul-
as res abutitur. nuper monachus quidam
xorciſmorum [5] emiſit integrum volumen; *5 Menghus de exorciſmis.*
deo vt mirum ſit diabolos non horrere illas
diurationes. Inter ordines denique eccle-
æ papiſtæ exorciſtas numerant.

[6] Carpocrates pictis vſus eſt imaginibus. *6 Irenæus lib. 1. aduerſ. hæreſ. c. 24.*
Marcellina colebat imagines Ieſu, & Pauli.
b iſtis ergo fluxit traditio papiſtarum de
ingendis & colendis imaginibus. ipſi enim
imagines religioſe colunt, & imagini Ieſu *7 Auguſtin: de hæreſ. c. 6.*
onores diuinos exhibent. ſanctorum præ-
terea imagines & publicè & priuatim vene-
ntur; vmbras potius, quam ſolidam Chriſti
ligionem conſectantes.

Vt Baſilidiani & Carpocratiani dogmata
ua [8] occultabăt, ne ſancta proiicerentur ca- *8 Irenæus lib. 1. c. 23. & Epiphan. hæreſ. 24.*
ibus, ſic papiſtæ ſcripturas occultant in
ngua ignota, eaſque in linguas vulgares
onuerſas niſi à certis quibuſdam perſonis,
gi non permittunt: nimirum, *ne ſanctum*
tur canibus, vt ipſi loquuntur. iidem etiam
nyſtis tantum ſuis myſteria ſua tradunt, po-
ulumque ſymbolo fidei, & oratione domi-
ica, & ſalutatione angelica, & decalogo pri-
niſque catechiſmi rudimentis contentum
ſſe iubent.

A [9] Marcoſiis habent, quod verba He- *9 Ire. lib. 1. c. 18.*
raica, & populo ignota in baptiſmo pro-

ferunt. ſolent etiam in cultu diuino ling
vti barbara & ignota; quod à Mahometan
ſacerdotibus mutuati videntur, aut ſalte
à pſittacis. nam illi etiam loquuntur, qu
non intelligunt.

Quemadmodum Iudæi, ſic & papiſ
quotannis agnum Paſchalem [1] conſecran
multas præterea cæremonias legales i
Chriſtianam religionem introduxerun
nam & ſacerdotium & veſtes ſacerdotale
& multos præterea ritus ex lege Moſis tr
latos habent. at hoc nomine [2] Nazarei i
hæreticorum catalogum relati ſunt. Hær
ſeôs etiam damnati [3] ſunt, quod reuelation
& miracula iactarent. at miracula & proph
ticas reuelationes papiſtæ inter eccleſiæ no
tas [4] numerant.

1 In miſſal. Rõ. in fine.
2 Auguſt. de hæreſ. c. 9.
3 Epiphã. de hæreſ. Nazar.
4 Bel. de notis eccleſ.

A Marco hæretico papiſtę trāſſubſtant
ationem didicerunt. ipſe enim [5] credidit vi
num calicis Dominici in ſanguinem tran
ſubſtantiari; & μετουσίαν, hoc eſt, transſubſtan
tiationem primus in Sacramẽto finxit.

5 Epip. de hæreſ. Marci.

Heracleonitæ morientes [6] vngebant, &
preces ſuper eos demurmurabant. cur no
ergo hæretici cenſeantur papiſtæ, qui homi
nes in ipſo tranſitu vngunt, & tunc ſolenne
adhibent precationes; & hanc cæremoni
am extremam vnctionem vocant?

6 Aug. de hæreſ. c. 16 & Epip. hæreſ. 36

7 Oſſeni nihil opus eſſe credebant, vt pre
ces in lingua nota funderentur. quam ſentẽ
tiam in ſuam etiam ſynagogam traduxerun
papiſtæ. ipſi enim ita ſentiunt, & propter

7. Epi. hæreſ. 19 ante Chri.

ea

in lingua populoignota officium eccleſiaſticum celebrant.

Mulieribus poteſtatem baptizandi conceſſit [8] Marcion. idem etiam, licèt ſtuprum virgini intuliſſet, virginitatem tamen [9] ſuaſit, & coniugia ſeparauit propter religionem. Præterea vſum carnium quibuſdam interdixit, vt inquit [1] Irenæus. idem denique exiſtimauit Chriſtum habuiſſe non ſolidum, ſed tantum phātaſticum corpus. eius verò [2] diſcipuli per Chriſti ad inferos deſcenſum animas quorundam inde liberatas fuiſſe docuerunt. Concorditer etiam papiſtæ & fœminis dant baptizandi facultatem; & magnam aſſignant virginitati mercedem, licèt ipſi malè virginitatem ſeruent. monachos præterea & ſacerdotes matrimonium contrahentes p[illegible]r religionem ſeparant & carnium e[illegible]arthuſianis & aliis nonnullis monac[illegible]is interdicunt. de Chriſti corpore in ſacramento planè cum Marcione ſentiunt; & liberationem animarum ex inferno, aut ſaltem ex purgatorio & limbo, quem apud inferos locant, quod tātidem valet, credunt.

Meſſaliani baptiſmum ad præcedentia peccata tantum [3] trahebant. ad ſequentia peccata abſtergenda, nihil valere credebant. præterea preces ad clepſydram demurmurabant, labiiſque loquentes, corde nihil intelligebant. vnde conſtat & papiſtas Meſſalianos eſſe. ipſi enim de baptiſmo

[8] *Epiph. hæreſ. 42.*
[9] *Ibid. & Tertull. lib. aduerſ. Marc.*
[1] *Lib. 1. aduerſ. hæreſ. c. 30.*
[2] *Epiph. hæreſ. 42. & Tertull. aduerſ. Marc.*
[3] *Theodoret. diuin. decret. c. de baptiſmo.*

pariter ſentiebant; & labiis orant, quod non intelligunt, battologiaque ſua aliis moleſti ſunt, ſibi nihil proficiunt.

Miracula multa fecerunt [2] *Seueriani*, eorumque prophetiſſa Philumena, non ſine diaboli ope & auxilio. narrat etiam Beno [3] Cardinalis Gregorium ſeptimum à diabolo adiutum mira feciſſe. nec dubium eſt quin Dunſtanus, de quo multa narrat Ioannes Capgraue, miracula fecerit diabolico artificio. Pariter etiam pontifices Rom. & ſacrifici, magiæ peritiſſimi, imperitum populum præſtigiis ſuis deceperunt.

[2] *Auguſtin. de hæreſ. c. 24.*
[3] *In vita Gregor. 7.*

[4] Tatianus, multique alii hæretici, à nuptiis, velut impuris, abhorrebant: quod nunc pontificii monachi ſeruant. perfectionem enim in cœlibatu, & virginitate ponunt. & [5] Syricius non [illegible] de nuptiis quàm de pollutionibus ex[illegible]uit. in legendis denique [6] virgines papales non aliter de nuptiis, quàm de immunditiis & peccatis loqui ſolent.

[4] *Epiph. hæreſ. 46.*
[5] *Diſt. 82. c. propoſuiſti.*
[6] *Apud Ioan. Capgraue.*

A *Manichæis* etiam papiſtæ complura hæreſis ſuæ dogmata mutuati ſunt. Manichæi enim in electis ſuis, hoc eſt in ſacerdotibus, nuptias [7] damnabant. iidem etiam in Euchariſtiæ Sacramento tantum ſpeciem panis [8] adhibebant. Tertiò crediderunt Chriſtum non habuiſſe veram carnem, & corpus ſolidum. Quartò in ieiuniis ſuis, licèt à carnibus [9] abſtinerent, vtebantur tamen exquiſitiſſimis lautitiis. Similiter etiam ſacerdotes

[7] *Auguſtin. epiſt. 74.*
[8] *Leo ſerm. 4. de quadrag. & c. relatum. & c. comperimus. diſt. 2. de conſecrat.*
[9] *Auguſtin. de morib. eccleſ. & Manich. lib. 2. c. 31.*

dotes papiſtici nuptias abiurant. & pontifices Romani communicantibus non poculum, ſed panem tantum dandum eſſe decernunt, & vtramque ſpeciem tantum ſacrifico miſſificanti relinquunt. corpus Chriſti veram rationem in Sacramento deſtruunt; ieiuniumque inſtar Manichæorum ſeruant.

Montanus primus de ieiuniis leges[1] tulit, idemque *Scripturas imperfectas eſſe* docuit, vt inquit [2] Epiphanius. eius autem diſcipuli, Priſcæ & Maximillæ prophetias maximo in honore [3] habuerunt. iidem etiam martyrum ſuorũ paſſiones iactare ſoliti ſunt. Præterea Montaniſtæ peccata poſt hanc vitam expianda, & limbum patrum, ſeu Abrahæ ſinum apud inferos eſſe docuerunt. Illi denique & oblationes pro mortuis faciendas, & natalitia martyrum celebranda eſſe ex traditione apoſtolica probarunt. Hæc enim Tertullianus Montanizans in libro de corona militis, & de Anima ſcripſit. Montani etiam dogma probauit Epiſcopus quidam Rom. *Agnouit*, inquit [1] Tertullianus, *prophetias Montani, Priſcæ & Maximillæ, & pacem dedit eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ.* Sequebantur autem illæ eccleſiæ tunc temporis hæreſes Montani. Synagoga etiam Rom. ex Montani diſciplina multas protulit de ieiuniis leges. nunc papiſtæ ſuæ Hildegardis, & Brigittæ, & aliarum nonnarum iactant prophetias. proditores patriæ iidem velut Martyres honorant, vt Thomam

1 *Euſeb. hiſt. lib.* 5. *c.* 17.
2 *Hæreſ.* 48.
3 *Auguſtin. de hæreſ. c.* 26.
1 *Lib. contra Praxeam.*

Beckettum, Campianum, Northumbriæ Comitem, Nortonum, & alios complures. peccata etiam poſt mortem expiari poſſe docent. nec dubitant, quin limbus patrum ſit apud inferos. oblationes denique pro mortuis faciunt, & natalitia ſuorum martyrum celebrant: & hæc ex traditione apoſtolica deſcendiſſe credunt.

1 Auguſtin. de hæreſ. c. 27.

[2] Pepuziani Pepuzam ſuam velut totius eccleſiæ Metropolim, & cœleſtem Hieruſalem ſuſpiciebant; & eo nomine hæreſeôs notam incurrerunt. cur non ergo hæretici cenſeantur papiſtæ, qui Romanam ſuam ſynogogam volunt eſſe catholicam eccleſiam, & Romam tanquam totius eccleſiæ metropolim venerantur? pariter Pepuziani & papiſtæ baptiſmi adminiſtrationem fœminis permittunt. apud papiſtas etiã fœmina[3] functa eſt ſummo pontificatu, & dicta eſt Ioannes octauus.

[illegible]tin. Polon. Platina, omneſq; fere, qui pontificũ Rom. res geſtas ſcripſere.

Cathari ſe inſitâ ſua iuſtitia iuſtos fore crediderunt; & in operibus ſuis gloriari ſoliti ſunt, vt ſcribit Iſidorus Etymolog. lib. 8. cap. de hæreſi Cathar. & Auguſtinus de hæreſibus c. 28. præterea rebaptizabant eos, qui antea baptizati eſſent, vt inquit Theodoretus hæretic. fabul. lib. 3. hinc ergo habent papiſtæ ſuam hæreſim de inhærente iuſtitia, & perfectione operum ſuorum, in qua tantopere gloriantur, qua ſe iuſtos fore coram Dei tribunali confidunt. ex eodem etiam fonte profluxit, quod infantes apud nos baptiza-

ptizatos & in *Belgio*, & reliqua *Gallia* [4] re-baptizarunt.

Et *Angelici* & *Caiani* angelos coluerunt. de *Angelicis Auguſtinus* de hæreſ. c.39. de Caianis Epiphanius de hęreſi 38. ſcribēs teſtimonium perhibet. *Staurolatræ*, quia cruci latriam detulerunt, hæreſeos damnati ſunt. eiuſdem criminis cōdemnati erant Armeni & Iacobitę, quia fingebāt & adorabant imagines Dei patris, & Spiritus sācti. Collyridianos etiā priſca condemnabat eccleſia, quia Mariā virginē inuocabant & colebant. Cōtra Staurolatras, Armenos, & Iacobitas, eccleſię teſtimoniū producit Nicephorus lib. hiſt. eccleſ. 18. c.35.53. & 54. & lib. 14. c.45. Cōtra Collyridianos teſtatur Epiphanius in hæreſi 79. cur non ergo papiſtas velut hęreticos omnes explodant, qui non tantum angelos, ſed etiam ſanctos defunctos inuocant & colunt; & cruci latrię cultum exhibent; & Dei patris & Spiritus ſancti imagines fingūt, & adorandas proponunt; Mariamque virginem eximio cultu proſequuntur, eamque miſſis, officiis, & feſtis colunt?

[4] *Hiſtoire dez troubl... Memoires de la Ligue. & Dimet. hiſt. Belgic.*

Olim [1] Nudipedales hęretici habiti ſunt, quod nudis incederent pedibus. pariter etiam *Apoſtolici* eccleſię iudicio condemnati ſunt, quod ex certis quibuſdam hominibus collegia & ſodalitates conſtituerent, & à ſocietate ſua omnes [2] repellerent, qui vel vxores duxerant, vel res proprias priuatim poſſidebant. In hęreticorū ergo catalogum re-

[1] *Auguſtin. hæreſ. 68.*

[2] *Ibidem c. 40.*

ferendi ſunt Franciſcani, & Capucini, qui cincti funibus & nudis incedunt pedibus; & Iebuſitæ & monachi, qui apoſtolicam iactantes perfectionem à ſua ſodalitate repellunt omnes coniugatos, & res proprias poſſidentes.

3 Theodoret. Hæretic. fabul.

Helceſaitæ duplicem Chriſtum [3] faciebant, aliterque de Chriſto in terris, aliter de Chriſto in cœlis exiſtimabant. quod etiam papiſtæ pariter faciunt. ipſi enim Chriſtum duplicem faciunt, & vnum in cœlis ponunt iuſta magnitudine & membrorum proportione; alium in ſingulis altaribus inuiſibilē, & ſine iuſta quātitate aut magnitudine, quē nullus ſenſu poteſt percipere, aut certa intelligentia.

4 Epiphan. hæreſ. 53.

[4] Sampſæi ſputum, & puluerem duarum fœminarum, quas illi pro ſanctis venerabātur, ad morborum ſanationem ſeruabant. ſic etiā papiſtę cineres & reliquias ſuorum Sanctorum aſſeruant, eiſque velut amuletis ad morborum depulſionem vtuntur.

Eutychiani deſtruebant humanā in Chriſto naturam, eumque poſt vnionem naturarum in perſona, negabant verum corpus habere. quid autem papiſtæ? nōne & ipſi deſtruunt humanam in Chriſto naturam, qui docent ipſum corpus habere, quod & alia corpora penetrare, & in infinitis locis ſimul eſſe poſſit? corpus, inquam, quod nec viſu, nec tactu, nec vllo ſenſu perceptibile eſt?

Pelagiani etiam in papiſtis iā reuiuiſcere cœpe-

cœperunt. vtrique enim negant *aliquod inſitum peccatum eſſe in paruulis*. vtrique ex *operum meritis dari gratiam* contendunt. præterea hominem non renatum præditum eſſe libero arbitrio pariter credunt. iidemque infantibus ſine baptiſmo decedẽtibus limbũ prępara nt extra loca tartarea. vtrique denique renatum ita viuere poſſe, vt non peccet, & poſſe *ipſum implere legem Dei, & perfectè iuſtum eſſe docent*. has autem ſententias, *iuſtitia noſtra eſt inſtar pãni menſtruati: & nemo bonus, ne vnus quidẽ*: ita interpretantur, vt negent hominem reſpectu Dei & nõ aliter, iuſtum eſſe; quod plane Pelagianum eſt, vt inquit [5] Hieronymus. & de Pelagianis quidem nulla controuerſia eſt. nam & [6] Auguſtinus & [7] Hieronymus, aliiq; patres hæc dogmata Pelagianis aſcribunt. papiſtæ etiã (credo) hæc ſua eſſe non negabũt: niſi ſcriptũ Iebuſitarũ contra Monhemiũ, & Bellar. Stapletoni aliorumque diſputationes abiurare inſtituerint. Olet etiã Pelagianiſmũ ꝙ Mariam virginem ſine peccato conceptam, & Hieremiã & Ioãnem & alios ſanctos ſine peccato natos arbitrentur. Hinc Thomas Brandwardinus ante annos trecẽtos cõtra ſcholaſticorum agmina ſcribens: *Totus pene mundus*,[1] inquit, *poſt Pelagium in errorem abiit. Exurge Domine, iudica cauſam tuã*. Idem oſtẽdit, *& veteres & recentiores Pelagianos philoſophicis principiis inſiſtere, conſiſtorio Theologico contempto.*

[5] *In Hierem.* 13.
[6] *Contr. Iulian & de hæreſ. c.* 88.
[7] *In dialog. contr. Pelag.*
[1] *Lib. 1. de grat. Dei aduerſ. Pelagian.*

ferendi ſunt Franciſcani, & Capucini, qui cincti funibus & nudis incedunt pedibus; & Iebuſitæ & monachi, qui apoſtolicam iactantes perfectionem à ſua ſodalitate repellunt omnes coniugatos, & res proprias poſſidentes.

[3] *Theodoret. Hæretic. fabul.*

Helceſaitæ duplicem Chriſtum [3] faciebant, aliterque de Chriſto in terris, aliter de Chriſto in cœlis exiſtimabant. quod etiam papiſtæ pariter faciunt. ipſi enim Chriſtum duplicem faciunt, & vnum in cœlis ponunt iuſta magnitudine & membrorum proportione; alium in ſingulis altaribus inuiſibilē, & ſine iuſta quātitate aut magnitudine, quē nullus ſenſu poteſt percipere, aut certa intelligentia.

[4] *Epiphan. hæreſ. 53.*

[4] Sampſæi ſputum, & puluerem duarum fœminarum, quas illi pro ſanctis venerabātur, ad morborum ſanationem ſeruabant. ſic etiā papiſtę cineres & reliquias ſuorum Sanctorum aſſeruant, eiſque velut amuletis ad morborum depulſionem vtuntur.

Eutychiani deſtruebant humanā in Chriſto naturam, eumque poſt vnionem naturarum in perſona, negabant verum corpus habere. quid autem papiſtæ? nōne & ipſi deſtruunt humanam in Chriſto naturam, qui docent ipſum corpus habere, quod & alia corpora penetrare, & in infinitis locis ſimul eſſe poſſit? corpus, inquam, quod nec viſu, nec tactu, nec vllo ſenſu perceptibile eſt?

Pelagiani etiam in papiſtis iā reuiuiſcere cœpe-

cœperunt. vtrique enim negant *aliquod inſitum peccatum eſſe in paruulis.* vtrique ex *operum meritis dari gratiam* contendunt. præterea hominem non renatum præditum eſſe libero arbitrio pariter credunt. iidemque infantibus ſine baptiſmo decedẽtibus limbũ pręparant extra loca tartarea. vtrique denique renatum ita viuere poſſe, vt non peccet, & poſſe *ipſum implere legem Dei, & perfectè iuſtum eſſe docent.* has autem ſententias, *iuſtitia noſtra eſt inſtar pãni menſtruati: & nemo bonus, ne vnus quidẽ*: ita interpretantur, vt negent hominem reſpectu Dei & nõ aliter, iuſtum eſſe; quod plane Pelagianum eſt, vt inquit [5] Hieronymus. & de Pelagianis quidem nulla controuerſia eſt. nam & [6] Auguſtinus & [7] Hieronymus, aliiq; patres hæc dogmata Pelagianis aſcribunt. papiſtæ etiã (credo) hæc ſua eſſe non negabũt: niſi ſcriptũ Iebuſitarũ contra Monhemiũ, & Bellar. Stapletoni aliorumque diſputationes a biurare inſtituerint. Olet etiã Pelagianiſmũ ꝙ Mariam virginem ſine peccato conceptam, & Hieremiã & Ioãnem, & alios ſanctos ſine peccato natos arbitrentur. Hinc Thomas Brandwardinus ante annos trecẽtos cõtra Scholaſticorum agmina ſcribens: *Totus pene mundus,* [1] inquit, *poſt Pelagium in errorem abiit. Exurge Domine, iudica cauſam tuã.* Idem oſtẽdit, *& veteres & recentiores Pelagianos philoſophicis principiis inſiſtere, conſiſtorio Theologico contempto.*

5 *In Hierem.* 13.

6 *Contr. Iulian & de hæreſ. c.* 88.

7 *In dialog. Contr. Pelag.*

1 *Lib.* 1. *de grat. Dei aduerſ. Pelagian.*

a Auguſtin. hæreſ. 69.

[2] Donatiſtæ olim exiſtimabant eccleſiam extra Africæ fines euanuiſſe. ſimiliter papiſtæ exiſtimant extra Synagogam Rom. & pontificis Rom. obedientiam nuſquam haberi veram eccleſiam: quaſi Deus non [3] adiudicaſſet Chriſto *terminos terræ pro poſſeſſione*, & non omnes *gentes ei in hæreditatem tribuiſſet*. prçterea inter Donatiſtas Circumcelliones erãt, genus hominum peſtiferum, & valdè noxium: iſti enim ſuæ ſectę aduerſarios ferro & quauis ratione interficiendos cenſuerunt. his ergo ſimilimi ſunt Iebuſitę, & ſacrifici, & pontifices Rom. qui aduerſarios ſuos per ſubmiſſos aſſaſſinos, & ſicarios, vel iugulant, vel veneno, aut alio modo tollunt. atque hoc exemplo Henrici 3. Galliæ regis, & Iacobi proregis Scotiæ, & Gulielmi Naſſouii Principis Auranienſis, qui ab huiuſmodi hominibus trucidati ſunt, probatur. eiſdem artibus caput Elizabethæ reginę Angliæ, & Henricum quartum Galliæ regem, multoſque alios viros bonos petierunt. atq; hoc huius hęreſis dogma Iebuſitæ, & hic Iebuſitarum paraſitaſter Giffordus, & alii papiſtæ clam fouent.

3 Pſalm. 2.

4 Hæreſ. 50.

Audiani, vt inquit [4] Auguſtinus, *cogitatione carnali Deum fingebant in ſimilitudinem hominis corruptibilis*: papiſtæ verò & Deo patri, & Spiritui ſancto ſimilitudines affingunt corporeas, & in templis ſpectandas & colendas proponunt.

Anomi legem Dei eiuſque obedientiam

tolle

tollebant. ab illis ergo non longè abſunt papiſtæ, qui ſecundum decalogi mandatum [5] eraſerunt, & tranſgreſſionem decimi mandati, quod concupiſcentiā prohibet, peccatum eſſe negant. prętereа, in locum decalogi, pontificum ſubrogarunt decretales, quas non minus dicunt conſcientias obligare, quam legem Dei.

[5] In officio beat. Mariæ.

Non aliundè ſanè monachi didicerunt ſeculo renuntiare, proprium abiicere, carneſque & coniugia in ſuis ordinibus damnare, quam à *Tatianis*, *Seuerianis*, *Manichæis* & *Apoſtolicis*. quod autem ſecundis nuptiis iniquiores ſunt, & eis nullam benedictionē impendi ſinunt, à Montaniſtis habent.

Origenes peccatorum poſt hanc vitam credidit fore expiationem. idemque variis allegoriis ſcripturarum ſentētiam deformauit, & corrupit. ab ipſo ergo & purgatorium papiſtarum, & allegorica fluxit ſcripturarum deprauatio.

Scripturas denique omnes hæretici [1] refugiunt. vnde & ſcripturarum dicuntur lucifugę. ſi ex ſcripturis quæſtiones ſuas ſtatuere vellent, eos nullo modo conſiſtere poſſe, dixit [2] Tertullianus. ideo pręter ſcripturas confingunt traditiones: *Apoſtolos enim non omnia litteris mandaſſe* [3] *dicunt*. Quod dicit Apoſtolus 1. Cor. 2. *ſapientiam loquimur inter perfectos*: hoc illi de traditionibus & doctrina nō ſcripta intelligendū putant. Thalmudiſtæ etiam aſſerunt Deum non tantum

[1] Tertull. de præſcript. & Iren. lib. 1. paſſim.

[2] De reſurrect.

[3] Iren. lib. 3. c. 2. & 3.

legem ſcriptam dediſſe, ſed etiam traditionem, ſeu legis explicationem non ſcriptam. Similiter papiſtæ ſcripturarum lucem & diuinam maieſtatem non ferentes, ad traditiones non ſcriptas confugiunt. pari affectu & traditiones iſtas, & ſcripturas ſuſcipiendas decernunt homines [4] Tridentini. perfectam eſſe regulam fidei negant. quaſi gratis dictæ eſſent à patribus *canonicæ Scripturæ*. Bellar. eas tantum vult eſſe commonitorium, & non regulam. *Si ſcripturam ſolam*, inquit [5] Turrianus, *fidei regulam in eccleſia Chriſtus reliquiſſet, quid aliud quam gladiū Delphicū haberemus?* hinc alii ſcripturas dicunt eſſe naſum cereum. vulgò omnes ſcripturas fugiunt, quantum poſſunt.

[4] *Seſſ. 3.*

[5] *Aduerſ. Sadeel. lib. 1. p. 99.*

Præter hæreſes iſtas, quæ omnium ferè papiſtarum communes ſunt, habent etiam ſinguli ſingulas ſibiipſis proprias, & peculiares. Lombardus [6] dicit *per nomina numeralia trinitatis nihil poni* at ſi nō ponantur realiter tres perſonæ, tum non ſunt. [7] dicit etiā Spiritum ſanctum nihil aliud eſſe, *quam amorem ſiue charitatem qua nos diligimus Deū & proximum. His*, inquit, *addendum eſt, quod ipſe idem Spiritus ſanctus eſt amor, ſiue charitas, qua nos diligimus Deum, & proximum.* multas præterea ille ſingulares habet ſentētias, quas nec eius diſcipuli ꝓbant.

[6] *Lib. 1. ſentent. diſt. 24.*

[7] *Lib. 1. ſentent. diſt. 17.*

Ioannes viceſimus ſecundus, teſte Michaele [8] Ceſenate, perſonalē negauit Patris, Filii, & Spiritus ſancti diſtinctionem. & hoc ille

[8] *In literis poſt opera Occam.*

ille ex verbis ipſius pro concione habitis oſtendit. Ioannes autem 23. [9] negauit animę immortalitatem.

[9] *In appendic. ad concil. Conſtãt.*

Abbas Ioachim [1] docuit Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum vnum eſſe, ſed *non vnitate eſſentiæ, ſed collectionis tantum*, vt ciues vnius ciuitatis ſunt vnus populus, & tres homines vnum faciunt collegium.

[1] *c. damnamus. de ſum. trin. & fid. cath.*

Prædicatores & minores anno Domini 1243. Pariſiis [2] docuère, *quod licèt diuina eſſentia vna ſit in Patre, Filio, & Spiritu S. tamen vt hæc eſſentia eſt in ratione formæ, vna eſt in patre & filio, & non vna in his, & in Spiritu Sancto.*

[2] *Matth. Paris in Henr. 3. p. 593.*

Albertus in primum Sententiarum diſt. 9. & Thomas in ſcripto fatentur *adiectiuè dici poſſe tres æternos*: licèt Athanaſius in Symbolo neget *tres æternos dicendos eſſe*, licèt & pater, & filius, & Spiritus ſanctus ſit æternus.

[1] Auguſtinus *Steuchus* in ſua *Coſmopœïa* dicit, *Cœlum empyreum Deo fuiſſe coæternum*: quod creationis hiſtoriam euertit, & creaturę tribuit deitatem. prętereà dicit ille *Adamum moriturum fuiſſe, licèt nunquam peccaſſet*: [2] *mortem enim naturalem eſſe, & peccatum non eſſe eius cauſam.*

[1] *In princip. Geneſ.*

[2] *Steuchus in Geneſ. 2.*

Andradius lib. 3. orthodox. explication. docet *gentes potuiſſe ex philoſophia Deum cognoſcere, & ſeruari.* atque hoc ante ipſum Thammerus exiſtimauit.

[3] *Theolog. practic. tractat. 3. c. 16.*

Syluester Prierias & [3] Molanus docent non requiri, *vt Deum intenſiuè ſupra omnia diligamus, ſed tãtum, vt appretiatiuè.* hoc eſt, ſatis eſſe, ſi ipſum maximi eſſe pretii exiſtimemus.

Bellarmini plurimas memorare licet hęreticas ſententias: ſed inſtituti ratio longum non patitur de eius erroribus ſermonem. Lib. 2. de Chriſto cap. 26. negat *repugnare vni perſonæ, vt ſit filius & Spiritus ſanctus*: quod aut tollit, aut neceſſariam eſſe negat perſonarum in diuinis diſtinctionem. Idem [4] dicit *ſanctos participare Dei naturam.* vnde ſequitur diuinam naturam partibilem eſſe, & communicabilem, quod patribus viſum eſt abſurdiſſimum. Lib. de purgat. 1. c. 10. fatetur *hominem ſuiipſius dici poſſe ſaluatorem, & redemptorem.* Hector Pintus in illud Daniel. 12. *tunc reſurget qui in puluere*: docet, *infantes non baptiZatos non reſurgere.*

[4] *Lib. de monach. c. 14.*

Dicunt poſtremò [5] accuſatores noſtri (nolo enim omnes aduerſariorum impietates & hæreſes perſequi) *generationem in diuinis totam ex operatione intellectus procedere.* at intellectus ſubſtantiã non gignit vel ſuam vel aliam. notio enim intellectus ſubſtantia nõ eſt. hinc ſequitur, ipſos cum Turcis deſtruere filii Dei deitatem. Præterea, quæ hæc arrogantia eſt, modum generationis enarrare, quẽ Spiritus ſanctus ineffabilẽ & inenarrabilẽ eſſe ſignificauit? Quare, ſi ad Turciſmum vergant, qui de ſanctiſſimis fidei

[5] *Caluinot. lib. 4. c. 9. p. 825.*

dei myſteriis cum hæreticis ſentiunt, tum certũ eſt papiſtas nõ multos digitos à Turciſmo abeſſe.

Hæreticis ſanè ipſos fauere clariſſimè cõſtat. ideo hæreticos [6] Alphonſus à Caſtro inter membra eccleſiæ ſuæ Romanæ numerat. *Ego, inquit, fateor, & meo iudicio negari non poteſt, hæreticum eſſe partem eccleſiæ, & membrum illius.* [7] Bellarminus etiam & *hæreticos occultos, & homines ſceleratiſſimos fidẽ eccleſiæ Rom. profitentes, & in ſacramentis communicantes, & pontifici Rom. obedientes, vera eſſe membra eccleſiæ profitetur.* vnde ſequitur, vel Turcas vel Iudęos, vel hæreticos poſſe eſſe ſynagogæ Romanæ idonea membra.

[6] *Lib. 2. aduerſ. hæres. c. 24.*

[7] *Lib. de eccleſ. c. 9. &* 10.

Neque tantum hæreſes complures papiſtæ, ſed etiam Iudæorum, & Ethnicorum & (quoniam de Turcis agimus) Mahometanorum impietates amplexi videntur. de agno paſchali iam diximus. habent præterea à Iudæis lotiones, & vnctiones, & ſacerdotium, & ſacrificium, & cæremonias Leuiticas.

Ethnici coram idolis corpora ſua incidebant, & flagellis [1] concidebant. præterea lucernas, ſole lucente, [2] accendebant. aqua luſtrali putabant peccata ſua purgari. quod aqua non expiabatur, id igne delere crediderunt. agros circumierunt in Ambaruralibus. in Lupercalibus laruati diſcurrebant. Quid autem papiſtæ noſtri? nonne inter e-

[1] *Lactant. inſtit. lib. 1. c. 21.*

[2] *Idem lib. 6. c. 2.*

os reperiuntur, qui ſe flagellis coram imaginibus conſcindunt? nonne ipſi lucernas ſuis idolis, & ſtatuis accendunt? certiſſimè. nempe vt lignis & lapidibus, qui nihil vident, lumen præferāt. imò eadem cū Ethnicis ratione hanc ſuam idololatriam excuſant, & defendunt.[3] negant enim Ethnici *ſe materiam, vel ſtatuas adorare, ſed eos tantum, quorum ſunt ſtatuæ.* ſic etiam papiſtę reſpondent. ipſi etiā aquis luſtralibus, & igne purgatorio peccata purgari credunt. circumeunt præterea fines ſuos, tanquam in Ambarualibus, & in capite quadrageſimæ, velut in Lupercalibus diſcurrunt, & furioſè feſtum illum diem agitant. ipſi denique vt Ethnici februis mortuos purgant, & eis parentant.

[3] *Auguſtin. in Pſal.* 113. *in conc.* 2. *& Lactant. lib.* 2. *c.* 2.

Quemadmodum verò cum Mahometanis cōſentiant, dictū eſt libro primo. quo ergo ore Turcopapiſtæ nobis hæreſim obiicere auſi ſunt, cum eorum omnis doctrina ex tot hęreſibus, erroribus, & impietatibus conflata ſit? Si idcircò hæreticos pronuntiant, quod Berengarii ſententiam in cœna Domini ſequimur: & ipſius ſententia refellenda erat, & hoc planè demonſtrandum, nos cum Berēgario idem ſentire. at iſti neutrum faciunt.

Nunc autem quę fuerit Berengarii ſententia, incertum eſt, niſi ipſius hoſtibus credamus. ſi autem contrarium eius ſenſit, *quod in capite Berengarius, diſt. 2. de conſecr.* habetur:

tur: tum rectius ille, quam eius aduerſarii, ſenſiſſe videtur. ibi enim ipſe ex Nicolai mandato profitetur, *ipſum verum Christi corpus & ſanguinem, & non ſolum ſacramentum ſenſualiter, & in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri.* ſed hoc abſurdum eſt, & blaſphemũ. vnde & gloſſator fatetur, cõfeſſionem hanc *iuxta verborum tenorem eſſe hæreticam, & hyperbolicam*; & ſcholaſtici aiunt, *modum loquendi in hac confeſſione præſcriptum, non eſſe tenendum.* vnde apparet eum ſanius ſenſiſſe, manere *panem & vinum poſt conſecrationem, & eſſe ſacramentum*; & *corpus Chriſti nec manibus tractari, nec dentibus atteri.*

Nec obſtant concilii *Lateranenſis, Romani, Vercellenſis, Turonenſis* pro tranſſubſtantiatione decreta. ea enim Antichriſto iã regnante celebrata ſunt; & poſt iſtam determinationem [1] ſcholaſtici fatentur, *dogma de tranſſubſtantiatione, neque ex ſcripturis, neque ex patribus neceſſariò probari poſſe.* ipſi ergo potius hæretici cẽſendi ſunt, qui corpus Chriſti glorioſum dẽtibus atteri finxerunt, & veri corporis naturam ei ademerunt, quã Berengarius.

[1] *Scotus, Occam, Durandus, Alliacus, Biel, Caietanus.*

Si autem idcirco hæreticos putent, quia cum *Henrico*, neſcio quo, baptiſmi gratiam negamus paruulis, & ſacerdotum legitimorum excommunicationes & omnes eccleſiaſticas inſtitutiones contemnimus, iniuriam nobis faciunt. nos enim iſta nõ facim⁹. neque meritò Henricus iſte propter ſancto-

rum inuocationes, & oblationes pro mortuis & peregrinationes ad ſanctos dãnatas, hæreticus cenſendus eſt. non enim qui contra Guilielmum Abbatem, & Bernardum ſentit, protenus hæreticus eſt dicendus, cũ tenebris illius temporis ipſi occęcati, lucem veritatis Apoſtolicæ doctrinę cernere non poſſent.

Petri Abailardi quę fuerit ſententia, incertum eſt. non valdè illum à pontifice Rõ. alienum fuiſſe conſtat, quia ad ipſum in iudiciũ vocatus [2] appellabat. ſin autem vel de[3] Trinitate, vel de filio Dei, vel de baptiſmo, vel de nuptiis, vel de fidei Chriſtianæ aliquo dogmate malè ſenſerit, nos ipſi anathema dicimus. quod autem nobiſcum vel purgatorium, vel ſuperſtitiones ſynagogę Rom. condemnarit, non eſt eo nomine hęreticus cenſendus; non hoc dicit Bernardus, nec vt diceret, ex eius verbis, quid ſit hęreſis, iudicare licet.

[2] *Epiſt. Bern.* 190.

[3] *Epiſt. Bernard.* 192.

Similiter de *Apoſtolicis, Waldẽſib. Albigẽſib. Wiclepho, & Bohemis,* & aliis omnib. reſpõdemus. nam ſi aliqui ex iſtis aliquid crediderint, aut docuerint, quod a fide Chriſtiana abhorreret; hoc nos etiam fugimus, & abominamur. & ſanè fieri poteſt, vt cum auro & argento, fœnum & ſtipulam ędificarint. hoc tamen nobis ſolidè ex eorum libris probari poſtulamus: neque enim in tanta calumniatorum rabie temerè credendum eſt. [4] Gregorius ſeptimus plurim

[4] *In vita Henr. 4. apud Orth. Gratium.*

con

contra Henricum quartum diſſeminauit mendacia. Innocentius tertius in epiſtola ad Bertholdum ducem Zaringię, inquit [5] Vrſpergenſis, ***multa abſurda, quadam falſa*** ſcripſit. [6] Gregorius nonus in Fridericum ſecũdum infanda quędam crimina excogitauit, & aduerſus eum tanquam Turcam & infidelem, ſcripta contumelioſiſſima emiſit. ſolent etiam monachi papales hæreſeos crimina leuiſſimis de cauſis aduerſariis ſuis imponere. Huſſius in cõcilio Cõſtantienſi palam vociferatus eſt, ***ab aduerſariis ſuis crimina & hæreſes ſibi obiici, de quibus nihil vnquã cogitauerat:*** nec tamẽ auditus eſt. *Wiclepho* abſurda quædã imponũtur à cõcilio *Cõſtantienſi*, quę ipſe nũquam docuit. quis enim ſanus exiſtimarit eum ſcripſiſſe, ***Deum diabolo obedire debere?*** aut ***populares poſſe pro arbitrio Dominos delinquentes corrigere***, & alia eius generis? debuere ergo aduerſarii verba citare, & libros exhibere, vt de criminibus obiectis exiſtimare liceret; ſi aliqua eis veritatis cura fuiſſet. Quoad cętera aũt dogmata, quæ ſcripturę ſacrę, & apoſtolicę doctrinę veritati & catholicę fidei conſentanea ſunt, nunquam illi propterea hęretici cenſendi erunt, licèt pontifices Roman. fulminent, & omnes ex triuiis ſcurrę latrent, & reges terrę omnia miſceant. neq; enim euerti poteſt fidei Chriſtianę immotum fundamentum.

[5] *In chron. p. 306.*
[6] *Matth. Paris in Henr. 3. & Vrſperg. paralip.*

At, inquiunt iſti, *Iouiniani*, *Vigilantii & Aerii dogmata* defenditis. ridiculè etiam nobis obiiciunt *Simonis magi*, *Aquariorum*, *Nouati*, *Pepucianorum*, *Pelagii*, *Donati*, *Cerdonis*, *& neſcio quorum hæreticorum ab Ignatio nominatorum hæreſes*. ſed habemus quod gaudeamus, hæc à Turca dici, & à Turcico odio profecta eſſe. certè niſi odio Turcico in pios debaccharetur, nunquam iſta ſine aliquo argumento, aut ſuſpicione contra nos diceret. Iouinianus monachus erat: ad nos ergo nihil pertinebat. is prædicabat *nihil prodeſſe ieiunia:* nos aliter prædicamus. ille [1] *virginitatem Mariæ deſtruebat*; nos ſceleratè factum fatemur. virginitatem ſimulatam monachorum, & monialium irridebat; eamque malè ſeruari, inter eorum greges educatus experientiâ cognoſcebat. at *hæreſis falſa eſt contra fidem ſententia temere electa, & pertinaciter defenſa*, vt ſignificat Auguſtinus.

[1] *Auguſtin. de hæreſ. c. 82.*

Vigilantium acriter inſectatus eſt Hieronymus. [2] idem etiam in Agapetos, qui monachorum erãt quoddam genus, ſtomachoſè inuehitur, qui tamen eo nomine hęretici non ſunt habiti. Rectè Vigilantius pullulãtem in eccleſia Roman. ſuperſtitionem in veneratione oſſiculorum, & cinerum, & hominum mortuorum notauit. ſi modum in reprehenſione exceſſit, & martyres contempſit, & inhumanè cineres proiiciẽdos è tumulis exiſtimauit; rectè Hieronymus intempe-

[2] *In epiſt. ad Euſtoch.*

temperãtiam hominis repreſſit; ſed tamen, vt Eraſmus notauit, non ſatis temperanter.

Aerium eo quod cum Arrianis [3] ſenſit, rectè nos inter hæreticos numeratum cenſemus. malè etiam presbyterum nulla differẽtia ab epiſcopo diſcerni debere cenſuit. malè denique ſtatuta Chriſti eccleſię de ieiuniis contempſit. ſed nos ſanè nihil tale facimus. neque ipſe eo nomine condemnatus eſt, *quod Miſſæ ſacrificium pro viuis & defunctis contempſiſſet*, licèt hoc iſti accuſatores ſignificent. hoc enim poſteriores pontifices Rom. aliquot ſeculis poſtea excogitarunt.

3 Auguſtin. de hæreſ. Aerii & Epiph. in anaceph.

De Pepuzianis mentionem ſatis intẽpeſtiuè faciunt. nos enim fœminis nec prędicandi, nec ſacramenta adminiſtrandi, nec claues eccleſiæ tractandi poteſtatem concedimus. at papiſtæ fœminis dant poteſtatem baptizandi; & in monaſteriis fœminę partes aliquot ſacri miniſterii peragunt. Quid, quod Gilberta fœmina ſummum põtificatum Romæ aliquot annos & menſes tenuit, & dicta eſt [1] Ioannes octauus? At inquiunt iſti, *Supremum reginæ Elizabethæ in omnibus rebus & cauſis, non minus ſpiritualibus quam temporalibus, principatum tribuiſtis.* Eſto: nihil tamen aliud ei per hunc in rebus eccleſiaſticis principatum tribuimus, quam vt libera ſit a tyrannide pontificis Rõ. vt cuncta ſecundum legem Dei per eos, ad quorum officium illa pertinent, ordi-

1 Plat. Martin. Polon. & alii multi.

nari procuret: quod regii eſt muneris, & a antiqui populi Dei regibus ſemper factu eſt ab eccleſiaſtico omni miniſterio princi pes noſtri manum abſtinent.

[2] *De fid. & operib. c. 14.*

Pſeudapoſtoli, de quibus loquitur [2] Au guſtinus, exiſtimabant *ſatis eſſe fidem mor tuam ſine operibus.* à qua ſententia nos lon gè abhorremus. nam licèt miſericordiam Dei, & Chriſti merita nobis per fidem ſo lam applicari cenſeamus: hanc tamen fi dem ſolitariam & mortuam eſſe debere ne gamus.

[3] *Theodoret. hæret. fabul. lib. 1.*

Simon Magus ſuos ſectatores [3] docuit *non pertimeſcere legis minas, ſed liberos face re quæ vellent.* nos autem & legis minas pertimeſcendas docemus, & libertatem *Si monianam* ſummè improbamus: gratiam verò Dei ita prędicamus, vt etiam fideles ad bene operandum excitemus. ideo enim nobis datam gratiam dicimus, *vt ſancti & immaculati* [4] *eſſemus.* nihil ergo nobis cum *Simone* eſt negotii. At apud pontifices Rom. Simon ſummus eſt ærarii tribunus, idem que quæſtor pontificis perpetuus. Vt Si mon, legitimo contempto coniugio, cum ſcorto *Helena* ſuauiter dies ſuos exegit: ſic ſacrifici Rom. & monachi, abiurantes nu ptias, in ſcortationibus, & omni morum turpitudine volutantur, nec legis minas ti mentes, nec gratiæ Dei ſe ſatis memores o ſtendentes, nec populi Chriſtiani exiſtima tionem curantes.

[4] *Epheſ. 1.*

Euno-

Eunomius inimicus erat bonorum operum, *& ſcelera nulli obeſſe dixit, qui ſua fidei particeps eſſet.* ſed hoc nemo noſtrûm vnquam vel dixit, vel ſcripſit, vel cogitauit. Lutherus, vel maxima peccata credentibus in Chriſtum remitti [1] putauit: quod & aduerſarios facere neceſſe eſt, niſi pœnitentię vim eneruare velint. Sua autem natura omnia peccata lethalia credidit: atque hæc omnes credimus & docemus. Papiſtæ verò non longè abeſſe videntur ab Eunomio. ipſi enim proditores patriæ, ſicarios, & aſſaſſinos principũ, & Sodomitas, & ſcortatores, & homines omni ſcelerũ genere opertos, modò pótifici Rom. adhærere velint, nõ modò abſoluunt à peccatis, ſed etiam inter martyres & confeſſores numerant. Miles Hibernicus, quem vulgò, The white Knight, vocant, ex filia liberos ſuſcepit. alii ex ſororibus, alii ex amitis filios habent. alii Hibernici cædes infandiſſimas commiſerunt. hos tamen omnes, pontificis nuntii *Craughius* & *Archerus* abſoluunt, modò aduerſus reginam pugnare velint.

[1] *Libr. de capt. Babyl.*

Aquarii ſolùm aqua in calice Dominico vtebantur: Armenii ſolùm vino; *vnam eare*, vt loquitur [2] Nicephorus, *in Chriſto naturam deſignantes.* At nos neque aquam conſecramus ſolam, neque vnam naturam in Chriſto deſignamus. nihil ergo ad nos attinent iſtæ hæreſes, qui Chriſti inſtitutionem religiosè, & ſanctè cuſtodimus. At ſi illi In-

[2] *Libr. hiſt. 18. cap. 53.*

ter hæreticos cenſendi ſunt, qui Chriſti inſtitutionem in ſacramentis violant; tum Papiſtæ non hæretici, ſed tri‸hæretici iudicandi ſunt. ipſi enim aquam in calice contra Chriſti inſtitutionem adhibent; & ex aqua, non modò ex vino, ſanguinem ſe conficere dicunt. Præterea, calicem conſecratum populo Dei adimunt, contra morem eccleſiæ. multas præterea hæreſes Armenorum poſtliminio reduxerunt. *Armeni*, inquit [1] Nicephorus, *in re diuina facienda azymo, & non pane vtuntur:* iidem *paſcha more Iudaico celebrant, imagines Patris & Spiritus ſancti effigiant: crucem denique colere & adorare* [2] *dicuntur.* quę omnia in papiſtarum abominandam ſuperſtitionem tranſierunt. ipſi enim panem azymum cõſecrant, & eum etiam adorant: ipſi agnum paſchalem more Iudaico [3] ſanctificant; ipſi Patris & Spiritus ſancti imagines pingunt & fingunt: ipſi denique crucem adorant latriâ, & eam oſculantur, & ita precantes affari ſolent: *ſalue ſancta crux.*

Nouatus negabat lapſis pœnitentiam, [4] *dicens non oportere eos, qui abnegaſſent, ſalutem conſequi.* At hoc nos nec facimus, nec facienti conſentimus. imo cum aduerſariis Nouati, *quod confractum eſt, colligimus, & quod aberrat, reducimus, & quod cecidit, erigimus, & lapſis manum porrigimus.* claues etiam datas veris Apoſtolorum ſucceſſoribus, quibus & ligent, & abſoluant, agnoſcimus;

1 *Ibidem.*

2 *Ibidem c. 54.*

3 *Miſſal. Rom. in fin.*

4 *Theodor. hæret. fab. libr. 3.*

nequ

neque vlla re cum Nouato errante conſentimus. At Papiſtæ relapſis in hæreſim, pœnitentiæ remedium negant, eoſq; multò crudelius tractant, quàm lapſos Nouatus. illi enim tales excludebant à ſacris. at Papiſtę relapſos, licèt maximè ipſos pœniteat, omnì cruciatu interficiunt. Iidem in puritate operum ſuorum confidunt, & ſecundis nuptiis iniquiores ſunt, vt Nouatiani multiq; pontifices Rom. Nouati veſtigiis inſiſtẽtes, ſchiſmata grauiſſima in eccleſia Dei excitarunt.

Pelagiani[1] negabant in *infantibus eſſe originale peccatum & propterea eis promittebant vitam æternam, etiamſi abſque baptiſmo morerentur.* At adeò nos abhorremus ab hac ſententia, vt ne vnum quidem è noſtris proferre poſſint aduerſarii, qui infantes originalis peccati reos eſſe negarit. ſi autem aliqui infantes piorum ante baptiſmum morientes, vbi nulla interuenit negligentia, ſaluos fore exiſtimarint; hoc ideo factum eſt, quia peccatũ originale in eis deletũ exiſtimabãt. tales .n. non contemnebant baptiſmum, ſed in voto & propoſito parentum & propinquorum habentes baptiſmum, temporis excludebantur anguſtiis. Sed nos ideo fortaſſe Pelagianæ hæreſeos accuſant, vt nobis hanc accuſationem præriperent, & tardiores in hæreſi papiſtarum redarguenda facerent. Sunt enim Papiſtæ aut plenè, aut maxima ex parte Pelagiani. *Non tantum enim in moralibus officiis & actionib.* inquiunt[2] Iebuſitę, *verũ et*

1 *Auguſtin. de hæreſ. cap.* 88.

2 *Cẽſur. Colon. f.* 35.

iam in rebus ad ſalutem pertinentibus, plurimum habet momenti arbitrium humanum. hoc autem manifeſtè Pelagianum eſſe docet Auguſtinus: *Eſſe fatemur liberum arbitrium,* inquit [1] Auguſtinus, *omnibus hominibus habens quidem iudicium rationis, non per quod idoneum ſit in iis quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere. ſed tantum in operibus vitæ præſentis tam bonis, quam malis.* Similiter Maxētius: *Liberum naturale arbitrium,* [2] inquit, *ad nihil aliud valere credimus, niſi ad diſcernenda, & deſideranda carnalia ſiue ſecularia, quæ non apud Deum, ſed apud homines poſſunt fortaſſis glorioſa videri. ad ea verò, quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec deſiderare, nec perficere poſſe, niſi per infuſionē & inoperationē Spiritus S.* Docent [3] etiā, *Deū deſiderio peccati & concupiſcentiæ præfeciſſe rationem & arbitrii libertatem, tali ſubiectione, qua vix maior eſt, vt nihil quicquam agere poſſit teipſo non annuente.* at hoc Auguſtinus à Pelagio ſumtum docet. *Sunt quidam,* [4] inquit ille, *ita præſumentes de libero arbitrio, vt ad non peccandum, nec adiuuandos nos diuinitus arbitrentur, ſemel ipſi naturæ noſtræ conceſſo liberæ voluntatis arbitrio; vnde fit conſequens, vt nec orare debeamus, ne intremus in tentationem.* libro etiam 1. de gratia, cap. 28. hæc verba Pelagii recitat. *Cum tam forte, & firmum ad non peccandum liberum in nobis habemus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ creator inſeruit, rurſus eim*

[1] *Hypognoſt.* 3.

[2] *In libello fidei, in fine.*

[3] *Cenſur. Colon. fol.* 33.

[4] *Lib.* 2. *de baptiſm.*

ſus eius inæſtimabili bonitate quotidiano ipſius munimur auxilio. Deum cum ſua gratia præſtò adeſſe, ſi viderit animum ad eius ſuſceptionem paratum & promptum, & non reluctanti ſtudium virtutis immittere communiter tenent [1] Papiſtæ & [2] Pelagiani. Vtuntur etiam eiſdem argumentis. *Eligere iubemur,* inquiunt Iebuſitæ Colonienſes, *ergò eſt libera in nobis voluntas.* Similiter Pelagiani, vt eſt apud Auguſtinum de gratia, cap. 16. *non iuberet Deus quod ſciret ab homine non poſſe perfici. Cœleſtius* Pelagii diſcipulus docuit, *hominem renatum poſſe legem perfecta obœdientia ſuis operibus implere, ita vt ſine peccato eſſe poſſit in hac vita.* Similiter Iebuſitę [3] Colonienſes. hoc tamen Auguſtinus refellit in libro de perfectione iuſtitiæ, & aliis in [4] locis. Infinitum eſt omnia perſequi. vbique enim ferè Papiſtæ in Pelagii inſiſtunt veſtigiis, & nos iam antea ſatis oſtendimus eos eſſe Pelagianos. poſtea etiam plura dicemus.

[1] *Cěſur. Col. f. 37.*
[2] *Auguſtin. contr. 2. epiſt. Pelag. libr. 4. c. 6. & lib. 2. cap. 5.*
[3] *Cenſur. Colon. fol. 48.*
[4] *De ſpirit. & lit. c. 36. & ep. 45. ad Hieron.*

Donatiſtæ affirmabant *eccleſiam de toto orbe periiſſe, & in ſola Africa remanſiſſe.* ſed nihil hoc ad nos. neque enim eccleſiam dicimus funditus periiſſe, neque eam in regionem aliquam, aut angulum terræ compingimus. Fatemur quidem pontificum Rom. tyrannide eccleſiam in magnas anguſtias redactam, quandoque priuatis ſe quaſi parietibus incluſiſſe, & in locis deſertis hic & illic ad tempus latuiſſe. nemo autem noſtrûm

tam delirauit, vt diceret periiſſe. Præterea, licèt in bello magna licentia milites vti ſoleant; non tamen eò progreſſa eſt, vt vel impunè baſilicas apud nos incenderint, vel res ſacras profanarint, vel cædes deſignarint. publico conſilio ſanè militum furores noſtri doctores nec accęderunt, nec probarũt. At ex Papiſtis non tantùm homines priuati, ſed ſummi etiam duces templa noſtra euerterunt, codices ſacros lacerarunt, ſordib. cõſpurcarunt, cõbuſſerunt; menſas Domini & ſanctiſſima Dei ſacramenta dictis & factis ꝓfanarũt, pariterq; ſenes, & pueros, viros, fœminas, ciues & ruſticos mactarunt: idque ex concilio ſummi ſui pontificis ad omne ſcelus eos hortantis & incitantis. Præterea, ad principes mactandos, & rebellionem concitandam aſſaſſinos, & flabella ſeditionis Ieſuſitas, & alios monachos in totum orbem dimiſerunt. nuſquam deniq; putant eccleſiã eſſe, niſi in partibus pontificis Roman. ſunt ergo illi, & non nos, Donatiſtę.

[1] *Theodoret. in patib. 3.*

Recenſet fortaſſe [1] Ignatius hæreticorum quorundam ſententiam *qui euchariſtias & oblationes non admittunt, quia non fatentur euchariſtiam eſſe carnem ſeruatoris.* Dico *fortaſſe*, quia in epiſtola ad *Smyrnenſes*, vnde authoritas illa deſumpta eſt, nihil eius habet Ignatius. Verum vt haberet, non tamen ii ſumus qui euchariſtias aut legitimas oblationes fidelium improbamus; neque negamus euchariſtię ſacramentum corpus eſſe, & carnem ſer-

nem ſeruatoris ſymbolicas, & per modũ ſacramenti, vt illi faciebant, qui negabãt Chriſtum habere verè corpus humanum, contra quos loquitur Theodoretus. & ideo Papiſtas iugulat, qui corpus Chriſto tribuunt, quod locũ non implet, nec in certo loco capitur, nec cerni, aut ſenſu percipi poteſt; cuiuſmodi corpus nullum vnquam fuit, aut futurum eſt. eos etiam Ignatius condemnat velut Domini interfectores, *quia ſabbatho ieiunare ſolet.*

Arriani traditionem patrum de conſubſtantialitate filii cum patre repudiabant, licèt ex ſcripturis colligeretur. At nos eas tantùm traditiones negamus, quę tãquam verbum Dei obtruduntur, & tamen ex ſcripturis probari non poſſunt: cuiuſmodi & Papiſtæ, & Arriani nonnunquam iactare ſolent.

Simon Magus, Valentinus, & Manichæus, liberum arbitrium negabant, quia Deum authorem mali crediderunt. at nos illis, & *Florino*, etiam eius ſententiæ authori, anathema dicimus. nihil eſt ergo quod nobis hæreticorum nomina recitent, à quorũ ſententia abhorremus, niſi vt ipſi audirent, quãto propius, quàm nos, papiſtę ad illorum hęreſes accederent.

Conſtantius authoritate regia hæreſim Arrianam ſtabilire conatus eſt. ſic etiam Hiſpanię rex vi adigit Chriſtianos ad hæreſim, omnique ſupplicio à vera fide deterret. At principes noſtri, licèt ſumma ſit eorum in

eccleſia & repub. poteſtas; tamen minor eſt, quàm lex Dei, & Chriſti religio. quam mutare ipſi nec poſſunt, nec debent. Papiſtæ ergo Conſtantio ſunt, quàm noſtri principes, ſimiliores. & , ſi nunc viueret, immenſam pontificis Rom. tyrannidem, [1] Athanaſius velut *prodigioſam, antichriſtianam, & ipſam abominationem deſolationis execraretur.*

[1] *In epiſt. ad ſolit. vitam agentes.*

Scripturas nos omnes recipimus Canonicas. nihil eſt ergo quod nobis aduerſarii *Cerdonem, Marcionem,* & *Fauſtum Manichæum* nominẽt, quibus illi ſunt, quàm nos, ſimiliores. nam vt Marcion tantùm libros à ſe correctos, ſeu potius corruptos; ſic iſti ſuam ſolam Latinam verſionem probãt, & authenticam fecerunt. atque vt ethnici & tyranni; ſic ipſi ſcripturas lacerant, & flammis abſumunt, vt plebs in tenebris palpans ex placitis pontificum Rom. pendeat.

De chriſmate, quæ fuerit Nouati ſententia, parum laboramus. ſuperſtitioſas papiſtarum vnctiones, velut à fide & moribus populi Chriſtiani alieniſſimas, flocci facimus. qua in re ſi nobis hæreſis labem aſpergere velint, oſtendere debent vncti iſti & raſi Baalis ſacrifici, vnctionem hanc à Chriſto, aut Apoſtolis inſtitutam eſſe.

Atque hæc ad calumnias aduerſariorum, qui nobis hæreſis crimen obiiciunt, reſpondenda putauimus. aduerſariorũ inſulſas pro nobis reſponſiones, nos ridemus; tãtùm abeſt, vt tale aliquid reſpõdendum cenſeamus.

Reſpon-

Reſpondet[1] Samuel, *quaſdam hæreſes pertinere ad fidei fundamenta, quaſdam non pertinere; & huius generis eſſe, quæ noſtris hominibus imponuntur.* At nos hanc diſtinctionem ad propoſitum facere negamus. nam non modò primi generis, ſed omnes pariter hæreſes damnamus.

[1] *Caluino-turc. libr. 2. cap. 6.*

Reſpondet ſecundò, non eſſe ſtandum pontificum Rom. & conciliorum recentiorum decretis in definitione hæreſis. At nos nec opus eſſe cenſemus tali reſponſione. omnes enim vident, ex ſcripturis, & antiquæ eccleſiæ ſententia, & non ex antichriſti & eius ſodalitii placitis controuerſias definiendas eſſe. quam regulam ſi adhibere voluerimus, actum erit de Papiſmo & Turciſmo, quo nunc veteres omnes hæreſes tanquam fluuii in mare decurrerunt.

Fingunt præterea [2] Reginaldus & Giffordus nos *Athanaſium, Auguſtinum, Hieronymum, & Gregorium inter Papiſtas numerare*; ſed multa illi abſurdiſſimè fingunt. quis enim vel mediocriter in ſcriptis patrũ verſatus, non intelligit ipſos pontificiæ cauſæ plurimum aduerſari, noſtrę fauere? Athanaſius nihil in rem pontificis Roman. loquitur. [3] Gregorius eum, qui ſe vniuerſalem epiſcopum diceret, antichriſti vocat præcurſorem; & ita papiſmum vniuerſum iugulat. tam iſti, quàm reliqui patres in rebus omnibus grauiſſimis à papiſtis diſſentiunt.

[2] *Libr. 2. c. 5.*

[3] *Lib. 4. epiſt. 34. & 36.*

Putant etiam iſti æquè poſſe Turcas anti-

quis patribus fidem derogare, ac nos dero-gamus pontificib. Rom. ſed inſanum in modum hallucinantur. quis enim mentis com-pos non ſanctiſſimos eccleſiæ patres, ſcele-ratiſſimis, indoctiſſimis, impiiſſimis pontifi-culis longè anteponat?

Poſtremò quod vbiq; faciunt, hîc etiam inſulſiſſimè Turcam ſibi patronum ado-ptant, qui pro ſacrificio miſſæ oblationibus & orationibus pro defunctis, inuocatione ſanctorum, peregrinationibus, pontificatu Rom. & reliquis ſectæ papiſticæ dogmatib. acutè diſſerat. ſed adeò doctè diſputat, vt nec opus ſit reſponſione. aſſerit dogmata hæc *adeo eſſe pondere grauia, & ex radice religionis enaſcentia, vt qui ea ſuſtulerit, omnem vna re-ligionem extinxerit.* Sed ea probanda erant, & non ſtolidè affirmanda. cum probatio-nes attulerit, tum vberiorem à nobis re-ſponſionem feret. interim verò taceant ad-uerſarii noſtri, & caueant ne cuiquam hære-ſis crimen impingant; ne ora ſua ferrea ver-bis pulchrè obtuſa, grauiorib plagis molli-reddi velint. neq; deinceps iactent religionis ſuæ grauitatem, cum ipſi eam in his nugis fundatam fateantur.

C a p. IV.

De originali peccato, & baptiſmo, aduerſus lib. 2. cap. 8. & 9.

DE peccato originali & baptiſmo non ni-hil antea dixerant Giffordus & Regina-dus ſe

dus. ſed quia nonnullam ſibi etiam inde obganniendi aduerſus nos anſam oblatam putant, & quia fortaſſe aliquid obliti erant dicere, longum hoc loco de rebus eiſdem exordiuntur ſermonem, & nobis crambem eandem iterum reponunt. Principium autẽ huius ſermonis Micheas Turca facit quaſi verò Turcę, qui legem Dei euertunt, & baptiſmo repudiato, circumciſionem retulerunt, vel peccati rationem norint, vel de baptiſmo laborent. Sed videamus quid Turca iſte dicat.

Primò ex Magdeburgenſibus, & *Vrbano Regio*, & aliis Theologis Germanis, oſtendit in *Sacramento baptiſmi conſiderari externam ceremoniam, & internam animi purificationem: & huius ſacramenti vſum neceſſarium.* Quo in loco, vt miſſas faciam ineptias aduerſariorum, qui hunc ſermonem Turcæ tribuunt; ab ipſis aduerſariis quæro, quid in hac ſententia reprehendant? nihil ſanè. cur ergo tã prolixè recitantur, quæ nihil vel pro ipſis, vel contra nos faciunt? nempe vt oſtendant noſtros homines à Germanis diſſidere. & propterea pro more ſuo vetere & môro, nos aliquando *Caluinianos*, aliquando *Zuinglianos*, aliquando *Lutheranos* vocant. Sed ſi tanta ſit inter noſtros diſſenſio, cur communiter omnibus eodem nomine maledicunt? ſi inter omnib. conuenit, & propterea omnes Caluino-turciſmi accuſent, cur varia nomina nobis tribuunt? hanc ego gratiã li-

cèt parem ipſis referre poſſem, cum aliqui Benedictum, alii Franciſcum, alii Dominicum ſequantur; & tot habeant ſententias, quot ſcriptores, & cauſę papiſticę patronos; verbis tamen omiſſis, de rebus ipſis reſpondeo, rectè nobis cum Germanis conuenire. baptiſmum enim Chriſtianis ex hypotheſi neceſſarium eſſe fatemur. ſimpliciter neceſſarium nec Germani dicũt, nec Papiſtæ probare poſſunt. quicunque enim in Chriſtum credunt, ii ſalui erunt. *fides tua*, inquit Chriſtus, *te ſaluum fecit:* & rurſus, *qui crediderit, habet vitam æternam.* quod etiam hoc argumento cõfirmatur, quia fideles Chriſti corpori myſtico per fidem ſtatim inſeruntur. & propterea [1] Ambroſius non dubitauit de Valentiniani ſalute, licèt ante baptiſmum mortuus eſſet: nec de latronis ſalute, qui in cruce pendens ad Chriſtum conuerſus eſt, quiſquam dubitat, licèt baptizatus nõ eſſet. *non enim priuari baptiſmo, ſed contemnere baptiſmum exitioſum eſt*, vt ait Bernardus. & [2] Auguſtinus *catechumenis perniciosum eſſe dicit, ſi dedignentur ad baptiſmum accedere.* Ipſi denique aduerſarii concedunt, non tantùm aquæ, ſed etiam ſanguinis, & Spiritus ſancti eſſe baptiſmum, & vnum aliquem ex tribus iſtis baptiſmi generib. ſufficere. Nec obſtat locus ille Iohannis cap. 3. *Niſi quis renatus erit ex aqua & Spiritu ſancto, non poterit intrare in regnum Dei.* hæc enim Chriſtus dixit ante inſtitutionem baptiſmi: & de illa

[1] *De obitu Valentiniani.*

[2] *Tractat. 4. in Ioann.*

aqua

aqua intelligenda videntur præcipuè, de qua Chriſtus Ioannis 4. vſ. 10. *ſi ſcires quis ſit, qui dicit, da mihi potum, tu petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* Omnes ergo hortamur, vt baptiſmo initiari properent: & contemptores baptiſmi excludimus à ſpe ſalutis. ſin autem aliqui tempore, aut neceſſitate excluſi, non potuerint baptizari, de eorum ſalute non cenſemus deſperandum. *durum enim eſſet, tales damnatos pronuntiare*, vt inquit author eccleſiaſt. dogmatum apud Auguſtinum.[1] Auguſtinus quoſdam catechumenos baptizatis anteponit.

[1] *Vbi ſupra.*

Deinde Michæas, *in doctrina de originali peccato & baptiſmo, aſſerit nos cum Turcis cõſentire: negari enim a noſtris originale peccatum, & neceſſitatem, & effectus baptiſmi.* Sed calumniam hanc à Turcico furore profectã nihil opus eſt verbis refellere. res enim ipſa loquitur, nos non ſolùm de originali peccato, verum etiam de baptiſmo longè melius quàm Papiſtas ſentire. nos enim fatemur originale peccatum eſſe maximum, & radicẽ omnis peccati. fatemur etiam illud ab Adamo, vt dicit Apoſtolus, in omnes perueniſſe, eoſq; mortis æternæ reos feciſſe, niſi gratia liberẽtur. in baptiſmo verò ſequimur Chriſti inſtitutionem, & de eo, vt auguſtiſſimo ſacramento exiſtimamus. Chriſtianis ita neceſſarium eſſe dicimus, vt non dubitemus damnatos eſſe, quicunque ſanctiſſimum illud ſacramentum contempſerint.

Quid autem Papiſtę? primùm, quid ſit illud peccatum valde litigant. deinde, omnes peccatorum eſſe minimum conſentiunt: cum tamen ad illud purgandum Chriſtum mortuum eſſe, & aduerſus illud baptiſmi ſacramentum inſtitutum eſſe doceant. pręterea, peccatum hoc in omnes peruenìſſe negant. excipiunt enim virginem Mariam, & aliquos alios, quos in vtero ſanctiſicatos, & ſine peccato originali natos docent. Petrus Lombardus, quem illi magiſtrum ſalutant, [1] docuit *ſedem peccati originalis eſſe in carne.* quod omnino tollit peccatum originale. neque enim vllum eſt peccatum extra animam. huic etiam reliqui ſuffragari videntur Papiſtæ. nam dum aſſerunt concupiſcentiam eſſe peccatum originale, & negant concupiſcentiam eſſe peccatum poſt baptiſmum; conſequitur peccatum originis verè peccatum non eſſe. Poſtremò, aſſerunt peccatum originale non mereri pœnam ſenſus, ſed tantum pœnam damni. vnde ſequitur Turcarum filios morientes non damnari ad inferos: & non multò melius Papiſtas de originali peccato docere, quàm Turcas.

[1] *Lib. ſent. 2. diſt. 31.*

De baptiſmo etiam imperitè philoſophantur. Primò, non tantùm homines, ſed etiam res inanimas, vt campanas [2] baptizant, eiſq; nomina indunt.

[2] *Grauam. centum Germaniæ.*

Secundò, includunt gratiam in ſigno externo: aqua enim dilui peccata volunt: quod Michæas

9° Infidelib. et hypocritis gratia conferitur.

quod Michæas Turcarum lotionibus & baptiſmis tribuit.

Tertiò, negant peccata dilui baptiſmo, vbi ponitur obex: quod oſtendit ſacramentũ non efficere gratiam.

Quartò, comparant profeſſionem monaſticam baptiſmo: vnde ſequitur dilui peccatum originale cucullo monaſtico.

Quintò, adminiſtrationem baptiſmi fœminis nonnunquam committunt.

Sextò, baptizatos vngunt, ſale condiunt, conſpuunt, exſufflant, multiſq; in rebus ab inſtitutione Chriſti diſcedunt.

Septimò, etſi quoſdam non baptizatos ſaluos eſſe poſſe concedant; tamen omnes non baptizatos extra eccleſiam eſſe [1] definiunt: quaſi extra eccleſiam & arcam *Noe* ſalus eſſe poſſet.

[1] *Bellar. de eccleſ. c. 3.*

Octauò, non tantùm baptiſmo, ſed & aqua luſtrali peccata tolli dicunt.

Poſtremò, in Belgio & Gallia infantes ritè baptizatos rebaptizare non [2] dubitarunt.

[2] *Hiſtoire des troubles. & Dimetr. hiſt. Belgic.*

Quicunq; ergo noſtram doctrinam cum papiſtica comparat, is Papiſtas in materia originalis peccati & baptiſmi, propius quàm nos, ad Turcas accedere comperiet. quod, ne longius abeam, inde probari poteſt, quod nihil aduerſarii in confeſſionibus eccleſiarum noſtrarum quod reprehendant reperiunt.

At, inqt Michęas, vel ſaltẽ Giffordus Tur-

ca perſonatus, *Zuinglius negat originale peccatum eſſe propriè peccatum : idemque infantes abſque baptiſmo morientes à morte, & damnatione liberat.* quaſi verò aut ipſi omnium monachorum, aut nos Zuinglii ſingulares opiniones præſtare teneamur. Prætere a reſpondemus Zuinglium, cum adhuc è ſordibus pontificiis non plenè emerſiſſet, cum Papiſtis credidiſſe, peccatum originale non meruiſſe pœnam ſenſus. quo nomine nos non modò ipſum, ſed etiam Papiſtas, & Pelagium eius dogmatis authorem relinquimus. ab eis etiam, qui aſſerunt concupiſcentiam poſt baptiſmum non eſſe peccatum, & tamen originale peccatum à concupiſcentia non diſtinguunt, didicit originale peccatum non eſſe verè peccatum: & tamen hæc ille timidè, & potius ex aliena quàm ſua ſententia docet.

Aſſerit præterea Michæas, *Caluinum negare omnes abſque baptiſmo decedentes damnari.* quaſi verò non hoc etiam Papiſtæ aſſerát. *Conſtat*, inquit [1] Lombardus, *aliquos ſine baptiſmo iuſtificari & ſaluari.* Si omnes ergo ita ſentientes Turcas eſſe ſentiat Giffordus, tum ipſe non tãtùm transfuga erit, & patriæ hoſtis, ſed Turca, & infidelis.

[1] *Lib. 4. ſent. diſt. 4. D.*

Dicit poſtremò Turca ille, *ſuos de Baptiſmo honorificentius ſentire, quam nos:* quod Turcam decet. ſolent enim ſuas hæreſes & impietates ſingulæ ſectæ ornare. Sed contra nos dici non debuit. neque enim Turcæ vllum ag-

lum agnoſcunt baptiſmum: neque nos baptiſmum dicimus eſſe nudam cęremoniam, vt ille calummiatur. Quid ergo? affirmamus baptiſmum eſſe ſanctiſſimum Sacramentũ, quo obſignatur nobis peccatorum remiſſio per ſanguinem Ieſu Chriſti. At inquit ille, *negatis externo elemẽto purgari animam*. certè. neque enim aqua penetrat ad animã aut delet peccatum; ſed gratia. Neque ſanè ita ſtulti ſumus, vt ea reſpõdeamus, q̃ in perſona Samuelis nobis aduerſarii affingũt. *Periculoſum eſſe* [2] *dicit de baptiſmo & originali peccato diſputare*. at nos nihil tale dicimus.

[2] *Caluino-turciſm. lib. 2. c. 9.*

Præterea fatetur *noſtrorum hominum admodum diuerſas eſſe de his rebus opiniones* ſed abſque mandato à nobis accepto. Significat etiam *ſententiam noſtram de liberis Turcarũ & Chriſtianorum abſque baptiſmo decedentibus eſſe perplexabilem*. quaſi verò non apertè doceamus, eos qui non credunt manere in morte: & non conſtet Turcas non credere.

Poſtremò, *lotiones Turcarum baptiſmi* nomine appellat; quod nemo facit pius. illæ enim ad lotiones papiſticas, & aſperſiones aquæ luſtralis propius accedunt, quã ad baptiſmum Chriſtianorum. Præterea non ita inepti ſumus, vt iſto modo cum Turcis, qui nec de peccato originali quicquam acceperunt, nec baptiſmum recipiunt, diſputemus. Vnde etiam ſequitur nihil ad propoſitum facere Michęæ reſponſionem Sed quia ad-

uerſarii, Turcicis induti perſonis, noſtrā in nonnullis vellicant ſententiam; eorum calumniæ occurrendum cenſui.

Primò nobis Anabaptiſmum obiiciunt. ſed rationes eorum nihil concludunt. Nam vt in Germania, vel Anglia aliqui eſſent Anabaptiſtæ; non tamen ſequitur, nos eorum ſententiam probare. ſunt enim proculdubio & fuerunt in Italia & media ſynagoga papiſtarum; non tamen ſe Anabaptiſtas dici ferunt.

Præterea, etſi idem ſit Ioannis & Chriſti baptiſmus, non tamen ſequitur nos Anabaptiſmū probare. nam qui poſt baptiſmum Ioannis, Actorum 19. iterum baptizati ſunt, Ioannis baptiſmo ritè baptizati non erant. quomodo enim illi rite eſſent baptizati, qui nihil de Spiritu ſancto acceperant? hæc reſpōſio & [1] Hieronymi, & Magiſtri authoritate probatur. Sunt etiam qui hæc verba, Actorum 19. *baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu*, non putant referri ad illos diſcipulos, quos Paulus interrogabat de Spiritu ſancto & baptiſmo, ſed ad alios, qui audientes Ioannem baptizati ſunt. idcirco negat [3] Magiſter ex Ambroſii authoritate iteratum fuiſſe baptiſmum Ioannis.

[1] *Epiſt. ad Oceanū. to. 2. de vnius vxoris viro.*
[2] *4. ſent. 2. diſt. §. F.*
[3] *Ibid.*

Poſtremò, *non dicimus nos baptiſmum eſſe nudum ſignum, aut ideo repeti poſſe, quia eſt pœnitentiæ Sacramentum*, vt iſti affirmant. nam vt ſit pœnitentiæ Sacramentum; tamen

men eſt etiã mortis Chriſti & noſtrę in Chriſtum inſitionis Sacramentum. At Chriſtus ſemel mortuus eſt, & nonniſi vnum eſt ad vitam oſtium, & vna in Chriſtum inſitio.

Negant *Baptiſmum infantium ex Scripturis probari poſſe.* ſed hoc nihil aliud eſt quã manus Turcis dare. nos vbi Scripturæ docent pueros fuiſſe circumciſos, & eandem rationem eſſe oſtendunt circumciſionis & baptiſmi; & Chriſtus ad ſe pueros admitti iubet, & Acta Apoſtolorum integras familias docent fuiſſe baptizatas: non dubitamus, quin ex Scripturis probari poſſit puerorum baptiſmus. & hoc [4] Caluinus diſertè oſtendit.

[4] *Inſtit. lib. 4. c. 16.*

Negant etiam *ex Scripturis probari poſſe circumciſionis abrogationem.* quaſi verò [5] Paulus non diſertè illam probet, & non Apoſtoli in concilio [6] Hieroſolymitano diſertè declarent cæremonias legales ceſſaſſe. ſed hæc antea ſatis fusè diſputata ſunt.

[5] *Gal. 6.*

[6] *Act. 15.*

Aſſerunt nos *canones conciliorum, & patrum conculcaſſe.* quod ſæpius antea obiectũ eſt. Sed cum nos concilia antiquiſſima, & patres plurimi faciamus, & ipſi vnius pontificuli dictum illis omnibus anteponant; quo illi ore nobis concilia, aut patres toties obiiciunt?

Papiſtarum multos ritus in perſona Michea laudabiles eſſe fatentur. qua in re ſe nihil aliud eſſe oſtẽdunt, quam ſimios aliena per-

ſona indutos, vt viris bonis liberius malè lo-
quantur, & ſuas nugas populo carius vendi-
tent. quam enim laudem, obſecro, meren-
tur ritus papiſtici, qui vel ab ethnicis & Iu-
dæis traducti ſunt, vel ad quæſtum exco-
gitati, vt veram Chriſti religionem extin-
guant?

*Aquam iidem ablueré peccata, & conti-
nere gratiam, & iuſtificare* contendunt: at-
que hęc omnia ex ſcripturis confirmari cre-
dunt. ſed nihil eiuſmodi Scripturæ docent:
nec quod papiſtę aſſerunt, verum eſſe po-
teſt. nos.n.nō aqua, ſed Chriſti ſanguis pur-
gat à peccato. *Ipſe enim lauit nos à peccatis per
ſanguinem ſuum.* Apoc.1. &, vt ait Paulus, *Re-
conciliati fuimus per mortem ipſius.* Rom 1.&
ipſe fecit purgationem peccatorum noſtrorum.
Hebr.1.

Nec obſtat quod *baptiſmo peccata ablui*
1 *Act.2.* *dicantur*, aut quod *eccleſia* [2] *dicitur purgata*
2 *Epheſ. 6.* *lauacro aquæ*, aut quod baptizati dicantur
filii Dei, aut hæredes vitæ æternæ. Nam ſi-
gno ſæpe tribuitur, quod propriè ad rem ſi-
gnatam pertinet: & ex Sacramentis eccleſia
de rebus promiſſis iudicare ſolemus, qui
obſignare ſolent diuinam gratiam, & pro-
miſſionem nobis in verbo factam. ſi autem
Sacramenta continerent gratiam, impiis &
infidelibus conferatur gratia, neceſſe eſt.
Hæc ſi non probent aduerſarii, argumentis
ea refellant, & magnifica verba miſſa faci-
ant. nam glorioſa ipſorum promiſſa nō plu-
ris fa-

ris facimus, quam hominum inſanorum delirationes.

Quid ſit in religione Chriſtiana *nefarium, iniurioſum, impium, & blaſphemum*, nec Turcę, nec papiſtæ rectè iudicant. imò, nec perſonatus ille Samuel quicquam ſapit, ſi ex inſulſiſſima furioſorum horum transfugarum diſputatione, vel vnum apicem noſtræ doctrinæ de baptiſmo delendum cenſeat. nos interim monemus *Giffordum*, cui hanc Turcę perſonam fortaſſe aliquis maleuolus ipſius inimicus impoſuit, vt poſthac ad illas ruinas doctrinæ Pontificiæ de originali peccato & baptiſmo, ad quas nos digitum intẽdimus, prius reſpiciat, quam vel noſtram ſententiã ſugillet, vel noſtros homines Turcicę perfidię inſimulet, qui de originali peccato, & baptiſmo rectè ſentiunt. reſpiciat, inquam, paradoxa ſectæ pontificiæ, quę *ſceleratos, infideles & Turcas*, modò baptiſmo initientur, & externè profiteantur Synagogę Romanæ fidem, membra eſſe ſuæ eccleſię [3] docet.

[3] *Bellar. de eccleſ. c. 2. 9. & 10*

CAP. V.

De luxu & intemperantia Turcarũ & Papiſtarum: aduerſus lib. 2. cap. 10. *&* 11.

POſtquam de baptiſmo multa verba feciſſent Turcopapiſtę noſtri; ſermonem de polygamia, & inſigni Turcarum in omni libidinis & voluptatis genere intemperantia incipiunt. hîc ego, homo incautus & ſim-

plex, omnem de baptiſmo confabulationé ad finem perductam credidi. neq; enim putabam homines de temperantia diſputantes, inſtar ebriorum, huc & illuc nutantes, & res antea actas & tractatas redituros.

Verum iſti, vt in vita & religione; ſic in oratione inconſtantes, inchoata de polygamia noua controuerſia, ſtatim ad tractatum de baptiſmo gradum referunt, & iterum inculcant; *baptiſmum, ex doctorum noſtrorum ſententia, nihil aliud eſſe, quam externam cæremoniam, vt teſſeram militarem, & cucullum monaſticum: & propterea eum iterum repeti poſſe:* quę omnia *Wolfgãgi Muſculi* teſtimonio confirmare conantur. Sed & nobis, & Muſculo iniuriam faciunt. neque enim priuatorum omnes opiniones noſtræ ſunt; neque Muſculi ipſius verba verè referunt. eius enim verba [1] mutilant, & quæ variis in locis poſita ſunt, coniungunt; & quæ Cardinalis Cuſanus dixit, ea nobis aſcribunt. Præterea quæ Muſculus contra *Cuſanum* profert, *qui baptiſmũ nihil aliud eſſe dixit, quam fidei cõfeſſionem*, ea iſti aduerſus nos intorquent. ea denique in nos dicta fingunt, quę Muſculus aduerſus eorum ſodales dixit, qui exiſtimarunt, *nihil aliud eſſe baptiſmum, quam nudũ pœnitentiæ ſignum.* Reſpondemus itaque, aduerſarios nobiſcum agere non Græca, ſed multo leuiore, hoc eſt, Papiſtica fide. nos enim de baptiſmo, vt de ſanctiſſimo regenerationis noſtræ ſacramento, & non vt de nudo ſi-

[1] *Loc. cõmũ. de baptiſmo.*

do ſigno, exiſtimamus. Sed licèt illi nullum finem faciant nugandi, nos tamen rebus iſtis modum imponamus.

A baptiſmo deinde ad polygamiam, & libidines Turcarum ſaltu ſanè ſtupendo, trãſilientes, narrant *Mahometum fuiſſe hominem turpiſſimum, eiuſque diſcipulos fuiſſe ei ſimilimos*, eoque nomine multa ex Alchorano, Poſtello, Clenardo, & Bellonio producunt teſtimonia. hoc enim habet Giffordus, eiuſque ſociennus Reginaldus, vt in rè clara multa proferant teſtimonia; in re dubia & cõtrouerſa, ſilentio ſummo ad res alias trãſeant. ſed nos non negamus Turcas eſſe nequiſſimos & ſpurciſſimos.

Quod autem ſequitur de comparatione Euangelii & Alcorani, blaſphemum eſt, & tamen omni probatione deſtitutum. Aſſerunt enim ore blaſphemo, Alcoranum magis libidines fręnare, quam euangelium noſtrum. quod nos Deo vindicandum relinquimus. Spurcitiam etiam & procliuitatem ad libidines noſtris hominibus obiiciunt. ſed aut planè cęci ſunt, qui quę in Hiſpania, & Italia, & in media ipſa Roma geruntur non vident; aut profligatè impudentes, qui de luxu, & libidine, & morum ſpurcitie verba facere audent. Conſtat enim Romæ, & Venetiis, & Toleti, & Hiſpali, & in omnib. Hiſpaniæ, & Italiæ vrbibus & celebriorib⁹, meretricum eſſe maximos greges, & luſtra publica. atq; hoc omnes qui in Italia & Hi-

ſpania verſati ſunt, verum eſſe norunt. De vrbe Roma,[1] Cornelius Agrippa, &[2] Sanſouinus, & alii multi teſtimonium perhibent. quid, quod ipſe pontifex ſcit, & probat publica lupanaria, & tributum luculentum à meretricum lucris exigit? *Mareſchallus* Papę, inquit[3] Gloſſa conſtitutionis cuiuſdam noſtrę prouincialis, *de facto exigit tributum à meretricibus*: & hoc ille confirmat teſtimonio Ioannis Andreę. Illud etiam teſtatur Sanſouinus, & publicè notum eſt. *Paulus* tertius bellus ille conuenticuli Tridentini, & belli Germanici author, triginta millia meretricum in tabulis deſcripta[o] habuit, vnde ille tributum exegit. Nec ſanè mirandum eſt, ſi meretrix Babylonica, meretricum & ſcortorum ſtudio teneatur. exigere ex vrbe conatus eſt Pius quintus hác meretricum turbam: ſed ab Italis boni illius fraterculi conatus deriſus eſt: Cardinales enim & ſacrifici hoc ornamento ſuæ ſynagogę carere non potuerunt.

In ſynodo *Conſtantienſi* aliquo tcenturię meretricum inter ordines eccleſię Rō.[4] numerantur. Vrbs Tridentina, quam diu hirci illi papales conuenticulum ibi habuerunt, nihil aliud erat, quam omnis turpitudinis ſentina. Hugo Cardinalis, vnà cum curia Papę Innocentii quarti Lugduno diſceſſurus,[5] dixit *multum ſibi debere illam vrbem. nam quando illuc venerat curia Rom. ſe reperiſſe tria aut quatuor lupanaria*;

1 *De vanit. ſcient. c. de Lenocinio.*

2 *Lib. de i gouuerni c. de la corte de Roma.*

3 *c. licet ad profugandū. de concubin. cleric. remouend.*

o *Zegedinus in ſpeculo pontificum.*

4 *Paralip. Vrſpergenſ.*

5 *Matth. Paris in Henr. 3.*

naria; nunc autem illa omnia ad vnum redacta eſſe, ſed illud a porta Occidentali ad Orientalem durare. Quo tempore Vrbanus ſextus Neapoli manſit, eam vrbem, *velut Gomorrham*, omni turpitudinis genere redundaſſe dicit [6] Theodoricus Niemenſis. Franciſcus Petrarcha igne cœlitus immiſſo [7] precatur vt aula pontificis comburatur: eam enim eſſe *proditionum fontem, Bacchi, & Veneris ancillam, & eius turpitudinis fœtorem ad Deum perueniſſe.* Cardinales & epiſcopos aulę papalis, [1] Theodoricus Niemenſis tempore Vrbani ſexti *venationibus intentos, & vanitatibus deditos fuiſſe* dicit. Ioannes Picus, [2] *Sacras ædes, & templa lenonibus & catamitis committi ſolita conqueritur.* Quod & Baptiſta Mantuanus verum eſſe fatetur: *Venerandas enim Diuûm Ganymedibus ædes ſeruire.* [3] Linnichanus dicit, *ſcorta ali ex patrimonio crucifixi.* [4] Germani queruntur, *concubinatum annuo cenſu redimi.* In Anglia, diſſoluto honorabili ſacerdotum coniugio, vulgò [5] *focarias ſacrifici tenebant.*

[6] *De ſchiſm. lib.* 1.
[7] *Cât.* 106. *Fiamma dal ciel ſu le tue treccie pioua. &c.*
[1] *De ſchiſ. lib.* 2. *c.* 31.
[2] *In orat. ad Leon.* 10.
[3] *Apud Orth. Grat. in faſcic. rer. expet.*
[4] *Grauam* 72.
[5] *Matth. Paris in Henr.* 1. & 2.

Poſtquam verò grauiter inuectus eſſet in coniugia ſacerdotum Ioannes de Crema, à pontifice Romano eo nomine in Angliam miſſus; ipſe in meretricis complexibus [6] deprehenſus eſt. *Ipſe*, inquit Matthęus Paris, *cum die illa corpus Chriſti conſecraſſet, poſt veſperam fuit in meretricio interceptus; res notiſſima negari non potuit.* Holcot ſacer-

[6] *Matth. Paris in Henr.* 1.

7 Eſ. 82. in lib Sapiēt. dotes ſui temporis [7] vocat *Sacerdotes Priapi*. [8] Platina queritur *omnem eccleſiaſticum ordinem, ſuo tempore, ſe in omnem luxum, & libidinem effudiſſe:* At monachi, & Papę Rō. fortaſſe ſe exempla continentiæ & caſtitatis præbuerunt. illi, quia maximis execrationibus deierant non modò vxores, ſed mundi omnes illecebras; iſti, quia ſanctiſſimi vocantur. ſed iſti reliquis ſe magiſtros præbuêre omnis nequitiæ & turpitudinis.

8 Platina in Gregorio 4.

[9] Sergius tertius *Marozíam* nobile ſcortum in oculis ciuium Rom. velut vxorem habuit, & ex ea filiū genuit, qui poſtea ſcortorum gratia papatum adeptus, dictus eſt Ioannes duodecimus. [1] Lando primus inter meretrices voluptariam egit vitam. ex earum vna filium ſuſcepit, qui poſtea dictus eſt Ioannes vndecimus. [2] Ioannes iſte palam & publicè cum Theodora ſcorto famoſiſſimo conſueuit. [3] Ioannes decimus tertius, *ex palatio Lateranenſi proſtibulum fecit meretricum.* is, poſtquam plurima feciſſet ſtupra, in adulterio confoſſus occubuit, tanto turpior Mahometo, quanto hic ſub honeſto nuptiarum titulo ſcortationes occultauit, ille impudenter cum ſcortis volutatus eſt; adeo quidem, vt nec à patris concubina abſtinuerit. [4] Gilberta ſexum ementita, Ioannis ſibi nomen ſumpſit, & octauus Ioannes dicebatur. Ea, ne dubitaremus pontifices Romanorum per meretric-

9 Luitprād. Ticin. lib. 3. de imperat. geſt. c. 12.

1 Luitprād. lib. 2.

2 Ibid.

3 Luitprād. & Platin.

4 Martin. Polon. Marian. Plat. & alii.

Babylonicam deſignari, publicè puerum ex ſcortatione genitum peperit, & maculam infamiæ æternam ſedi illi inuſſit. Clemens quintus ventri & vino deditus non multum de Chriſtiana religione laborabat. [5] *Fuit luxuriæ deditus, & publicè velut amicam tenuit Comitiſſam Perigordenſem*. Abbas Vrſpergenſis eum *publicum* vocat *fornicatorem*. Contra Iohannis XXII. & Benedicti XII. diſſolutos mores ſcripſiſſe fertur Petrarcha tres illas [1] odas, quas propter odium veritatis falſarii Iebuſitæ ex libris eius delendas curarunt. *Nulla*, inquit [2] Villanus, *erat ei euāgelii cura*. Sixtus 4. maſcula venere delectatus, in delitiis habuit Petrum Riarium, Cinędum impuriſſimum. quodq; vel Turcas facere puduiſſet, vtrique Veneri [3] lupanar extruxit, & Sodomiticæ turpitudinis vſum pro tribus anni menſib. calidiorib. Cardinali ſanctæ Luciæ indulgētiſſimus pædiconum pater indulſit. [4] Ioannes 23. in ſynodo Conſtantienſi, grauiſſimis teſtib. *ſcortationis, ſtupri, adulterii, & nefandiſſima Sodomia* conuictus eſt. Paulus 2. ex meretrice filiolam ſuſcepit.

Innocentius Octauus, vt patris nomen ei conueniret, 8. filios, & totidem filias ex plurimis ſcortis genuit. neque vllus ferè ante ipſum non habuit ſpurios, quos nepotes vocabant. [5] Alexander ſextus filios ſuos, ex Vanozia, & aliis ſcortis ſuſceptos, publicè agnouit pro ſuis, eoſque maximis honoribus & diuitiis auxit. atq; ita in libidinē præ-

[5] *Fue luſſurioſo, che paleſe ſe dicea che tenea per amica la cōteſſa di parigo go. Io. Villani, lib. 9. c. 58.*

[1] *Fiamma dal ciel. & 2. ſequentes.*

[2] *Non ſi ricordaua il buon'huomo del vangelo di Chriſto, lib. 11. c. 20.*

[3] Weſſel *Groning. de indulgent. & Agrip. de vanit ſcient. c. de Lenocin.*

[4] *In appendice concil, Conſt. apud Petr. Crabb.*

[5] *Guic. hiſt. & Onuphr. in Alexād. 6.*

ceps ferebatur, vt nec a filiç ſuç amplexibu[s] ſe temperaret, quod tamen Turcç faciun[t]. [6] Iulius 2. duob. adoleſcentulis Gallis, quo[s] Anna Galliç regina Roberto Nanneten[ſi] commiſerat erudiendos, ſtuprum intulit.

6 *In commentar. magiſtr. Pariſ.*

Leo decimus ſororem ſuam amauit plurimum, non tamen ſolam. Maſſilienſi[um] enim ille mores coluit, & pueros, puel[-]laſque multas in deliciis habuit. Innocen[-]tium de monte velut Ganymedem amau[it] Iulius tertius. Paulus tertius Petrum Luiſi[-]um, & aliquot alios in papatu genuit ſpurio[s] & ſpurias. neque, licèt reliquos taceo pon[-]tifices, propterea putandum eſt eos fuiſſ[e] meliores. omnes enim pariter ſancti erant.

Monachi etiam & fraterculi, quos pan[-]noſis & laxis togis indutos videmus, maxi[-]mè ſunt mulieroſi. Gregorius duodecimus cuius teſtimonium aduerſarii repudiare n[on] poſſunt, [7] monachos 22. monaſteriorum i[n] Germania oſtendit fuiſſe turpiſſimos. Pa[-]riter enim viri & fœminç publicè in om[ni] turpitudine volutabantur. in Anglia n[e]fandas clauſtrorum vtriuſque ſexus libidi[-]nes, monumenta publica & acta notario[rum] in viſitatione monaſteriorum vltima, te[-]ſtantur. Gregorius [8] primus 6000. infant[es] in piſcina ſua reperiens, deplorauit infand[am] cœlibis cleri impuritatem. [9] Germani qu[e]runtur *regulares ſub annuo cenſu concubin[as] tenuiſſe.* [1] Boccacio multarũ narrationũ argu[-]mentũ dedêre ſtupra & ſcortationes mon[a-]ch[orum]

7 *Nemoris vnion. tract. 6.*

8 *In epiſt. Hulderici Auguſt.*
9 *Grauam. German.*
1 *Nouelle di Boccacio.*

chorũ. [2] Petrus & Alliaco *Monaſteria fœminarũ vltra quã dicere auſ⁹ eſt, dehoneſtata dicit. Virginũ ſepta* Ioannes [1] Picus Mirandulanus *in meretricios fornices conuerſa fuiſſe ſcribit. A tenera ætate,* inquit Honorius [2] Auguſtodunenſis, *impudicitiam moniales diſcunt, fornicariis peius proſtituuntur.* Palingenius & contra ſacrificorum & monachorum impuritatem, grauiſſimum dicit teſtimonium.

Quis [3] inquit ille, *non mœchatur? myſtæ vafriq; cuculli,*
Quos caſtos decet eſſe, palam cum pellicibus, vel
Furtim cum pueris, matronis, virginibuſq;
Nocte dieque ſubant.

Abraham Iudęus, cum Chriſtianę religionis ſtudio Romam profectus eſſet, vt dicit [4] Boccatius, *papæ, cardinalium, prælatorum & aulicorum mores obſeruare cœpit. idem partim ſuo ſtudio, partim teſtimonio aliorum cõperit, vna omnes, a minimo ad maximum, turpiſſimè viuere, & in luxuria peccare tam naturali, quã ſodomitica, idque ſine aliquo fræno, aut conſcientiæ ſtimulo, aut pudore. Ideq; vidit gratiam meretricum, & puerorum, plurimum ad quiduis in curia Rom. impetrandum valere.* Neque tandem malè faciunt, ſed etiam libris publicè editis, & infandis diſpenſationibus mores Chriſtianorum corrumpunt. Ioannes Caſa archiepiſcopus Beneuẽtinus, quo pontifex Rom. velut homine acuto, & induſtrio in legationibus aliquot vſus eſt,

[2] *De reformat. eccleſ.*
[1] *In orat. ad Leõ. 10. apud Orth. Grat.*
[2] *In dialog. de prædeſt. & lib. arbit.*
[3] *In Virgine.*
[4] *Nouell. 2.*
Egli trouò del maiore inſino al minore generalmẽte tutti dishoneſtiſſimamente peccare in luſſuria, & non ſolo nella naturale, ma anchora nella ſodomitica, ſenſa freno alcuno di rimordimẽto, ò di vergogna, in tãto che la potenza delle meretrici, & de garzoni ad impetrare qualunque gran coſa, nõ era di picciol potere.

carminibus complexus eſt impuros, & ſodomiticos ſuos amores. Edidit etiam Florentinus quidam librum nefandiſſimũ ſub nomine [5] Grappæ, in quo turpitudinem ſodomiticam palàm ornare, nõ erubuit. Cum Clemens octauus, nuper papa renuntiatus eſſet, aiunt Paſquillum ſibi metuentem loricâ tergum armaſſe, & hoc elogium ſibi inſcripſiſſe, *Guardate il c. il papa, è Fiorentino.* Scortatio verò & adulterium adeo iſtis leue crimen videtur, *vt illud inter minora crimina* [6] *recenſeant, & cuius epiſcopo diſpēſandi quoad ea poteſtatem tribuant.* imò adeo eis ſordent legitimæ nuptiæ, & fornicatio placet, vt cum clerico adultero & impuro facilè diſpenſent; ſed cum Clerico matrimoniũ contrahente, vt vnâ teneat vxorem, & beneficium, nullo modo diſpenſent: ſi in maioribus ordinibus conſtitutus ſit, & vxorem duxerit clericus, matrimoniũ diſſoluunt. hinc illa turpitudo Babyloniæ occidentalis, quã nũc videmus. *Ex iſtis indulgentiis*, inquiunt [7] Germani, *proficiſcuntur ſtupra, inceſtus, & adulteria.* Matthæus Paris *ex poteſtate abſoluendi* [8] *dicit occaſionem delinquendi datam.*

[5] *Cicalamēto del Grappa.*

[6] *C. at ſi clerici, §. de adulteriis, de iudic.*

[7] *Grauā. 3.*

[8] *In Henric. 3.*

Hoc ſanè conſtat nihil eſſe turpius, quam Synagogæ Romanæ pontifices, clericos, & monachos ferè vniuerſos. Dicuntur quidem monachi regulares, & clerici ſpirituales: ſed nullum hominum genus magis peccat contra leges Dei: nullum carnalibus deſideriis fręna magis laxat. *Tria facinora*, vt

eſt apud

eſt apud Brigittam[1], *exercent eccleſiæ prouiſores: In carne vitam meretricalem habent: ſecundo ſunt inſatiabiles, ſimiles voragini maris, ad cupiditatem pecuniæ: tertiò, bona irrationabiliter & prodigaliter, ſicut torrens in impetu ſuo aquam fundens, pro ſuperbia largiuntur. quorum horribilia peccata in cœlum aſcendũt ante conſpectum Dei.* [1] 3. Brigitta 10.

Deus apud [2] Catharinam Senenſem dicit *prelatos non intelligere ſacram ſcripturam, & vacuos ſapore diuino, repleri immunditia, inſcitia, cupiditate, curioſitate, & auaritia.* [2] C. 124.

O quanta, inquit [3] Vinçentius, *nunc eſt obduratio in eccleſia Dei! prælati ſunt ſuperbi, vani, pompoſi, ſimoniaci, auari, luxurioſi, qui finem in terrena menſura ponunt, curam eccleſiaſticam negligunt.* Epiſcopus [4] Chemenſis *paucos eſſe dicit in Alemania curatos, qui non fœtore concubinatus marceſcũt.* Sed neq; regulares mores habuêre ſanctiores. Brigitta de monachis verba faciens: *Caro eorum* [5] inquit, *voluptati dedita igne concremabitur abſque miſericordia. plagabuntur à dæmonibus.* [6] Catharina Senenſis dicit, *religioſos eſſe facta arma diaboli, corrumpentes religionem. De moribus monialũ peruerſis*, [7] inquit epiſcopus Chemenſis, *nõ audeo, imò pudeo, quæ ſuſpicor dicere.* eorũ ille monaſteria dicit *adeò eſſe propatula, vt ipſa loca Veneris proſtibulo ſint ſimiliora, quã Dei ſacrario. hinc* inquit, *pcacitas ſtuprũ, inceſt⁹ mulierũ ſacra-*

[3] In ſpeculo humana vita.

[4] Onus eccleſia cap. 22.

[5] 6. Brigit. 5.

[6] C. 125.

[7] Onus eccleſ. c. 22.

tarum, hinc quoq; verenda ſcandala, & offen-dicula oriuntur quam plurima.

Atque hæc olim fuerunt. Nunc autem omnia facta ſunt deteriora, vt eorum agnoſcit conſcientia, qui Maſſilienſes & Sybariticos Italorum, & Hiſpanorum, & aliorum papiſtarum norunt mores. [s] Budæus *in epicureiſmum* prolapſos dicit: eos enim qui viam iuſtitiæ præmonſtrare debuerunt, *vincere peſſimum quemque è populo auaritia, crudelitate, ſuperbia, ambitione, crapula, luxu, ſpurciſſimis libidinibus, & omnibus aliis ſceleribus quæ in vita hominum graſſantur.*

[s] *De aſſe.*

Hęc nos contra Reginaldum, Giffor. & papiſtarum turpiſſimos mores & luxuriam nefandam validiſſima habemus argumenta, & teſtimonia omni exceptione maiora; quibus niſi aduerſarii fidem adhibeāt; ſibiipſis, & ſuis pontificibus & prophetis omnē fidem abrogant. At contra nos nihil tale proferre poſſunt. euomunt quidem multa maledicta, & amarulento ore nobis obloquuntur: ſed cum ad probationes ventum eſt, aut teſtimonia proferunt à cauſa prorſus aliena; aut teſtes tenues, egenos, mendicos, mercede ad male loquendum conductos, patriæ proditores, ganeones quibus aut mentiendum erat, aut fame moriendum. Atque hos è propriis ſubſelliis excitant, qui aduerſus nos altum obganniant. Primus in ſcenam producitur Archibaldus Hamiltonus, è Scotia transfuga; religionis apoſtata, ho-

ta, homo ineptiſſimus. [1] dicit ille *miniſtros Scotiæ nouas quotidie artes excogitare, quibus carnem irritent, atque incendant, & ad macerandas carnes pipere pro ſale vti.* at adeo illis anguſtæ ſunt res domi vt de vita potius, quā de voluptario hoc victu cogitent. valdè veriſimile eſt ergo eum hæc in pigues abbates & cardinales meditatum eſſe, & poſtea trāsfugientem ad hoſtes, in ſuos populares homines continentiſſimos intorſiſſe. [2] Aſſerit præterea *miniſtros Scotos docere, neceſſarium eſſe Veneris vſum, & viris octogenariis vxores dandas eſſe.* quod ante iſtum ſcurram nemo vnquam dixit: nec ſane veriſimile eſt. nam vt neminem excludimus à nuptiis, ita neminē hortamur ad nuptias, qui quidē donum habet continentię.

1 *In lib. de confuſ. Caluin. apud Scotos. p. 234.*

2 *Ibid. p. 249.*

Secundę partes *Bolſeco* tradūtur, & *Lanoio*, apoſtatis à fide, & ſcurris leuiſſimis. illi multa in Caluinum & Bezam ſtipendio cōducti declamant, & nefanda quęque in eos crimina intorquent. ab iſtis Schluſſelburgius, & alii multi materiam calumniandi acceperunt. Sed aduerſus omnia ipſorum crimina, breuis eſt reſpōſio: Nihil credēdum eſſe teſtibus conductis, & ex aduerſatiorum domo productis. Pręterea, vt aliquam mererētur fidem; tamen cum non afferant rationē dictorum, nihil agunt. Caluini & Bezę innocentiam & ciuitas Geneuenſis, & omnes quibus illi noti erant, teſtantur. Epigrammata ſua edidit Beza cum adhuc ipſe in pa-

piſtarum ſordibus hæreret, quæ ipſe primu condemnauit, licèt ea papiſtis ſummè pla cerent.

Succenturiantur iſtis Villegagnonius Nicolaus Burnius & Czecanouius neſcio quis; omnes apoſtatæ à fide, & ſcurræ ama rulenti, quos miror nō plura in nos dixiſſe cum tanto ampliorem mercedem expecta rint, quāto nobis petulantius maledicerēt & tamen Villegagnonius nihil euomit con tra eccleſiam noſtram, ſed tantum contra a liquot è fęce populi nautas, & homines per ditos in Indiam nauigātes. Czecanouius bi bacitatem obiicit Germanis. ſed vitium il lud gentis eſt, à quo noſtri quotidie magi magiſque abhorrent: papiſtæ magis magiſ que in eo ſordeſcunt.

A tergo ſequitur Eraſmus. ſed huic con tra Lutherum ſcribenti non eſt de noſtri temere credendum. Præterea nihil ille par ticulariter dicit. tantum in genere more noſtrorum accuſat. quaſi verò non mult plura contra pontificum Romanorum & cleri & populi Rom. mores [3] dixerit.

[3] Libro de amab. con-cord.

[4] Caluino-turc. p. 228.

Poſtea verò Anabaptiſtarum furores, ne dum hæreſes nobis [4] obiiciunt; & Rotman ni, & Ochini opiniones de polygamia fus narrāt. ſed Anabaptiſtis anathema dicimu Rotmannū iuſtè propter ſcelera cęſum fate mur. Ochinum ſuas hæreſes inter papiſta didiciſſe putamus. ad nos iſta nihil attinen Neque obſtat, quod Rotmannus & Och

nu

nus aliquando à noſtris partibus ſteterunt. erant enim aliquando Papiſtæ; qui tamen eorum ſcelerata dicta & facta non defendunt.

Pugnant præterea [1] teſtimonio publico contra quandam Henrici octaui vxorem. ſed meminiſſe debent ea omnia ab aduerſariis in perniciem Reginę innocētiſſimę fuiſſe excogitata. [1] *Parl. Henr. 8. anno* 28. & 33.

Vt oſtendant nos voluptatibus carnis eſſe deditos, in cibo & potu nos intemperantes eſſe docere conantur. quoſdam enim lagenarum habere præfectos: & Caluinum pane vſum confecto. ſed ridiculè hæc dicuntur. nam fortaſſe qui potus ſui curam tantum habuere, non erant è noſtris: & Caluinus pane illo non ad voluptatem, ſed ad medicinā vſus eſt. Sed quid iſti nobis luxū in victu obiiciant, cum plus Leo [2] decimus in coronatione profuderit, quàm multi è noſtris, qui maximè abundant, per totam vitam? Alexander ſextus etiam lagenas vini obſignatas ſecum circumtulit. vnde errore miniſtri, venenum aliis paratum hauſit. adeò vt ſi hoc ſit Turcici luxus ſignum, illum luxurioſum fuiſſe Turcam neceſſe fuerit. [2] *Speſe nell in coronatione ſua* 100. *millia ſcudi. Guicciard.*

Inuehitur in corruptos ſuorum mores Iacobus Smidelinus: quod fortaſſe nonnulli apud nos faciunt. at qui apud nos ſunt corruptiſſimi, præ Italis & Hiſpanis ſunt ſanctiſſimi, & temperantiſſimi: & licèt inter nos viuant, non tamen ſunt è noſtris.

Poſtremò, producunt contra nos noſtrorum hominum ſcripta. ex Lutheri [3] cõmentariis probare conantur polygamiam eſſe rẽ liberam. at ille diſertè contrarium docet. *Vetus*, inquit, *Teſtamentum polygamiam liberorum causa permiſit*, & c. *ſed iſta ceremonialia, ſeu legalia ceſſarunt*. In [4] propoſitionibus ſuis de digamia loquitur ex ſuppoſitione, & dicit *ſcandalo prohiberi epiſcopum plurium vxorum virum apud gentes, non autem apud Iudæos, vbi licitum erat, nempe ſi cõcederemus nullum ſcandalum ſequi.* Proferri etiam ſolet alius locus, vbi fingunt aduerſarii [5] *Lutherum vel diuortium probare, vel adulterium, vbi vxor obſtinato animo debitum reddere recuſat.* ſed certum eſt cum loqui de diuortio, legitimè facto, vt etiam in 1. Cor. 7. verſ. 11. vbi exiſtimat *pertinaciam, & deſertionem vxoris, legitimam eſſe diuortii cauſam.* Sed nos aliter ſentimus. nec reprehendendi ſunt omnes, qui de diuortiis aliter, quam canonici iuris interpretes ſapiunt. adulteria ſanè vltore ferro, & fornicationes grauiſſimis pœnis noſtri perſequuntur. caueant ergo impuri papiſtæ, ne per fines noſtros trãſeant. nam quæ papiſtis ſunt ludus & iocus, Germanis & Geneuenſibus ſunt capitalia.

Ex ſcriptis Melanchthonis & [1] Buceri [2] colligunt *illos probaſſe diuortia propter ſæuitiam.* quaſi verò non & papiſtæ illud probent, & ius exigat in litigiis & rixis remedium. vinculum tamen Matrimonii nec Melãchthõ, nec

[3] *In cap. 16. Geneſ.*

[4] *Propoſit. 82. & ſeq*

[5] *Serm. de matrim.*

[1] *In cap. 19. Math.*

[2] *In Calui. not. p. 240, & 245.*

nec Bucerus hoc diuortii genere diſſolui putauit.

Varia etiam doctorum noſtrorum nomina [3] citant, quos docuiſſe cõtendunt, *propter peruicaciam, ſeu melancholiam licere viro vxorem dimittere.* ſed niſi verba legamus, quod aduerſariis fidem adhibeamus, nulla ratio facit. de nuptiis & diuortiis multa noſtri ſanctius & acutius ſcripſere, quam aduerſarii. [3] *Ibid.p.243. & 244.*

Sed non miror iſtos reprehendere crebra diuortia, cum ſecundas nuptias vellicẽt, & epiſcoporum vel primas nuptias fornicatione deteriores eſſe doceant.

Atque hæc illa ſunt crimina, quibus freti Turciſmum nobis obiiciunt. neque enim nuptias ferunt epiſcoporum, quos tamen vnius vxoris viros eſſe voluit [4] Apoſtolus. [4] 1.*Tim.* 3. nec ſecũdis nuptiis benedictionem impertiunt, cum tamen [5] Apoſtolus *mulierem viro mortuo liberam eſſe pronuntiet, vt cui velit, nubat, modò in Domino.* [5] 1.*Cor.*7. In noſtris etiam verba de diuortiis temerè emiſſa pro factis habent; iidemque in noſtris oculis feſtucam leuiſſimam vidẽt: ſed ſi trabes in oculis ſuis, & ſordes ſuorum hominum viderent, hunc omnem de luxu & intemperantia morum ſermonẽ miſſum feciſſent. nam ſi Turciſmi argumentum ſit morum intemperantia, & ſpurcitia; tum iſti in Turciſmo ipſos ſuperant Turcas.

Cap. VI.

De ieiunio quadrageſimali, aduerſus libr. 2. c. 12.

DE Luthero multa garriunt Turcopapiſtæ. ſuperioribus duobus capitibꝰ Turcico habitu induti fortiter pro papiſtis aduerſus ipſum prœliati ſunt. hoc loco rurſus Turcæ iſti Lutherum, velut imperio Turcico vtilem, ſummè laudant. ita ex eodem ore calidum & frigidum efflant. Poſtea verò ad vomitum reuerſi, ipſum, quod quadrageſimam ſuſtulerit, vituperãt: ἀτεχνῶς ὥσπερ ὁ Πρωτεύς, vt inquit [1] Plato, ἄνω καὶ κάτω στρεφόμενοι. Nihil ſanè ſcribi potuit ineptius. nã ſi talis erat Lutherus qualem prædicat Michæas, cur illum laudat? ſi tantum commodum attulit regno Turcico, & à moribus eorum non abhorruit, cur eum vituperat? cur nunc laudatur, nunc ab eodem vituperatur?

[1] *In Ione.*

Quo teneam vultus [2] *mutantẽ Protea nodo?*

[2] *Horat. epiſt. 1.*

Verum vt hanc orationis inconſtantiam miſſam faciam; non minus in rebus ipſis aduerſarii peccarunt neque enim laudes illas Lutheri agnoſcimus, nec reprehenſiones aduerſariorum vel pili facimus. *Solitus eſt*, inquiunt iſti, *Solymannus Lutheri doctrinam non leuiter commendare.* at nos potius credimus illos hæc finxiſſe, vt doctrinam eius papiſtis odioſam redderent. nam hoc crebrò facere ſolẽt. nec ſanè veriſimile eſt, Turcas, qui omnes nos hoſtium loco habent, de doctrina noſtra futuros fuiſſe ſolicitos. Aſſerũt

præ-

pręterea, Lutheri *operâ diſtractis Chriſtianorum animis, Ludouicum regem Hungariæ amiſſo exercitu cæſum, & Hungariam amiſſam fuiſſe.* ſed ridiculè hęc Luthero aſcribuntur. multo .n. maiorem iacturam fecerant Chriſtiani ante tempora Lutheri, amiſſo regno Cõſtantinopolitano, & magna *Europæ* parte. Illa aũt omnia contigerũt partim malitia, & auaritia pontificum Rom partim diſcordia principũ Chriſtianorum, quam illi inflammabát. Ludouicũ verò Hungarię regẽ Vayuoda Hungarus [2] oſtendit à Ferdinando ſororio ſuo, qui eo mortuo regno Hungarię inhiabat, & à papiſtis proditũ. Hungaria magna ex parte amiſſa eſt, cõtendentibus Gallis & Hiſpanis de ducatu Mediolanenſi, põtifice Rõ. velut laniſta illos cõmittẽte. interim pontifex Rõ. graſſante Turca, exitiũ piis molitus eſt, quos conſtat aduerſus Turcã ſẽper ſe murum ꝓ Germania oppoſuiſſe, & in bello aduerſus eum gerendo fuiſſe promptiſſimos. Neque tantum Hungaria, ſed magna etiam Chriſtiani orbis pars pontificum Rom. culpa, ne dicam ſcelere, amiſſa eſt. Ex defectione Italorum ab imperatoribus orientis, quæ authoribus Gregorio 2 & 3. [3] accidit, vires imperii Rom. acciſæ ſunt. eorum ſuperbia & auaritia ſchiſmati Græcorum, vnde tot mala orta ſunt, [4] cauſam dedit. Gregorii noni, & Innocentii quarti aduerſ⁹ Fridericũ ſecundũ ꝑfidia & malitia, & [5] Damiata amiſſa eſt, & Chriſtianorũ in oriente

[2] *In querela ad ordines imperii. Sleid. lib. 6.*

[3] *Platina in Gregor. 2. & 3.*

[4] *Matth. Paris in Henr. 3.*

[5] *Ibidem.*

exercitus cęſus. Imperatores Germanię pōtificum odio ſubacti, Turcis facilem dedêre victoriam. Dum Italia & Germania bellis à pontifice Rom. excitatis arderent, regnum Conſtantinopolitanum amiſſum eſt. per illos etiam ſtetit, quod Rhodiis nulla auxilia ſubmiſſa ſint. Rectè ergo [6] Petrus de Ferrariis dicit, *ipſos deſtruxiſſe & annihilaſſe ſtatū imperii, & omnium laicorū. Martinus*[7] *Meyer* dicit, *Germaniā, olim mūdi dominā, a papa eſſe expilatā, & decaluatā, & in ſeruitutē redactam.* Hoc ergo nomine *Mœnardus* Tyrolēſis apud [8] Auentinum pronuntiat, *eos eſſe peiores Turcis, Saracenis, Tartaris, Iudæis; & plus his omnibus Chriſtianæ ſimplicitati officere.* non Lutheri ergo, ſed pontificis Rom. culpa Chriſtianorum rẹs labefactatæ ſunt.

6 In practic. in forma libelli quo agitur ex ſubſtit.

7 In epiſt. apud Æneam Siluium.

8 Annalium lib. 7.

Queruntur etiam perſonati iſti [1] Turcæ, *ieiunium quadrageſimæ, quod tam ſanctum eſt, tam propheticum, tam Apoſtolicum, tam Chriſtianū, à nobis abrogatum eſſe.* quaſi verò Turcę laborent de quadrageſimę ieiunio ritu papali obſeruando. Prętereà falſum eſt, quadrageſimam vel à Prophetis, vel ab Apoſtolis obſeruatam fuiſſe. Prophetas eam nō inſtituiſſe certum eſt, quia nec Iudæi vnquā leguntur eam obſeruaſſe, nec aliquod proferri poteſt eius inſtituendę mandatum. Nō eſſe Apoſtolicam obſeruationem Auguſtinus docet. [2] Negat enim Apoſtolos, *quibus diebus ieiunandum eſſet, præſcripſiſſe.* hoc etiā ex Tertulliano colligitur. *Ex arbitrio,* [3] inquit

1 Caluinot. p. 267.

2 Epiſt. 86.

3 Aduerſ. Phychicos.

quit ille, loquens de Chriſtianis, *nō ex impe-*
rio nouæ diſciplinæ pro temporibus, & cauſis v-
niuſcuiuſque ieiunabant. Nec contra nos fa-
it vel exēplum Chriſti, vel Moyſis, vel He-
liç. quis enim abſq; miraculo eo modo ieiu-
are poteſt? Chryſoſtomus diſerte [4] oſtēdit [4] *Matth. 4.* hom. 47.
Chriſtum non iuſſiſſe, vt ipſius ieiunium imita-
emur. imò papale ieiunium quadrageſima-
e diuerſum eſt à quadrageſima, quæ à Chri-
ianis olim obſeruari ſolita eſt. Chriſtiani
nim primi nec ſabbatis, nec dominicis die-
us, ieiunare ſoliti sūt: vt ex Ignatii, & cano-
um [5] Apoſtolicorum, & ſextæ [6] ſynodi te-
imonio liquet. *Si quis dominicū diem,* aiunt [5] *Can. 65.* [6] *Can. 55.*
anones Apoſtolorum, *aut ſabbatum, vno ſo-*
dempto, ieiunauerit, deponitor: ſin laicus, è
ommunione eiicitor. pręterea non habuère
tata ieiunādi tempora. *Statas enim ieiunio-*
ū ſolēnitates primus [7] *Montanus introduxit.* [7] Euſeb. lib. 5. c. 26.
Non erat deniq; quadrageſimalis ieiunii o-
im certum tēpus, nec certa ratio pręſcripta.
nam aliqui *huic ieiunio hebdomadas ſeptem* [8] [8] *Socrat. lib. 5. c. 21. Sozō. lib. 7. c. 19.* Niceph. lib. 12. c. 34.
ribuebant, vt Conſtantinopolitani, & nationes
diacentes vſq; ad Phœniciā: alii ſex, vt Illyrii
& occidētales reliqui, vniuerſa itē Lybia, Æ-
yptus, & Palæſtina: alii tres tantū, alii duas. [9] [9] Euſeb. lib. 5. c. 26.
renęus oſtēdit magnā fuiſſe in ieiunādo va-
ietatē. *alii enim a vino abſtinebant, alii auiū*
arnibus veſcebantur. At papiſtæ & dieb. do-
minicis, & ſabbatis ieiunant, & ſtatos ſeruāt
dies, nec quadraginta dies excedunt, vel de
is demunt. iidē pręterea vino ſe ingurgitāt,

& à carnibus tantum abſtinent, atque in e[a]re potius Manichæos, quam Chriſtianos imitantur [1] Manichęi enim *à carnibus abſtinentes, frugum delicias in ieiuniis adhibebant*, papiſtę prętter fruges ſolent piſces delicatiſſimos adhibere. Nihil eſt ergo, quod de ſuo ieiunio quadrageſimali papiſtæ glorientur, cum eorũ ieiuniũ à ſaturitate nihil differat. Verum vt peccarent illi, qui quadrageſimæ ieiunium intermiſerunt; quid hoc ad nos, qui hoc eccleſiæ Anglicanę præcepto obſeruamus? reſpondent iſti, *pleroſque illud præceptũ violare*. quaſi verò papiſtæ religioſe illud obſeruent, cum ex diſpenſatione, quã pro tribus aſſibus comparant, carnes comedant, & piſcibus vſque ad vomitum ſaturentur. Significant etiam nos *non credere conſcientiã teneri ex tranſgreſſione obſeruationis huius ieiunii*. certè. nam niſi aliunde oriatur peccatum ex contemptu magiſtratus, aut eccleſię, non eſt peccatum carnes comedere. neq; enim regnum cœlorum eſt in cibo aut potu. neque illi ieiunant, qui vt à carnibus abſtineant, vino & piſcibus ſe ad ſaturitatem implent, & ſaginant.

[1] *Auguſtin. de morib. Manich. lib. 2. c. 15. & 13.*

Poſtremò, quorſum hæc tam futilis, de quadrageſima confabulatio? num illi, qui non obſeruant quadrageſimam, ad Turciſmum inclinant? nequaquam certè. nam ab eis declinant potius, qui ab inſtitutis eorum abhorrent. illi autem, qui cum Turcis ſimiles habent ritus, ad eos propius inclinant.

At di-

t dicent fortaſſe aliqui (nam aduerſarii nõ
nt adeo ſapiẽtes, vt aliquid opportunè di-
nt) *vos nõ obſeruatis quadrageſimã, quam*
ſeruant Turcæ; ergo eis deteriores eſtis. certè,
mandatum aliquod diuinum violaremus,
uod illi ſeruarẽt: quod papiſtę in colẽdis i-
olis faciũt. at proferre debẽt Turcopapiſtę
i mãdatũ de quadrageſima. prętereà oſtẽ-
re oportet Turcas hoc mandatum ſerua-
, & ſe Turcis in rigida quadrageſimę ob-
ruatione præſtare. at hæc omnia in hac
uſa papiſtis deſunt. nullam proferunt le-
m de quadrageſima. deinde ieiunium il-
d Turcicum, quod aduerſarii quadrage-
nam vocant, triginta fere dierum curri-
lo abſoluitur, & alio anni tempore ob-
uatur. poſtremò,[1] Turcę tempore ieiunii
abſtinent à vino, & omni cibo. iidemque
emoſynas faciunt, & tẽpla frequẽtant. at
piſtę vinũ tunc auidè hauriunt, & piſcatu
ſtili ſaginantur, & eo tẽpore monachi &
ifici puellis inſidias faciunt. In capite ie-
nii laruati, vt olim in Lupercalib⁹ ethnici,
currunt; eleemoſynas parcè faciunt. põti-
autem in feſto annũciationis, vbi neſcio
id eleemoſynę facit, tubarum clangore
neficentiã & liberalitatẽ ſuã proclamari
it. quicquid ergo de quadrageſimali ieiu-
o dicunt aduerſarii, hoc aduerſ⁹ eos facit.
d Turciſmum accedunt, qui eoſdẽ colunt
us; tũ papiſtę non lõgè abſunt à Turciſmo.
Turcis ſunt deteriores, qui minus religio-

[1] *Theuet. coſmogr. lib. 8. c. 8.*

oſè, quàm ipſi ieiunant; tum ipſi ſunt Tur multò nequiores. atq; ita plumbeo ſuo g dio ipſi confoſſi iacent.

Cap. VII.

Refelluntur Turcicæ Giffordi aduerſus cœn Domini blaſphemiæ.

DE Miſſa Papiſtica non puto Turcas a modum eſſe ſolicitos. quanta ergo G fordi eſt ſtultitia, qui Turcam pro Miſſa P piſtica nobiſcum litigantem introducit? S fortaſſe cæſis, & fugatis pontificis Rom. c piis, Turcarum auxiliis prelium redinteg ri poſſe putat. age ergo: audiamus Turcic de miſſæ ſacrificio ſententias. Primò *miſſ ſacrificium eſſe pronuntiat*. deinde, aſſerit *ea ſacrificari non panem & vinum, ſed carn & ſanguinem.* poſtremò, *non creaturam, ſ creatorem ſacrificari* [1] *contendit*. quæ ſanè omnia papiſmum olent, vt non dubitem ſ Turcica perſona latêre blaſphemũ apoſ tam, & Papiſtam. De re pauca reſpond neque enim multis opus eſt ad has inepti imo & blaſphemias redarguendas. Si mi ſit ſacrificium, tum inperfectum erit vnicu illud Chriſti in cruce peractum ſacrificiu & tot erunt ſacrificia locis & temporibus ſtincta, quot miſſæ. Si caro & ſanguis ſacri catur, tum erit cruentum ſacrificium. neq enim cum Epicuro (credo) dicent, ſuum D um panaceum habere *non ſanguinem*, *quaſi ſanguinem, non corpus, ſed quaſi corpu*

cre

1 *Papiſtæ ſe ſuum creatorem ſacrificare dicunt.*

2 *De natur. deor. lib. 1.*

creator ſacrificatur in miſſa, tum mactatur; quod de omnium rerum creatore affirmare blaſphemũ eſt: & adeo abſurdum videtur, vt nihil ſit in Saracenica perfidia magis. neque per communicationem idiomatum dicatur Deus cruci affixus: par eſt ſacramenti ratio. nam cum ſacramento pariter ac cum humana natura non eſt coniunctus hypoſtatica vnione.

Dicit præterea, *miſſam eſſe operoſum ritum, & eâ peccata redimi.* quorum primum non negamus. nam opus illud miſſę nõ niſi multis ſeculis conſarcinari & abſolui potuit. ſecundum blaſphemum eſt. nam ſi miſſa ſit redemptio, tũ miſſificus erit redemptor: & vnici illius Chriſti ſacrificii effecta ad nouas hominum inuentiones transferentur. denique oportet papiſtas miſerrimos eſſe, qui a miſſa ſua redemptionem exſpectant, cuiuſmodi flagitium nec Turcæ faciunt, licèt homines alioqui impii & blaſphemi.

Multum verò laborans reperire non poteſt, quid tandem ſit miſſa. hoc ergo, vt aliquam apud Giffordum gratiam ineam, ego dicam. *Miſſa eſt drâma comicum, theatri ludibrium, pontificum Rom. ſomnium, ſynagogæ Rom. propudium, diaboli trophæum, abominatio deſolationis, Chriſtianæ religionis corruptela, ſuperſtitionis omnis & idololatriæ compendium.* In ea eſt vanitas & mendacium, turpis quæſtus, cultus idolorum, ſacrilegium fœdum, horrenda blaſphemia. Miſſa quid.

ſimius ineptiſſimus myſteria paratragœ
at; pontifex Rom. quæſtum facit; ſpec
& ſtupet indocta plebs; offenduntur v
boni; Turcæ à fide auertuntur; [1] ſacerdo
ſibi munus mediationis inter Deum & eccl
am vendicant, quod ſine ſcelere, & blaſph
mia fieri non poteſt; ex pane & vino corp
& ſanguinem Chriſti, vel verius idolu
ex ſynaxi ſacrificium propitiatorium pro
uis & defunctis faciunt; corpus Chriſti, q
ſi non ſatis ſanctum eſſet & acceptum ex
orationibus *iſti ſanctificare & acceptu*
facere [2] *præſumunt*; ſacrificiũ hoc ſuum m
ritorium gratiæ & ęternę vitę eſſe dicu
populo ſacramentũ calicis auferunt; corp
dominicum nõ diſtribuunt, mortem Do
ni nõ annunciant; presbyteri, vt plurimu
parum intelligunt, populus ferè nihil. m
ſam tamen, tanquam proſtibulum viliſſim
pro exigua mercede cuiuis vendunt.

[1] *Biel. lect. in canon.*

[2] *In canon. Miſſæ.*

Cum iſta ergo videant & intelligant; n
hil ſane habent, cur noſtræ eccleſiæ in m
ſteriorum celebratione morem Turcop
piſtæ ſcelerati contemnant. nihil enim o
ſimus quod Chriſtus cœnam ſuam inſtitu
mãdauit. nihil adiunximus diuinis inſtitu
repugnans. ſacramẽta epiſcopi aut presb
teri conſecrant, integra ſumunt, integra d
tribuũt, mortẽ Domini annuntiant. in ſacr
mẽtis conſideramus, & ſymbola & rẽ ſacr
mentorum. ſymbola omnes percipiun
rẽ ſacramenti ſpiritualiter recipiunt omn
dig

digne communicantes. cum digne communicantibus Deus fœdus ſtatuit. & propterea de ſanctiſſimis iſtis myſteriis religioſe ſentimus & loquimur: eorumque ſententiam, qui aliter faciunt, condemnamus.

At, inquit Micheas, & cum Michea Turca conſentiens Giffordus, *vos nihil habetis niſi panem & vinum.* atque hæc illi blaſphemo ore vocant *morſiunculam panis cibarii, & e cupa vulgari vinum rancidum: & fruſtulum panis, & hauſtum vini.* quæ omnia in contumeliã cœnæ dominicę, & ipſius Chriſti Ieſu cœnæ huius authoris redundant. Nã quemadmodum ipſe inſtituit, ſic & nos ſeruamus: libenterq; papiſtis relinquimus põpam illam, & ornatum theatricum. non curamus lumen, nec aquas luſtricas: reliquas abominationes etiam deteſtamur. In eccleſia Heluetiorum & Geneuenſium, nihil non decenter fit. ſacramentorum doctrina accurate traditur; ſymbola cũ gratiarũ actione reuerenter ſumuntur. Cõpara nunc viciſſim cum communione noſtra miſſæ papiſticę actionem. Ibi nihil niſi ſanctum & ſolene reperietur: in miſſę actione omnia cõtraria ſunt. ſacrificus ridiculũ ſe omnib. præbet ſuis hiſtrionicis geſticulationibus: nihil docet ille, nihil diſcit populus, ſæpe nullus pręter puerum adeſt. qui adſunt, aut alias res agunt, aut ſtupore defixi ſtant. mens inanis manet: oculi & aures ſonis & ſpectaculis tantum ſatiantur.

Dicit præterea Turcica tiara caput orna-
tus Giffordus, Zuinglium exiſtimaſſe *cœn*
nihil aliud eſſe, quam ſolenne charitatis ſym
bolum: & Bullingerum negare virtutem eſſ
in recitatione verborum. ſed nec Zuingliu
omnes cœnæ effectus eo in loco perſequi
tur, nec reuerentię myſteriorum aliquid de
traxit Bullingerus; aut Caluinus, aut quiſqu
noſtrûm. Nemo ſanè tam blaſphemus fuit
vt corpus Chriſti vel dentibus impiorum at
teri, vel in beſtiarum ventriculos traiici poſ
ſe exiſtimaret. at hæc papiſtæ docent, & de
fendunt, iniuria nō modò ſanctiſſima ſacra
menta, ſed etiam corpus Chriſti ſacroſancti
afficientes.

Aduerſus *Petrum Martyrem*, & *Muſcu*
lum ſtomachatur, *quod exiſtimarint & do*
cuerint veteres ante Chriſtum habuiſſe ſacra
menta, quoad efficaciam, cum noſtris paria
ſed non mirum, ſi Turcæ diſplicuerit apo-
ſtolica doctrina. *Omnes*, inquit [9] Apoſtolus
[9] 1 *Cor.* 10. *eundem cibum ſpiritualem ederunt, omneſq*
eundem potum ſpiritualem biberunt. Schluſſel
burgius etiã huic ſuffragatur, & cœnã Domi-
ni à noſtris adminiſtratam *ruſticã compota-*
tionem, & quotidianam comeſſationẽ appellat
ſed multò ille melius famę ſuę conſuluiſſet,
ſi aliunde, quam ex obtrectatione fratrum
ſuorum gloriam quæſiſſet. tam ipſe, quam
Giffordus, aliquando de iſtis blaſphemiis ra-
tionem reddet. Lutherum aduerſus fratres
ſuos orthodoxos tam acerbè loquutum do-
lendum

lędũ eſt: ſed non omnia omnib. Deus dedit.

Reprehendit etiam varietatem rituum in cœna Domini adhiberi ſolitorum. ſed cum de ipſa re conueniat, non multum intereſt, ſi aliis atq; aliis ritibus pro locorum & temporum ratione, vtamur. cur papiſtæ nobis hanc diſcrepantiam rituum obiiciant, nihil eſt cauſę, cum ipſi in ipſis reb. ab inſtitutione Chriſti, in ritibus ab Apoſtolica diſciplina diſceſſerint, & in Paſchatis obſeruatione, & aliis ritibus ad Iudaicas & Turcicas cęremonias acceſſerint. Præterea, *cœnã Domini a nobis celebratam Thyeſtis cœna funeſtiorem* dicere non veretur. ſed oblitus eſt, quid ſui ſodales de iſto ſacramẽto doceant. nec meminit eos affirmare, *ſanguinẽ & carnem Chriſti a ſe ore percipi*, vnde conſtat ipſos eſſe carniuoros & anthropophagos, & cœnas cœnare Thyeſteas.

Poſtremò, multis vndique conquiſitis de paſchate Turcico narrationibus, craſſum nugamentorum volumen Giffordus & Reginaldus conficiunt λίνον λίνῳ, quod dici ſolet, συνάπτοντες. ſed hęc ad nos nihil attinent. Turcæ enim conuiuium paſchale celebrant: nos nec conuiuamur, nec paſchatis Iudaici ritus referimus, ſed myſteria ſacra participamus. Ad papiſtas verò iſta non malè accommodari poſſunt. ipſi enim tum lautè conuiuantur, & paſcha celebrant: & vt tunc Turcarum ſummus pontifex excommunicationis ſententiam profert in legis Mahometanæ

tranſgreſſores; ſic *Calipha* papiſtarum pōti fex Rom. bullam in cœna Domini, vt vocāt ſeu potius execrationis ſentētiam in omne canonum pōtificiorum violatores pronun tiat. idē etiam candelis extinctis, & tormēti bellicis diſploſis, ſe Turcico odio aduerſu Chriſtianos præcipitem ferri demonſtrat.

CAP. VIII.

De cantu Pſalmorum, & canone ſcriptura rum, aduerſus lib. 2. c. 14.

MAgnum ſcilicet, & inuſitatum facinu à nobis admiſſum ſignificat Giffordu *quod Pſalmos Dauidis in ſermonē Anglicum cōuerſos rhythmicè ediderimus: ſimiliter enim feciſſe Mahometū.* Sed adeo ſunt iſtæ leue nugę, vt me in illis legendis & refutandis tē pus poſuiſſe ferè pœniteat. Primò, falsū e Mahometum ſcripturas metricè interpre tatū eſſe: nō .n. ille ſcripturas, ſed ſcripta ſu blaſphema metris cōplexus eſt: atq; vt pap ſtę, ſequentias ſuas, & fabulas in honorē pō tificum Rō. & aliorum ſanctulorum; ſic il metris nugas in ſuum honorem decanta præcepit. Deinde, nihil nos fecimus in ſcri pturis vertendis, niſi more & exemplo vete rum. *Apollinarius* carmine omnes Pſalmo interpretatus eſt, licèt Giffordus illud, v pote Gręcè indoctiſſimus, ignoret. ſcripſ etiam verſibus populi Dei hiſtorias. ἐν ἡρῴοις τὴν Ἑβραϊκὴν ἀρχαιολογίαν, inquit[1] Sozo menꝰ, συνεγράψατο μέχρι τῆς τοῦ Σαοὺλ βασιλείας. Ho etian

[1] *In proleg. ante Apollinar. & apud Sozom. & Socrat.*

etiam teſtatur Socrates. Chriſti paſſionem tragicè carminibus deſcripſit Gregorius [2] Nazianzenus. Eorum exempla *Sedulius*, & *Arator*, ſequuti, Euangelia, & acta Apoſtolorum carminibus perſequuti ſunt. Extant etiam veterũ hymni ſanctiſſimi, ex ſcripturis traducti, quos in eccleſiis canere ſolita eſt antiquitas. Præterea, hunc morem nos non à Turcis, ſed à Chriſtianis, qui hymnos olim canere ſoliti ſunt, traduximus: & propterea immeritò reprehendimur. At papiſtæ legendas ſuas, & fabulas rhythmo [2] ediderunt, & eas in Synagogis ſuis cantillant: quemadmodum fecit & Mahometus. Pręterea vt Poetæ Græci & Latini odas ſuas amatorias; ſic iſti legere & canere ſolent [3] rhythmos Italicos, & [4] Hiſpanicos, qui nihil aliud continent, quam impuros amores & fabulas. Laudant etiam Ioannis Caſæ ſodomiticas cantillationes. & hic noſter Giffordus, vt aiunt, olim ſolitus eſt oſtia meretricum Pariſienſium, occentare, homo amatorius, magis quam theologus. omnes denique miſſæ cantu, vt plurimum, rhythmico decorantur, ſolentque ſacrifici cantare, aut ſaltem (quia cantus non eſt porcorum, aut luporum) grunnire, & vlulare.

Reprehẽdit præterea Pſalmorũ verſionẽ à *Claudio Marotto* factã Gallicè, tanquã poetarum floſculis nimis ornatã. & hoc *Sleidani* teſtimonio probare conatur. Sed non dicit [5] Sleidanus eũ Pſalmos, ſed *Elegias ad imita-*

[2] *Chriſtus patiens.*

[1] *Ambroſii & Prudētii.*

[2] *Sequentiæ in Miſſal. & Breuiar.*

[3] *Petrarchæ & Arioſti.*

[4] *Boſcan & Arauſicana.*

[5] *Hiſtor. lib. 15.*

tionem Tibulli, Propertii, & Catulli edidiſſe. Diſplicet etiam ipſi omnis pſalmorum verſio in linguam vulgarē, & omnis cantus cōtra honorē pontificis Rom. cuperet enim ille ſcripturis vel ſepultis, vel in lingua ignota occultatis, laudes Dei ceſſare, & omnes Synagogas præconiis pontificis reſonare, & nihil legi niſi legendas fabuloſas & decretales papales.

De verſione Pſalmorum à Beza facta non miror ipſum male loqui, cum nullam criminationis aduerſus viros bonos anſam omittere ſoleat. nihil tamen admiſit Beza, quod non antea Chriſtiani poëtæ facere ſolent. At papiſtę, cum de Maria virgine canunt aut loquuntur, non tantum leuitatis, ſed blaſphemiæ crimē committunt. eam enim *glorioſam Dominam* [6] vocant, & *faciem eius eſſe* [7] *decoram nimis prædicant.* Quæ dicta ſunt de eccleſia, ea omnia ad diuam virginē trāsferūt: & *eius genas pulchras eſſe, ſicut turturis collum ſicut monilia, oculos velut columbarum* [8] *dicunt.* In legenda, varias narrant eius apparitiones, oſculationes, contrectationes valde indecoras. in altaribus pingunt & fingunt eam in habitu laſciuo, & turpi. atque hæc oſtendunt eos vel Turcis eſſe magis blaſphemos.

Hoc etiam nobis vitio vertit Giffordus *quod Latinos ſcripturarum codices emendauerimus.* quaſi verò non ipſi etiam papiſtæ [9] emendauerint, & quotidie emendent: & non certum

[6] *In effic. concept.*
[7] *In Miſſali.*
[8] *In breui. Rom. in feſt. concep.*
[9] *Edit. Sixti 5. & Clement. 8.*

certum ſit in vulgata Latina verſione multa fuiſſe & eſſe errata, emendatione digniſſima. At *etiã in Græco*, inquit Gifford⁹, *Theodorus Beza ſe plurima errata correxiſſe teſtatur.* at illa errata librariorum erant, & non authorum, quæ ille ad exemplum antiquiſſimorum codicum fideliter correxit. qua in re, ſi ille reprehenſionem meruit, quid meruiſſe putamus illos qui originalibus ſcripturis fidem derogant, & impuras eſſe [1] cõtendunt, & corruptos codices probant; quique manibus impuris, patrum & aliorum authorum ſcripta truncare, mutare, & corrumpere non verentur?

[1] *Bellar. de codicib. original. libr. de verb. Dei.*

Progreditur poſtea mentiendo & dicit, *nos epiſtolas Ioannis duas, & Iudæ, & Iacobi ſingulas, & vnam Pauli ad Hebræos, velut canonica celſitudine indignas repudiare, & à ſcripturæ corpore reſecare.* Sed niſi & frontem perfricuiſſet, & conſcientiam habuiſſet cauteriatam, nunquam iſta de nobis affirmaſſet. apud nos enim omnes iſtæ epiſtolæ [2] declarantur eſſe canonicæ. ſed neque Germani eas ſimpliciter repudiant, ſed ab eis ſcripturis diſtinguunt, de quarum authoritate nunquam dubitatum fuit. De hiſtoria adulteræ Ioan. 8. nec nos, nec Germani, nec Beza dubitat. At, [3] inquit ille, *euangelium Lucæ apocryphis ſcripturis à vobis euidẽter annumeratur.* at niſi proferre verba noſtra, & euidenter hoc demonſtrare poſſit; erit hoc euidens hominis impudentis, & ve-

[2] *Articuli relig. in Synod Londinenſ.*

[3] *Caluino-turc. p. 290.*

ritatẽ furioſè oppugnãtis mendaciũ. videa-
m⁹ ergo hãc euidẽtiã. *Illos libros*, inquit, *quos
vetuſti patres nõ receperunt tãquã canonicos,
excluditis. nã ita dixit quidam veſtrûm in* [4]
diſputatione in turri Londinenſi habita. Sed
quid ſi negaremus nos ad ea prȩſtanda tene-
ri, quæ homines priuati dixerunt? nonne il-
li iter ad vlteriora interclusſum eſſet? certè.
ſed nos non negamus illum verum dixiſſe;
atque inde hunc fabulatorem amentiæ cõ-
uincere poſſumus. neque enim demonſtra-
re poteſt euangelium Lucæ à veteribus è li-
brorum canonicorũ catalogo omiſſum. At
inquit ille, *concilium Laodicenum cæteros
libros recenſens, Lucæ euangelium tacet.* Eſto.
nam ita eſt in epitome Caranzæ, quam ille
ſolam legit. at nihil hoc contra nos faceret,
cum ab aliis omnibus, qui aliqua de cauſa ca-
talogum librorum canonicorum ediderũt,
in canone numeretur. imò, & in canone
Laodiceni concilii, errore librarii potius,
quam aliqua pattrum culpa, Lucæ euangeli-
um omiſſum videtur. nam in editione [5] Co-
lonienſi eiuſdem concilii, diſertè inter ca-
nonicos libros enumeratur euangelium
Lucȩ.

*Machabæorum libros, & Baruch, duorum
tantum hominum teſtimonio confixos eſſe di-
cit.* at nos prȩter Hieronymum & Melito-
nem, ſententiæ noſtrȩ teſtes habemus Epi-
phanium, Auguſtinum, Gregoriũ, & ex ve-
teribus & recentioribus alios multos. *Iacobi
epiſto-*

[4] *Diſput. 4. diei.*

[5] *Tom. 1. concil. p. 227. ex editione Petri Crab.*

epiſtolam omnium ferè noſtrûm calculis damnari[6] *affirmat tanquam ſtramineã, impurã, nihil continentem apoſtolicæ puritatis, & euãgelicis, & Paulinis literis aduerſariam.* ſed niſi teſtes proferre poſſit, & noſtros huius criminis conuincere, omnes eum velut impurum ſcurram, & ſtramineum diſputatorem explodent. Obiecit quidem hoc Luthero Campianus. ſed cum ad tabulas exhibendas ventum eſſet, homo amens elinguis factus eſt, & pudore confuſus eribuit. 6 P. 292.

Clebitio obiicit, *quod dixerit Matthæo & Marco plus credendum, quam Lucæ*; ſed per calumniam manifeſtam. ille enim nõ vnum alteri præpoſuit, ſed ita vnius euangeliſtæ verba explicanda cenſuit, vt à reliquorum dictis non diſſentirent. nõ oppoſuit, inquã, Matthæum & Marcum, *Lucæ*; ſed interpretationi aduerſariorum ſupra verba Lucæ malè fundatæ.

Poſtremò, poſtquam multa nobis obieciſſet falsò & ridicule; in alteram partẽ transiens, & noſtras partes ſuſcipiens, pro nobis reſpondens, *Lucam cum apocryphis libris connumerari. quia nimis ſedulo prædicat bona opera*, aliaque multa dicit à noſtra ſententia alieniſſima. Sed nec accuſationes ipſius moramur, nec reſponſiones. nos enim neque *Lucæ* euangelium, nec *Iacobi*, nec *Iudæ* epiſtolam, nec apocalypſin *Ioannis* inter apocryphos libros numeramus. neque nobis moleſtum eſt laudari bona opera, li-

cèt hoc iſte præ ſe ferat; nec Turcis aut papiſtis decorum, qui nihil boni operantur, de ſuis operibus gloriari. Canonicis libris nos parem deferimus authoritatem, etſi non omnes omnia ſimiliter tractarint. Poſtremò, negamus vel ex *Luca* & *Iacobo*, probari perfectam operum iuſtitiam, qua homines iuſti ſunt coram Deo; vel ex apocalypſi, & libr. Baruch, inuocationem ſanctorum; vel ex libro Tobiæ cultum angelorum; vel ex libris Machabæorum, orationes pro defunctis. Bellarminus, aliique pontificiæ cauſæ patroni, licèt ſummo labore & acumine verba ſingula ad propoſitum ſuum accommodarint, fruſtra tamen ſudarunt. nihil eſt ergo, quod hic ſtipes obtuſus ſe effecturum ſperet.

Sed quorſum nos hunc fugitiuum transfugam nuſquam gradum conferentem, aut pugnam ſtatariam meditantem, ſed ſemper errantem & fugientem, perſequamur? certè ſi ad Turcicam vergant impietatem, qui de ſcripturis canonicis, & earum verſionibus malè ſentiunt; tum papiſtæ nō longè à Turciſmo abſunt. ipſi enim de ſcripturis malè loquuntur, & ſacros codices flammis [1] mandarunt, variiſque contumeliis affecerunt. ipſi ſcripturarum omne robur, quoad nos, à pontifice Romano ſuſpendunt, & parem libris apocryphis, & euangelio authoritatē tribuerunt. ipſi ſcripturas ad ſuas opiniones ſtabiliendas detorſerunt, & maiorem pontificis

[1] *Hiſtor. de temporib. reginæ Mariæ.*

tificis Rom. decretalibus fidem adhibuerunt, quam verbis ſcripturarum. ipſi denique ſcripturas, quantum poſſunt, occultant; & earum loco lectiones ex legendis apocryphis, & cantiones inſulſas in laudem ſuorum ſanctorum ſubſtituerunt.

Cap. IX.

Refelluntur Reginaldi & Giffordi aduerſus ſacrum miniſterium, liturgiam, & politeiam eccleſiæ Anglicanæ conuitia, & calumniæ, per lib. 2. cap. 15. 16. 17. & 18. variè ſparſa.

De miniſterio eccleſiæ verba facturꝰ Giffordus, exordium ſumit à templis, & ędibus ſacris. huic. n. & eius ſodalibus omnis eccleſiæ gloria in tectis, parietibus, columnis, imaginib. altaribus, luminibus, miſſaticis cęremoniis, & huiuſmodi reb. externis poſita eſt. Sed ſi illa religio pręſtantiſſima eſſet, quę tẽpla habet ſplendidiſſima, & luminib. & auro maximè colluſtrata, vt ille cõtẽdit; tum non Turcę tantũ, ſed etiã Gentiles & Pagani papiſtis longè pręſtarent. nam Feſſę tẽplum exſtructum eſt, Mahometanę impietati ampliſſimum, & magnificentiſſimũ; & *Conſtantinopoli* baſilicę extant admirando opere, & ornatu ſpectandę. Antiquitus etiam ethnici idolis ſuis inſanas ſubſtructiones fecerunt. Dianę Epheſinę tẽplum inter mundi miracula cenſębatur. Romæ diu excelluit templum Iouis Capitolini. poſtea immenſo ſumptu ædificatum eſt templum pa-

cis, & *pantheon*. Nos autem templis iam exſtructis, & modico eorum ornatu contenti ſumus. vbi autem lupi in caulas domini ſubingreſſi, Dei templa & paſtorum vſurpant loca; ibi ouibus Chriſti aliæ quærendæ ſunt ædes, vbi ad cultum diuinum, & officia Chriſtianorum publica peragenda tutò cõueniant. At, inquit [1] Michæas, *Templa diuino cultui deſtinata apud vos, aut iam collapſa ſunt, aut ea vos paulatim collabi, & in alios vſus conuerti ſinitis.* Sed nihil eſt quod tanto ſtudio Turcopapiſta iſte curet res alienas. ipſi enim papiſtæ & Turcę de religione & cultu diuino minimè omnium laborant, modò cutem rectè curent. ideò templa non rarò in arces verterunt, & temporibus Ioannis regis Angliæ, & ſchiſmatum Vrbani ſexti, & eius ſucceſſorum multa templa, & totus cultus diuinus per magnam Chriſtiani orbis partem [1] collapſus eſt. Nos quantū ſatis eſt templorum retinemus, & ea auguſtiſſima eſſe cupimus. Si quę autem alicubi militum furore ſuccenſa ſunt, illud nobis æquè, ac aduerſariis diſplicet.

[1] *Lib. 2. c. 15*

[1] *Vrſpergenſ. in Innocēt. 3.*

A templis deinde ad ſacros eccleſiæ miniſtros delabuntur aduerſarii. Sed nihil eſt, quod in noſtris contemnant raſi iſti & vncti ſacrifici, ſiue externum cultum & veſtitum, ſiue doctrinam reſpiciant. Reginaldus enim antequam ex amore inſaniens ad hoſtes trãsfugiſſet, noſtrę eccleſię erat, licèt eo loco indigniſſimus, miniſter: & æquè apud

nos

nos probauit veſtes miniſtrorum, vt apud aduerſarios, ornatum ſacrificorum. Præterea, & in cultu diuino, & in reliqua vita miniſtrorum apud nos veſtitus talis eſt, vt decorum maximè ſpectaſſe videamur: doctrina & eruditio talis, vt papiſtæ eam reprehēdere non poſſint. nec ſanè cauſa eſt, cur Cartwrighti, & huiuſmodi hominū accuſationē, vel nos metuere, vel aduerſarii multi facere debeant. nā vt nec veſtes, nec doctrina quorundā miniſtrorum ipſis placeret; nunquam tamen illi vel ornatum miniſtrorum veſtib⁹ papalibus poſthabuerunt, vel noſtros miniſtros illis inferiores eſſe dixerunt. Apud illos enim ſacerdotalis veſtitus in miſſa adhiberi ſolitus, ſuperſtitionem olet; lacerę autē lacernę ſacrificorum, miſeriam, & egeſtatem eorum clamant. Plurimi ex eis ſe ex mendicantium ordinibus eſſe fatentur. reliqui iſtis mendicis magis ſunt egeni.

Apud papiſtas verò eccleſiis pręficiuntur homines indoctiſſimi pariter & inſulſiſſimi, adeo vt rectè ad illos accommodari poſſit illud [2] Iſaiæ Prophetæ: *Speculatores eius cæci omnes; neſcierunt vniuerſi: canes muti non valentes latrare.* Et rurſus: *ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam.* Ipſis quidem data erat lex, vt eam populis enuntiarent: ſed vt ait Deus per [3] prophetam, *tenentes legem neſcierunt me.* Atq; hoc rei euidētia probat, & ipſi aduerſarii negare nō poſſūt. *Seculares,* inquit [4] Catharina Senenſis, *seducūtur à cæcis duci-*

[2] *Cap.* 56.

[3] *Hierē. c.* 2.

[4] *c.* 132.

bus, qui (proh dolor.) ſūt ignari idiotæ, præſumptuoſi, hypocritæ, auari, ſimoniaci, luxurioſi, inuidi. eadem dicit eos *ignorare ſpiritualia, & ſequi carnalia.*

5 *Onus eccleſ. c. 22. §. 7.* *In eccleſiis*, inquit epiſcopus [5] Chemenſis, *tam cathedralibus quam conuentualibus innumera committi ſolent ſcandala: vbi hodie plerumque faces mundi eccleſiaſticis gubernaculis præficiuntur, vtpote quibus mundus uti vel frui nequit.* Idem [6] aſſerit *epiſcopos non attendere, nec conſiderare habilitatem promouendorum, ſed indignos beneficiatos admittere abſque omni delectu, & debita examinatione.*

6 *Ibid.*

7 *C. 124.* *Prælati*, inquit [7] Catharina Senenſis, *ſunt veluti lucernæ ſuper candelabrum poſitæ*, &c. *ſed miniſtrant in tenebris, non intelligentes ſacram ſcripturam. nam vacui ſapore diuino, replentur immunditia, inſcitia, cupiditate, curioſitate, & auaritia.* Ioannes Picus in oratione ad Leonem 10. dicit, *Sacras ædes & templa committi, cum leonibus & catamitis, tum nefariis lupis.* Budæus *doctrinæ virtutiſque præmia & epiſcopatus in homines dixit cōferri ſtolidiſſimos, inertiſſimos, nequiſſimos.* Publicè etiā in cōuentu ordinum Galliæ, An. Dom. 1589. Blœſis habito, cōqueſtus eſt archiepiſcopus Bituricenſis, *homines indoctiſſimos & indigniſſimos, gratia & pecunia ad prælaturas & beneficia eccleſiaſtica perueniſſe.* In Italia etiam & Hiſpania omnes rerum iſtarum non imperiti, norunt non centeſimum quemque ſacrificum, vel miſſale, & breuiarium

8 *Annot. prior. in l. 2. de legib.*

ſuum

ſuum intelligere: & reliqua prorſus neſcire. Imo & pontif. Rom. ſępe adeo indoctos fuiſſe accepimus, vt inter indoctos ſacrificos reges eſſe poſſent. Benedictus 9. quia miſſam legere non potuit, ſubſtituit Gregorium 6. qui pro ipſo ſacrum perageret. Iuli⁹ 2. n̄i gratias ſuas, vt vocant, cõgruè ſubſcribere potuit. De Paulo 2. Paulo 3. Clemente 7. Paulo & Pio 4. nõ negabũt, credo, aduerſarii, quin fuerint indoctiſſimi. nihil ergo mirum ſi vulgus ſacrificorum literas ignorarit. Imò nec aduerſarii hoc ſemper tacere ſolẽt. [2] Ribadineira enim Laiolã & eius diſcipulos videntes, aliorum monachorum & ſacrificorũ ſtuporẽ, infantiam, ignorantiã, & inſignẽ fatuitatem, vt literis incumberent, excitatos ſignificat. Si ergo Turcopapiſtę paſtores cęcos, ſtolidos, & ignorantes quærant, nihil opus eſt, vt ad alios abeant, quam ſuos. eis .n. animam datam pro ſale dicit [3] Budæus, vt ſuibus. Miniſtros etiam noſtros ſimoniæ accuſant aduerſarii, ita non modò pudorẽ, ſed etiam mẽtem amiſerũt: quid enim ſtultius, aut amẽtius, quam illud aliis obiicere, cuius ipſi manifeſtò tenentur? quod ne fortè negent, audiant quid viri docti iampridem aduerſus pontif. Rom. & Prælatorum auaritiã ſimoniacam dixiſſe feruntur. *Ipſa eccleſiæ ſacra dignitatis officia*, inquit [4] Bernardus, *in turpem quæſtum & tenebrarum negotiũ tranſiuere.* [5] Theodoricus Niemenſis compatat cameram papalem *mari, quo omnia flumina*

2 *In vita Laiola.*

3 *Vbi ſupra.*

4 *Ser. 6. in Pſal. Qui habitat.*

5 *Tractat. vnion. 6. c. 37.*

decurrunt, & tamen non redundat. negat ille *gratias & diſpenſationes dari pauperibus. Venalia nobis,* inquit [6] Mantuanus,

[6] *Libr. calamit. 3.*

Templa, ſacerdotes, altaria, ſacra, coronæ,
Ignis, thura, preces: cælum eſt venale, Deuſque.

Clericus, inquit Brigitta, 1. 41. *deberet eſſe paſtor & ſcrutator ouium, qui iam earum diſperſor & lacerator eſt: imò occiſor per mala exempla, vendit Sacramenta pro turpi lucro, ſicut Iudas Chriſtum.* [7] Catharina Senenſis dicit *Sacerdotes deterius vendere Chriſtum, quam fecit Iudas.*

[7] *cap. 76.*

Heu Simon regnat, vt eſt apud [8] Langium, *per munera quæque reguntur,*
Iudiciumque pium gaza nefanda vetat.

[8] *Chronic. Citizenſ.*

Vetus eſt illud, *Roma manus rodit, quas rodere non valet, odit.* hoc enim olim ſcripſit Ioannes monachus. Idem [1] dicit *Romã à prædonibus fuiſſe fundatam, & adhuc de primordiis ſuis retinere. Lincolnienſis epiſcopus,* inquit Matth. [2] Paris, *in Angliã veniẽs mille marcas pro epiſcopatu ſuo ad opus domini Papæ, & cetũ marcas*

[1] *Gloſſ. in c. fundamen. de elect. in 6.*

[2] *In Henric. 3. p. 288.*

marcas legato de probata pecunia numerauit. maximam pontifices Roman. pecuniarum vim pro palliis, & confirmationibus, & diſpenſationibus, ex vna Anglia exegiſſe docet Matthæus ille; & ideo eos *ſanguiſugas* [3] vocat Bonifacius Nonus. *idem beneficium pluribus vendidit, & in miſſarum ſolennis de pretio* [4] *tractauit.* Benedictus Nonus pro ingenti pecunia papatum Gregorio Sexto vendidit. omnes nunc papatum emere ſolent. Alexander Sextus vt emeret papatum magno contracto ære alieno, nihil non venale habuit. cruces ille & altaria, & Chriſtum vendidit. Imò, quod maximè nefandum eſt, de animabus hominum ſacerdotes papiſtici mercaturam faciunt: multique hoc probant. Felinus *ſine hoc reditu Simoniæ, papatum non poſſe conſiſtere* docet. Nonnulli aſſerunt omnia beneficia mundi ad papam pertinere. hoc diſertè dixit Innocentius Tertius & omnes beneficia quaſi ſua vendunt. Quod ſi ergo nos aduerſarii huius criminis conuincere inſtituant; cur non talia teſtimonia proferunt? in *libello quodam ſupplici*, ſeu potius famoſo, nonnulli hoc nomine quoſdã epiſcopos noſtros corã regni ordinibus notarunt. ſed ſunt ſcurræ leues, & nihil certi dicunt: nec aliquẽ præterea teſtẽ ꝓferre iſti poſſunt. Epiſcoporum pręterea & presbyterorum coniugia, ſcortatores iſti

3 *In Henr. 3.*
4 *Theodor. Niem. de ſchiſm. lib. 2. c. 8. & 11.*

[5] 1. Tim. 3. impuri reprehendunt. ſed cum Apoſtolus docuerit, *Epiſcopum eligendum eſſe vnius vxoris virum;* & *coniugiũ honorabile eſſe* [6] pro-
[6] Hebr. 13. nuntiarit inter omnia hominum genera: nihil eſt quod horum pſeudoapoſtolorũ querelas, & antichriſti iniquiſſimas iuſſiones flocci faciamus. Niſi planè frontem perfricuiſſent, nunquam profectò nos iſto nomine accuſaſſent: apud ipſos enim omnia luxu & libidine deformata ſunt. Inuocant Mariā virginem, ſed ſeruiunt Veneri. in arce Iouis Capitolini plurimũ Ganymedes poteſt. Pōtifex Rom. quem iſti caput eccleſię vocāt, idem eſt ſcelerum fons & caput. iurant caſtitatem ſacrifici, ſed nihil eis impurius. *Sacerdotes*, inquit epiſc. Chremenſis in onere eccleſ. c. 23. *fornicationibus coinquinantur: maximè curati ſordeſcunt in cõcubinatu adeo manifeſto, quod nulla tergiuerſatione negari poſſit.* Brigitta ſacerdotes cõcubinarios ęquiparat Sodomitis, & Iudæ Chriſtum tradenti. [1]
[1] De reform. eccleſ. Petrus de Alliaco, *in graue laicorum ſcandalum, dicit eccleſiaſticos viros eſſe corruptos ira, gula & luxuria.* Linnichanus [2] dicit *eos meditari non legem Dei, ſed Veneris & Bacchi.*
[2] Apud Orth. Gratian. in faſcic.
Petrarcha Romanam ſynagogam dicit, *eſſe ſentinam omnium turpitudinum, & ſcelerum,* & propterea *eam Babylonem* [3] *vocat.* Ouili
[3] In epiſt. ſine nom. Chriſti *capros, hircos, lupos, libidinoſos, adulteros, virginum ſacrarum ſtupratores, á papa præfici* dicit [4] Auentinus. atq; hæc omnia
[4] Auentin. in præfat. lib. 6. contigerunt, dum abiuratis legitimis nu-

ptiis,

ptiis, cœlibatum admirari cœperunt. Paucos ſacrificos *continentiam ſeruaſſe, multos incontinentiam periurio multiplici cumulaſſe* [1] dicit Matth. Paris. ex cœlibatu ſequuta [2] ſunt ſtupra, inceſtus, adulteria, ſcortationes, & non nominandæ turpitudines.

Miniſtros etiam eccleſiæ noſtræ expilari conqueruntur: *grauibus enim principum & officialium exactionibus ipſos exhauſtos eſſe.* Sed cum apud nos nemo iure conqueri poſſit; & nihil ſoluatur, aut exigatur, niſi legibus & conſuetudine debitum; nihil eſt quod iſti ſe in alienis rebus curioſos præbeant. Apud pontificios homines tributũ à viuis & mortuis exigitur. ſacrificorum & monachorum res omnes ex voluntate pontificum Rom. pendent. ii pro arbitrio decimas exigunt, tributum imponunt, fundos diuendunt. Angliam *harpyis iſtis factam tributariã* conqueritur [3] Matth. Paris. ab vſurariis Rom. & legatis papalib. ſpoliatam eſſe ſcribit. quia *importabilia onera impoſita erant à Leone* 10 *eccleſia Gallicana,* [4] *appellauit ab eo ad concilium vniuerſitas Pariſienſis.* Germani centum modis ſibi grauamina inferri [5] conqueruntur. [6] Prælati & ſacrifici Anglicani modos expilationum papalium vix potuerũt enumerare. Papas ergo Rõ. Valla δημοβόρους vocat βασιλέας. *Papa*, inquit [7] ille, *non modo remp. quod non Verres, non Catilina, non quiſquam peculator; ſed etiam rem eccleſiaſticam, & Spiritum ſanctum quæſtui habet.*

1 *In Wilelm. Conquaſt.*
2 *In epiſtol. Hulderici Auguſtani ad Nicolaũ.*
3 *In Henr. 3.*
4 *Apud Orth. Grat.*
5 *Grauam. German.*
6 *Matth. Paris in Henr. 3.*
7 *Contra falſam donat. Conſtant.*

Poſtea nos *fures appellant*, *& vſurarios*. Sed hæc hominum furioſorum ſunt maledicta, neq; cum veritate, neq; inter ſe cohærentia. nam ſi nummis ita abundent miniſtri noſtri, vt eos fœnori locent; non eſt veriſimile eos furto rem quęſituros. Si pauperes ſunt, abſurdè eis fœnerationis crimen imponitur. At in ſacrificos & pontif. Rom. & gentem papiſticam non malè quadrant. ſunt enim nō tātùm fures maximi, ſed etiā raptores & prædones. Inquiſitores Hiſpani ex furtis & rapinis viuunt. Sacrifici & viuos & mortuos expilant. Statuerant fures ornatū archiepiſcopi cuiuſdam ſepulti auferre: ſed fures, vt inquit Matth. Paris *praeuenerant monachi*. ex furtis & rapinis monaſteria fundata & ditata ſunt. qui aūt vel in ouile Chriſti aliunde, quàm per oſtiū ingrediuntur, vel metunt vbi nihil ſeminant, fures ſunt & latrones. *Morientib. epiſcopis, abbatib. & prælatis*,[1] inquit Theodoricus Niemēſis, *omnia per eos relicta, quæ ſpolia & meritò vocantur*, *collectores fructuum cameræ apoſtolicæ recolligunt*. ideo collectores cameræ *malignis ſpiritib. æquales eſſe*[2] dicit. Sunt etiam ſacrifici homicidæ, & proditores patrię, & reip. vera peſtis. Nam multa innocentium millia trucidarūt: Germaniæq; & Angliæ, multos iam annos inſidiati ſunt. incendium in Anglia per Mortonum excitauit Pius 5. in Hyberniam Nicolaus Sāderus ad motum excitandum miſſus eſt. eo nomine clam in Angliam multi Iebuſi-

1 *Tract. vnion. 6. c. 36.*

2 *Ibid.*

Iebuſitæ & ſacrifici, ducibus *Campiano* & *Perſonio*, qui venena ſpargerent, rebellionē excitarent, principem clementiſſimam trucidarent, patriæ deniq; peſtem machinarentur, ſubingreſſi ſunt. Vſuras verò Papiſtæ nō modò exercent, ſed etiam exemplis & morib. probant. *Caurſini*, h. e. papales vſurarii, tēporib. Hērici III. Angliam *grauiter*[1] *expilarunt*. Gregorius 7. Iudęi vſus eſt opera, vt pecunias ſuas fœnori [2] exponeret. Bonifacius 9. teſte [3] Theodorico Niemenſe, *manifeſtus erat vſurarius*. [4] Leo 10. *montes vſurarios lege probauit*. Narrat [5] Onuphrius Iulium tertiū, Paulum Quartum, & Pium Quartum montes conſtituiſſe, h. e. pecuniarū qualdā ſummas mutuò dediſſe, & pro eis fœnus exegiſſe. neq; iam vlla eſt in Italia ſocietas mercatorum, quæ non ex vſuris maximum lucrum percipit. Vſuras nemo noſtrûm probat. Bullingerus, Bucerus, & Molinęus lucrum probant ex pecuniis, ſed non vſurariū. Archibaldi Hamiltonii conuitia aduerſus miniſtros eccleſiæ, nō pluris facimus, quàm canis rabidi furioſum latratum.

[1] *Matth. Paris in Hēr. 3.*
[2] *Beno Card.*
[3] *Theodoric. de ſchiſm. libr. 2.*
[4] *In Lateran. concilio.*
[5] *In vitis eorum.*

Poſt longum deniq; ſermonē, Turca Michæas ſacrificos papales verbi Dei miniſtris anteponit: quod nos non moleſtè ferimus. ab impiis enim Turcis vituperari, nobis pulchrum videtur. At Papiſtas nūquam illi laudarent, niſi Turcis eſſent q̃ſimillimi. Ordinē dicit eſſe ſacramentum Michæas, *& gratiam ab eo conferri, & ſacerdotalem poteſtatem*

inamiſſibilē imprimi. Turcis nimirū iſta nota ſunt. ſed ſiue hæc vt Turca, ſeu vt Papiſta dicit, ineptiſſimè dicuntur. Nam quomodo poteſt ordo papalis ſacramentum eſſe noui teſtamenti, cum talem ordinem Chriſtus nunquam inſtituerit ad ſuum corpus ſacrificandum; cumq; eccleſiæ miniſterium, non vt ſacramētum eſſet, ſed vt miniſtri verbi eccleſiam paſcerent, cōſtitutum eſſet? Preterea, quo modo poteſt ordo vnum dici ſacramentum, cum ſeptem ſint ordines? Iam de gratia certum eſt, cum antichriſtus ſacrificos ordinet ſceleratiſſimos, nihil eis gratiæ conferri. Poſtremū illud de poteſtate inamiſſibili, nec Papiſtis ipſis probatur. nā etſi character ſit indelebilis, nō tamen negant poteſtatem auferri poſſe. Ioan. 22. Epiſcopo Caturcenſi non modò poteſtatē, ſed cutem etiam detraxit. caueant ergo aduerſarii, ne temerè de poteſtate pontificis garriant, & os ſuum in cælum & Deum ſuum terreſtrem, vt loquuntur, ponant. Poſtremò dicit ſacrificos *angelis eſſe ſimiles*. nempe tenebrarum. nam ſi lucis angelos intelligat, multum allucinatur. quis enim angelos lucis putet opera tenebrarum facere & tenebris & fumis infernalibus delectari? Neque obſtant vota cœlibatus, vel raſus vertex, & character beſtiæ. hæc enim non ſunt angelorum lucis ſigna: neq; vnquam viſi, aut auditi ſunt angeli raſi & vncti. Quid quod nec vitam angelorum, imò nec ſanctorum virorum agunt? nā negle-

neglectis votis ſuis angelicis, ſcortãtur, [1] Sodomizant, Gomorrhizant, latrocinantur, principibus & piis viris inſidiantur. neq; ex tota orbis ſentina reperiri poſſunt homines ſceleratiores, aut turpiores, aut angelorum cœleſtium diſſimiliores. Miniſtrorũ deniq; eccleſiæ Anglicanæ electionem non ritè factam arguit Michæas Turca: *ex aula enim mitti epiſcopos, & nuſquam haberi apud nos legitimam electionẽ.* Sed intelligere debet epiſcopos hos à Capitulis ritè eligi, & nuſquam accuratius haberi de eligendorum meritis, quàm apud nos examen. Si quid aũt ſecus fiat, illud non legum eſt, ſed vnius & alterius peccatum. Cartvvrigthi querelas & accuſationes nihil eſt quod moremur, cum ipſius commenta tot argumentis conuicta iaceãt. [2] Caluinus aduerſus morem Papiſtarum loquitur, quibus epiſcopi & prælati non tantũ ex aula, ſed etiam ex [3] ſtabulis & caſtris mittuntur abſq; omni electione; idq; ex prouiſionib. papalib. Sunt etiã illi electi & prouiſi homines inſulſi, indocti & obſcuri. Narrat Aluarus Pelagius de planct. eccleſ. lib. 2. c. 26. in quadã eccleſia cathedrali, cum vehemens contentio circa electionem canonicorum incidiſſet, & alii alios, ſuos præſertim nepotes nominaſſent, & eligendos eſſe contenderent, quod diu in eccleſia ſeruiiſſent; quẽdam nominaſſe capituli aſinum, *quia* 15. *annos ſeruiiſſet capitulo.* Has ergo prouiſiones ſuſtulit ſynodus Baſilienſis, cõdemnauit or-

[1] *Hazenmullerus in hiſt. Iebuſit.*

[2] *Inſtitut. Calu. libr. 4. cap. 3. §. 15. & cap. 5. §. 3.*

[3] *Onus eccleſ. cap. 19. & 21.*

bis Chriſtianus, & omnes viri docti eis, quãtum per pontif. Rom. tyrannidem licuit, reſtiterunt. Nihil eſt ergo, quod iſti electiones ſuas iactent, cum nec legitimos habeant epiſcopos, nec legitimas electiones. Pro epiſcopis enim habent lupos laruatos, & vmbras inutiles, & hominum ſpecie canes mutos, qui nihil habent epiſcopi præter nomẽ. non docent, non adminiſtrant ſacramenta, claues eccleſiæ tractare neſciunt. In preſbyterorum conſecratione omnia facit ſolus pſeudo-epiſcopus. In prælatorum electione Papa ſolus omnia poteſt. *Is*, vt inquit [1] Auentinus, *ouili Chriſti capros, hircos, lupos libidinoſos, adulteros, virginum ſacrarum ſtupratores, coquos, muliones, latrones, argentarios, nummularios, fucos, pecuniarum aucupes luxu perditos, periuros, literarum penitus omnium rudes imponit.* Galli in appellatione ſua aduerſus [2] Leonem 10. queruntur, *negligi dignos, præfici populis epiſcopos indignos.* Anglorum ergo [3] reges prouiſionibus papalib. per ſtatutum de prouiſionibus occurrẽdum cẽſuerunt: & turpitudinem electionum papalium totus orbis Chriſtianus execratus eſt. Atque hæc de miniſtrorum perſonis, accuſatoria induti perſona Giffordus & Reginaldus declamarunt. Nunc in ipſo miniſterio [4] reprehendunt, *quod fœminis illud committimus. & multa inde ſcãdala & incommoda manare oſtẽdunt.* Sed ſtultum eſt de incõmodis & ſcandalis ex facto aliquo prouenientibus diſputa-

[1] *In præfat. lib. 6. hiſtor. Boior.*

[2] *Apud Orth. Græc.*

[3] *Tempore Rich. 2.*

[4] *Lib. 2. c. 16.*

diſputare, cum factum illud negetur. [1] Lutherus, vbi dicit *omnes Chriſtianos ex æquo eſſe ſacerdotes*, nõ loquitur de verbi miniſterio, ſed tantùm de publico Chriſtianorum omnium officio. omnes enim Chriſtiani poſſunt ſacrificia ſpiritualia Deo offerre, & ſunt quodammodo ſacerdotes. Omnes enim Chriſtianos alloquens Petrus [2] dicit, *Vos eſtis regale ſacerdotium.* Similiter loquitur Ioannes de omnib. Chriſtianis, cum [3] dicit, *feciſti nos Deo regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* poteſtatem verò docendi, & ſacramenta adminiſtrandi, & claues tractandi, Lutherus nec fœminis, nec hominib. priuatis dedit. Quod narrat [4] Hamiltonius apud Scotos *docendi & ſacramenta adminiſtrandi poteſtatem mulierib. concedi*; mẽdaciũ eſt, quod legib. eccleſię Scoticę, & omnium Scotorum conſcientia refellitur. Simile mẽdacium eſt, quod de Regina Anglię narrant. neque enim quando ipſi tribuimus ſummam in reb. eccleſiaſticis & politicis poteſtatem; vel verbi prædicandi, vel ſacramẽta adminiſtrandi, vel claues eccleſiæ tractãdi facultatem, vel vllam eccleſiaſtici miniſterii partem concedimus. Quod nõ ſolùm rerum experientia, ſed etiam apertiſſimis legum verbis declaratum eſt. Aſſerit quidem [5] Alanus *regem Edouardum poteſtatem dediſſe Archiepiſcopo Cantuarienſi ad ſacros ordines conferendos*. Sed mandatum ab eo prolatum impudenter cõfictum eſt. nam etſi *omnẽ iu-*

[1] *De miniſt. eccleſ. inſtit.*
[2] *1. Petr. 2.*
[3] *Apocal. 5.*
[4] *Confuſ. Calu. libr. 2. cap. 3.*
[5] *In reſp. Iuſt. Britan.*

riſdictionem eccleſiaſticam a regia maieſtate fluere fateantur regni ordines; tamen eam tantùm [1] intelligunt, quæ epiſcopali ordini ex legibus regni, & non ex officio intrinſeco epiſcopali, annexa eſt.

[1] *Ann. 1. Edw. 6. c. 2.*

Nec obſtat quod olim reges Angliæ dicerentur capita eccleſię, & quod nunc reges ſummi eccleſiæ gubernatores appellentur. illis enim appellationibus nihil aliud tribuimus, quàm quod olim reges Iſraelitarum & Iudæorum habuerunt, & quod omnib. regibus Chriſtianis debetur; nempe vt nulli ſubſint, & vt ſummo iure quæ faciēda ſunt, præſcribant. Nam etſi non poſſint verbum prædicare, & ſacramenta adminiſtrare; hæc tamen curare debēt, vt ab epiſcopis & preſbyteris ritè fiant. Præterea, etiamſi non poſſint ordinatum deponere; tamen ſi quid huiusmodi faciendum eſt, poſſunt illud faciendum curare.

Non obſtat ſecundò, quod regib. noſtris eccleſiaſticos abuſus corrigendi & tollendi poteſtatē leges [2] concedant. nam hoc ad munus regium pertinet, ea quæ ad pacem & ornatum eccleſiæ ſpectant procurare, ſed per eos, ad quorum officium ea aliás pertinent: nempe vt res eccleſiaſticę à viris eccleſiaſticis, res politicæ ab aliis ad quos earum procuratio pertinet, tractentur. Præterea non obſtat, quod regio mandato conſtituta eſt eccleſiæ Belgicæ forma. externæ enim res ad regem pertinent. Neq; ſanè aliquod incom-

[2] *Anno 1. Eliz. c. 1.*

commodū ex hac regia poteſtate ſequi poteſt. Nam vt ſumma ſit regum authoritas; reges tamen ipſi Deo ſe ſubditos eſſe intelligere [1] debent. non debēt ergo reges aliquid contra fidē, aut legē Dei præcipere; neq; ſi ita faciant, eorum præceptis obtemperandū eſt: obediendum eſt enim Deo potius quàm hominibus. neque ſanè quid Deus mandat cuiquā dubium eſſe poteſt, cum præſtò ſint ſacri codices, ex quib. nos Deus alloquutus eſt, & certa eorum haberi poſſit vel ex contextu, vel ex fidei analogia, vel ex apoſtolicę eccleſiæ moribus & veterum ſcriptis ſententia. videant ergo accuſatores noſtri, ne ipſi potius huius criminis rei ſint. nam apud eos fœmina rerum olim potita eſt, & omnia eccleſiaſtici miniſterii munera tractauit, & ipſi poteſtatē faciunt fœminis baptizandi in caſu neceſſitatis, & in monaſteriis abbatiſſę præfecturā habent ſuper moniales etiam in rebus eccleſiaſticis. Et ſummo ſuo pontifici ſummā dant in omnib. poteſtatem, eiuſque iudicium tanq̃ infallibile venerantur: vnde neceſſe eſt, mutata pontificis voluntate mutationem in religione papiſtarum conſequi: quod nos lugubri experientia verum eſſe edocti ſumus. nā ſingulis pontificib. nouas leges edentib. & aliquid ad ſuperiorum temporū leges & liturgias addētib. mirabilis facta eſt religionis antiquæ inclinatio & mutatio. Quare ſi verum ſit, illā religionē vbi fœminæ tractant eccleſiaſticū miniſterium, de-

[1] *Tertul. ad Scapulam.*

teriorem eſſe Turcica, & nihil aliud eſſe quã vmbram, fabulam, & ſimulachrũ religionis, quod ipſi fatentur: tum aduerſariorum confeſſione Papiſtarum ſuperſtitio nihil aliud erit, quàm ſomnium & vmbra religionis, ſeu potius religio ex ſomniis & fabulis cõſarcinata, & Turcica ſuperſtitione deterior. At inquit Samuel, *hæc labes eſt noſtræ eccleſiæ, & de ea tollenda viri docti multum laborarunt*. At Samuel iſte non eſt ex genere prophetarum, imo nec ex virorum bonorũ numero, ſed à Giffordo ſubornatus apoſtata, & cauſæ noſtræ proditor. nos .n. hanc labem non agnoſcim⁹. neq; ſanè viri docti aliud elaborarunt, q̃ vt omnes Chriſtiani noſtrã ſententiã intelligerent, ne verborum ambiguitatę capti, putarent nos, aut ſacrum miniſteriũ regib. dare, aut papalẽ infinitã iuriſdictionẽ ad eos transferre. Abſoluto demũ de regia poteſtate tractatu, [1] aduerſarii noſtri reliquas miniſterii eccleſiaſtici partes & officia, in quib. ipſis minimè ſatisfacimus, perſequuntur. Et primò quidem miniſtros eccleſię reprehendunt, *quod quoſuis ſine delectu homines etiã prophanos, & hæreticos, in templa noſtra ingredi patiantur*. quaſi verò paſtores eccleſiæ nihil aliud eſſent, q̃ ędituí autianitores, vt canes, & canibus mordaciores Papiſtas, à liminibus templorum arcerent: aut nõ ſummè ęquum eſſet, omnes homines ad ſalutem vocare, erudire, & hortari: aut Chriſtus non dixiſſet, *Docete omnes Gentes*. Nos itaque

[1] *Caluino-turciſm. libr. 2. cap. 17.*

que cupientes Papiſtas ſaluos fieri, eos ad cœtus noſtros admittimus, ſperantes eos papiſmum & omnem hæreſim abiecturos: nec Turcarum & Papiſtarum crudelitatem probamus, qui alienos à ſua religione male multant, quoties eos temerè in idoleia ſua ingreſſos deprehendunt. Illi autem, quorum ad officium illud pertinet, diligenter cauent, ne per Papiſtarum, aut hominum profanorum ingreſſum, ſacra & cæremoniæ vel polluantur, vel aliqua iniuria afficiantur, & indies diligentius cauebunt. Ad cœnam Domini nulli certè ſecundum eccleſiæ noſtræ leges admittuntur, niſi qui publica confeſſione ſe ad noſtrum cœtum pertinere, & ab omni hæreſi alienos eſſe oſtendunt.

Reprehendunt etiam eos, qui monachos, aut ſacerdotes papiſticos *à pontifice Roman. ordinatos, abſque vlla alia ordinatione admittunt*. ſed nihil hoc ad nos attinet. vnctam enim & raſam Antichriſti cohortem non ſolum ſacro miniſterio, ſed etiam ſocietate Chriſtianorum indignam cenſemus. Nec obſtat quod primis temporib. reuelationis antichriſti, tales ad miniſterium ſacrum admiſſi eſſent. nam nulla tum alia, in eccleſia Chriſti ſordibus antichriſti deformata, erat ordinatio: itaque neceſſariò recipienda erat ordinationis forma, quæ tum locum habebat. nunc autē, cum iſti contra Chriſti inſtitutionē ordinati ſint, eā pro nulla habemus:

& ita ordinatos tanquam Apoſtatas, & Neophytos, & hæreticos, ab officio omni eccleſiaſtico excludimus: adeo quidem, vt nec ab hæreſi pontificia conuerſos facilè prohibemus.

Aſſerunt præterea *nos adoleſcentes indoctos, & ex face vulgi artifices, ad ſacrum miniſterium aſſumere.* ſed nimis illi in rebus alienis curioſi ſunt, & in propriis cæci. Nā ſi ad pontificum Rom. prouiſiones, admiſſiones, ordinationes, & flagitioſas ſacrificorū ſynagogæ Rom. intruſiones reſpexiſſent; res noſtras aut laudaſſent, aut tacuiſſent. nullum enim [1] leges eccleſiæ Anglicanæ ad ſacrum preſbyterii gradum admittunt, niſi qui aut verbo & doctrina gregem Domini paſcere poſſit, aut quem propter doctrinam & mores, idoneum & aptum fore ſperamus. ordinationes autem aliter factas nullas eſſe decernunt. Neque pueris apud nos beneficia conceduntur, neque indoctis, ſi epiſcopi officium ſuum faciunt. ſi autem ex illis qui artificium aliquod exercuerunt, aut ex adoleſcentibus non ſatis adhuc idoneis aliqui ad miniſterium obrepſerint; hoc ſanè rarò fieri ſolet, & hominum quorundam aut errore, aut negligentia factum eſt. Iſti qui talia faciunt ſe excuſant, quod aliquando temporibus coacti, aut ſpe decepti, aut quia fructibus beneficiorū quæ talib. cōceduntur, doctiores contenti eſſe nolunt; ad miniſterium aſſumunt nonnunq̃ quoſdā nō ita idoneos.

[1] *Canones eccleſ. & Eliz. 13.*

Apud

Apud Papiſtas verò pueri, & non tantùm adoleſcentes, ad beneficia eccleſiaſtica admittuntur. imò ex pueris fiunt epiſcopi, & archiepiſcopi, & abbates: ridiculè ſanè & turpiter. nonnunquam pontifex Rom. laicis, & hominib. nequam fructus beneficiorum & epiſcopatuum commẽdat, & eis dat epiſcopatus & beneficia, qui nec docere nec fari poſſunt. atque hoc aduerſarii ipſi verum eſſe agnoſcunt, & multa exempla docent, & teſtes locupletiſſimi loquuntur. [1] Petrus de Alliaco queritur *indoctos & fatuos præponi doctis & ſcientificis. Ouili Christi*, inquit [2] Auentinus de pontifice Rom. ſcribens, *hircos, lupos, libidinoſos, coquos, muliones, fucos, & literarum omnium rudes imponit.* Galli in [3] appellatione ſua à Leonis decimi grauaminib. & iniuriis, oſtendunt pontifices Rom. *præficere populis indignos epiſcopos, & dignos negligere.* Ioannes Picus de Mirandula in oratione ad Leonem decimum dicit, *ſacras ædes catamitis & lenonibus, & hominib. indigniſſimis committi.* Paulus tertius cũ adhuc laicus eſſet, [4] proſtituit Alexandro ſexto ſororem, vt eccleſiæ præfecturam adipiſceretur.

Sanctus ager, [5] inquit Mantuanus, *ſcurris, venerabilis ara cinædis*
Seruit, honoranda Diuûm Ganymedibus ædes.

Pontifices, [6] inquit epiſcopus Chemenſis, *ſuos coquos, tributarios, ſtipendiarios, & ſtabularios frequẽter animarum cura ac dignitatib.*

1 *De reform. eccleſ.*
2 *In præfat. in 6. lib. hiſt.*
3 *Apud Orth. Grat.*
4 *Sleid. hiſt. & Vergerius.*
5 *Libr. calamit. 3.*
6 *Onus eccleſ. cap. 21.*

præficiunt. idem dicit *facib. mundi eccleſiaſtica gubernacula, tam in cathedralibus quam conuentualibus eccleſiis tradi, & verificari illud Gregorii, qui dicit, ſæpe ſapientes ſubeſſe, ſtultos arcem Domini tenere.* Nunc etiam in Hiſpania & Italia ſacrifici eliguntur viliſſimi, indoctiſſimi, nequiſſimi. tales etiam ſunt pleriq;, qui ex ſeminariis ſeditionis & rebellionis ad nos tranſmittuntur ſacerdotes.

Summè etiam ipſis diſplicet, quod miniſtri eccleſiæ noſtræ *non offerant dona & ſacrificia pro peccatis:* atque propterea non verentur *eorum ordinationem tanquam minus legitimam* reprehendere & deſpicere. At nobis idcirco eccleſiæ paſtores maximè placent; & ſacrifici papales, tanquam blaſphemi, & ſacrilegi, & idolorum impii ſacerdotes, omni eccleſiaſtico miniſterio indigniſſimi cenſentur. Ipſi enim Chriſti officium in ſe ſuſcipiunt, quod ipſius erat proprium; & poteſtatem ſibi datam fingunt creandi ſui Creatoris; & ſe gerunt tanquam mediatores inter Deum & homines, Chriſti honores ad ſe transferentes. Præterea res inenodabiles profitetur, & in ſe peragendas ſuſcipiunt. nam ad panem verba intendunt, cum dicunt, *hoc eſt corpus meum*, & tamen panem ibi eſſe negant. corpus Chriſti dicunt ſe offerre, & tamen illud iá oblatum eſſe, & in cælis ſitũ fatentur. corpus præterea Chriſti concedunt glorificatũ eſſe, & tamen petunt illud ſanctificari. Calicem

tem denique populo ſuffurãtur, & ex ſacramento ſanctiſſimo idolum faciunt turpiſſimum. Atq; ita, dum nouum inſtituunt ſacrificium, & nouum ſacerdotium, Chriſti inſtitutionem funditus euerterunt.

Ordinatio deniq; ſacrificorum pontificiorum aut nulla eſt, aut valde vitioſa. nõ enim ad paſcendum gregem, aut ad docẽdum, aut ad ſacramenta adminiſtranda miſſi ſunt, vt eos Apoſtolis ſucceſſiſſe intelligamus: ſed *ad ſacrificandũ pro viuis & defunctis:* cuiuſmodi ordinationem nec apoſtoli, nec veteres epiſcopi feciſſe leguntur. Præterea ordinantur ab Antichriſto, & eius mancipiis, & ab illis beſtiæ characterem recipiunt. ordinãtur etiam abſq; legitima examinatione & nulli eccleſiæ præponuntur. ordinantur deniq; ſimoniacè, & à ſimoniacis & hæreticis, & cõtra eccleſię canones & cõſuetudines apoſtolicę eccleſię. Iniuriã ergò eis facerẽ, ſi vel noſtrę eccleſiæ præſules & preſbyteros huiuſmodi laruis, vel noſtras ordinationes eorum intruſionib. compararem. Noſtri .n. docent populum, ſacramenta adminiſtrãt, eccleſiæ negotia procurant, pro animab. fidelium vigilant, orant, laborant, officio funguntur, opus epiſcopi faciunt. Iidemq; legitimè, per impoſitionem manuum preſbyteri eccleſiaſtici, ad officium ſuum ordinantur, neque quicquam omittitur quod leges eccleſiæ poſtulant. Qui ergo eos contemnunt, Chriſti inſtitutionem, & Apoſtolorum ſucceſſo-

res contemnunt, & religionis papiſticæ nomine veræ religioni illudunt. Nos ergo huiuſmodi hominibus meliorem mentem optamus, contemptum religionis & miniſterii Deo vindicandum relinquimus.

Atque hæc illi, vt miniſtros eccleſiæ noſtræ contemptibiles faciant, aduerſus eos declamarunt. Poſtea verò *grauiſſima onera illis impoſita* memorant, quaſi illos ſubleuatos cuperent: ita inconſtanter huc & illuc feruntur, nunc vituperantes, nunc ipſorũ cauſam defendentes. Sed nihil eſt cur noſtra cauſa laborent, aut ſoliciti ſint. nulla enim nobis opera imponuntur, quæ non æquo animo à nobis feruntur: neque hæc omnino nobis impoſita fuiſſent, niſi ad propulſandam hoſtium vim, & cauendas hominum perfidorum inſidias, & proditorum iſtorum vlciſcendas iniurias talia ſubſidia neceſſaria eſſent. quo nomine ne quis propterea à ſacro miniſterio abhorreat, intelligere debet multò grauiora ſæpe à pontifice Romano imponi ſolere onera. [1] Gregorius Decimus in ſynodo Lugdunenſi *ſex decimas vna conſtitutione clero impoſuit.* [2] Gregorius Nonus & Innocentius Quartus nonnunquam tertiam, nonnunquam mediam partem fructuum, nonnunquam magnam pecuniam exegerunt. [3] Martinus Mayer queritur Germaniã *à pontifice mille modis expilatã & decaluatã eſſe.* ab archiepiſcopis pro palliis maxima tributa olim exigere ſoliti ſunt:

[1] *Matth. Paris in Henr. 3.*
[2] *Ibidem.*
[3] *In epiſt. ante deſcript. German. per Syluium.*

neque

neque nunc vllæ merces ſunt apud papiſtas cariores. Præterea magna tributa illis pendunt præſules eccleſiarum & abbates: neque ſolent minores clerici ſine vectigali luculento ſua beneficia auferre. ſoluunt enim tam illi, quã maiores prælati, annatas, vacantias, & decimas, & quicquid pontifici libet. Innocentius quartus quoſdam Angliæ epiſcopos ditiſſimos *abſentes, & non conſentientes pro pecunia maxima obligauit, eoſque ad ſoluendũ per eccleſiæ cenſuras* [4] *compulit.* Gregorius nonus nõ aliter induci potuit, vt ſententiam pro Richardo Lincolnienſi ad epiſcopatum Cantuarienſem nominato & electo ferret, niſi antea [5] cauiſſet decimam omnium rerũ mobilium per Angliam ſibi ſoluendam. vnde conſtat pontifices Rom. nec gratias gratis dare, nec ius abſque mercede dicere. Budęus dicit conſtitutiones papales nihil aliud eſſe, *quam aucupia pecuniarum.* Ex vna Gallia pontifices Rom. maximam auri vim collegiſſe queruntur [6] ordines Galliæ. De Gregorio nono teſtimonium perhibet Fridericus ſecundus, *quod varias exerceret ſimonias, & exactiones diuerſas, & à ſeculis inauditas. Legatos,* [7] inquit Matthęus Paris, *miſit in Angliã, qui multifariã exegerunt pecuniã, nunc prædicando, nunc ſupplicando, nũc præcipiendo, nunc cõminãdo, nunc procurationes exigendo.* In Hiſpania & Gallia nuper, non modo grauiſſima tributa perſonis eccleſiaſticis impoſita ſunt,

[4] *Matth. Paris. in Henr. 3.*

[5] *Idem. p. 343.*

[6] *In lib. de libert. eccleſ. Gallicana.*

[7] *Ibidem. p. 335.*

[8] *Ibid. p. 386.*

ſed etiam magna pats prędiorum eccleſię diuendita eſt. tanta illi rabie aduerſus pios & innocentes feruntur, vt ſua amittere malint, quam non aliis nocere. Nihil eſt ergo, quod noſtra tributa & onera memorent, cum apud papiſtas eccleſiaſtici fere omnes oneribus oppreſſi ſuccumbant.

Coniugia quoque ſacrorum eccleſiæ miniſtrorũ *legibus Angliæ interdicta eſſe, & filios ex huiuſmodi nuptiis natos pro ſpuriis haberi contendunt*. Sed quis non oderit tam inſulſos & iniquos clamatores, qui cũ ſcortationes & libidines nefandas ſuorum ſacrificorum & monachorum videre poſſint, & nullos alios ad altiorem dignitatem apud illos euectos audiant, quàm pontificum Rom. & præſulum papiſticorum ſpurios; legitima tamen cõiugia, & legitimos liberos, & eorum natales continenter oppugnant? legum ſanè noſtrarum interpretationem nos non à fugitiuis & apoſtatis, ſed à regibus & ſummis iudicibus petimus. illi autem tales nuptias legitimas eſſe reſpondent & iudicant. Quinetiam vere affirmare licet coniugia presbyterorum eccleſiæ ſemper apud Anglos licita fuiſſe. Matthæus Paris licèt ipſe monachus eſſet; quod Gregorius ſeptimus vxoratos ſacerdotes à coniugibus ſeparaſſet, illud *& nouo exẽplo, & inconſiderato iudicio factum fuiſſe*[1] dicit. contra coniugia ſacerdotum à regibus noſtris nulla vnquam lex lata eſt. pontifi-

cis

[1] *In Willelm. Conquæſtore.*

cis leges nunquam valuerunt, vtpote legibus diuinis & humanis contrariæ.

Epiſcopos denique & alios eccleſiæ noſtræ miniſtros, *Cartwrighti & huiuſmodi hominũ inuectiuis in odiũ & contemptũ adductos eſſe* ſcribunt. ſed fortaſſe quod cupiunt, hoc ſomniant. perinde ſanè ac ſi ſomniarent, fabulas narrant. nunquam enim maiorem habuêre apud pontificios authoritatem eccleſiæ miniſtri, quàm nunc in Anglia obtinent apud viros bonos. nec vel Giffordi vel alterius cuiuſquam malitia tantum valuit, vt hunc ordinem in contemptum adduxerit. maximam quidem hæretici & Schiſmatici nobis iniuriam fecerunt: ſed Deus iuſtus iudex cauſam noſtram iudicauit, & inſontes à calumnia hominum nequiſſimorum liberauit. Interim verò monachi & ſacrifici vbique frigent. notæ ſunt hypocritarum & impoſtorũ artes; deprehenſæ ſunt proditorum inſidiæ, pontificumque Rom. tyrannis iam omnibus patet.

Quare ſi Turcis deteriores ſunt, qui nec doctos habent eccleſiæ miniſtros, nec rite ordinatos, nec eis legitimos deferunt honores; quid de papiſtis exiſtimabimus, qui ex fæce populi habent monachos & ſacrificos, nec eis vllos deferunt honores? quid, inquam, exiſtimabimus de eis qui nullos habent legitime ordinatos ſacerdotes, ſed tantum ſacrificos carniuoros & anthropophagos, flabella ſeditionum, incendiarios Chri-

ſtianæ reip. mancipia Antichriſti, deuotos ſeruos ſatanæ, quos omnes boni tanquam monſtra, & peſtes fugiunt, abominantur, & oderunt?

Tandem verò lite cum ecclesiæ noſtræ miniſtris aliquantiſper ſopita, Reginaldus & Giffordus magno impetu aduerſus liturgiam eccleſiæ Anglicanæ feruntur. Sed quod [2] Archidamus filio ſcripſiſſe dicitur, *vt vel vires & copias augeret, vel iracundiam cohiberet*, hoc in iſtos quadrat, qui magna contentione meras nugas agunt. Nos ergo breuiter totam hanc confabulatoriam diſputationem expediemus. Valde ipſis diſplicet eccleſiæ noſtræ liturgia, tum quod luminibus in eccleſia careremus, tum quod nullas ad ſanctos dirigamus orationes, tũ quod imaginum apud nos deſiderentur ornamenta. Sed quorſum hæc omnia? num illi cum Turcis conſpirant, quorum liturgia eccleſiaſtica vitioſa eſt? at hoc omne aduerſus homines pontificios facit. eorum enim *miſſalia*, & *breuiaria* & *officia*, & *Pſalteria* flagitioſe vitioſa ſunt. primum omnia lingua peraguntur peregrina & ignota. Latinè legũtur ſcripturę, Latinè oratur, Latinè ad populum hiantem & nihil intelligentem ſacerdos verba facit. Huiuſmodi autem orationes Apoſtolus *ſine fructu eſſe* [1] dicit. Deinde, non tantum ſancti defuncti & Angeli, ſed etiam ſtatuæ & cruces coluntur & inuocantur. eccleſiaſtici miniſtri incenſum illis adolent, populus coram eis procidens

cer

[2] *Plutarch. in apophtheg.*

[1] *1. Cor. 14.*

cernuus adorat; nec aliqua ratio habetur vel mandatorum Dei, vel Apoſtolicæ conſuetudinis. Scripturæ non tantum turpiſſimè mutilantur, & in fruſta ſecantur, ſed etiam ſæpe blaſphemè, & impiè contra ſententiam ſuam detorquentur. In miſſalibus olim, nūc autem in breuiariis leguntur mendaces legendæ, & ineptię apocryphę. miſera plebs in globulis preces demurmurans, & eaſdē preces ſæpe repetens, ſeipſam battologia multiplici fatigat. ſacramentum cœnæ dominicæ in ſacrificium; ſynaxis in priuatam vnius ſacrifici conuiuium conuertitur: calix populo aufertur; ſacramentum baptiſmi multis cæremoniis & ſuperſtitionibus conſpurcatur. gni paſchalis benedictio, & aliæ Iudæorum æremoniæ poſtliminio reuocantur, multaque alia ſacramenta excogitantur. Quid verbis opus eſt? Pius quintus [2] fatetur *cultum Romanæ eccleſiæ diuturnitate temporis ab antiqua inſtitutione deflexiſſe.* [3] Cardinalis Quinonius vt res collapſas reſtitueret, infinitos abuſus reſecuit. Pighius etiam in Miſſam errores irrepſiſſe fatetur. Machiauellus, licèt planè atheos, hoc tamen vidit, *miracula nouæ religionis cum antiqua Chriſtiana* [4] *pugnaſſe.* omnes fatentur eccleſiam Rom. *multa opus habere* [5] *reformatione.* Quod ſi ergo hoc Turcicum ſit, liturgiam habere nouam, ſuperſtitioſam, vitioſam; tum papiſtæ Turciſmum valde olent.

Sin autem Turciſmum ampectividentur,

2 *In præfat. in breuiar.*

3 *In breuiario ſuo.*

4 *Hiſtor. Florentin. lib. 1.*

5 *Petrus de Alliaco de reform. eccleſ.*

quorum cultus & liturgia ad formam Tur
cicam propè accedit; tum in hoc etiam Tur
ciſmum ſapere videntur papiſtę. nam vt Tur
cæ in Arabica; ſic papiſtæ in lingua Latin
orationes ſuas fundunt. vtrique myſteria ſu
in lingua ignota occultant. nec Turcæ, ne
papiſtæ ſcripturas magni faciunt. in idole
is papiſtarum, & Moſqueis Turcarum, cre
bra lumina ex laquearibus dependentia lo
cum colluſtrant. orationes ſecundū horas &
Turcæ, & papiſtę partiuntur. ſanctos ſuos de
functos vtrique operoſe inuocant, & ad eor
reliquias peregrinationes faciunt. multa de
niq; aut Turcæ à papiſtis, aut papiſtæ à Tur
cis mutuati videntur.

In noſtra verò, aut aliarum eccleſiarū no
biſcum conſentientium liturgia nihil habē
1 2. *admonit. ad Parliam.* quod meritò reprehendant. nam quod
nonnulli preces noſtras *miſſale vocant Angli
canum*, & ex eo deriuatas aſſerant; magnam
nobis iniuriam faciunt. preces enim noſtra
& formulæ cultus diuini à nobis receptæ, a
antiquis patribus profectę ſunt, & δὶς διὰ πάν
à ſynagogæ pōtificiæ formulis diſcrepāt. lin
gua vtimur vulgari; ſcripturas legimus ſecū
dum integras capitum diſtinctiones; omne
reciſæ ſunt idololatricæ defunctorum inuo
cationes; ſuperſtitiones omnes damnamus
ad Chriſti inſtitutionem ſacramentorum ad
miniſtrationem reduximus. Verum vt ali
qua eſſet inter nos, & papiſtas ſimilitudo
non tamen illa vel papiſtis vel aliis diſplicer
debe

debet. neque enim ſi aliqua apud eos manſere veræ religionis ſemina, debuêre à nobis repudiari; neque nos nouam eccleſiam fundamus, ſed abuſus recenter ingruẽtes ad antiquæ eccleſiæ inſtitutiones & mores reformamus. Geneuẽſes etiam in liturgia ſua nullas adhibent preces, niſi pias. à papiſtis iidem ac Turcis pariter abhorrent: tantum abeſt, vt maledicta aduerſariorum in eos quadrent.

Orationum plura eſſe genera agnoſcimus: neque hæc nos vel papiſtæ, vel Turcæ, quos hoc loco ſubtiliter de oratione, & mentis ad Deum eleuatione diſputantes introducunt, docere poſſunt. Attamen quod hoc loco aſſerit Turca, *omnem mentis ad Deum eleuationem & ſalutationem Angelicam eſſe orationem*, abſurde dicitur. Eleuatio enim mẽtis ad Deum poteſt per contemplationem fieri: multum autem differt oratio & contemplatio. Præterea, vt omnis eleuatio mentis ad Deũ eſſet oratio; tamen papiſtę qui ſalutationem dicunt angelicam, non ad Deum, ſed ad virginem *Mariam* mentem eleuant. iidem deniq; ſcripturę mentẽ in alienũ ſenſum planè detorquent, cum verba Angeli ad *Mariã* ipſi temere vſurpant, & ex ſalutatione Angeli, precationem faciunt; & ad verba ſcripturæ attexunt orationes blaſphemas.

Lumina in cultu diuino adhibere, nos meram eſſe ſtultitiam arbitramur. quid enim ſtultius, quàm ſoli facem addere? nos ergo lumina relinquimus Turcis, & papiſtis, qui in

tenebris ambulant, & Chriſtum ſolem iuſtitiæ ignorant, thus etiam incendant illi, quorum & religio, & vita peſſimè olet. nos nec gentilium, nec Turcarum ſuperſtitiones aut ferendas putamus, aut imitandas.

Nos in orationibus genua flectimus. Geneuenſes in cœnæ dominicæ adminiſtratione ſuas peculiares habent cæremonias. papiſtæ ſacramentum vt Deum venerantur, & in ſuis cœnis dominicis incœnati abeunt. quis ergo non noſtras eccleſias idololatricæ papiſtarum ſynagogæ longè anteponat?

Quod imagines è templis ſuſtulerimus, hoc non à Turcis, vt aduerſarii calumniantur, ſed à Chriſtianis didicimus. papiſtæ autem idolorum cultum à gentilibus deſumpſerunt, eumque contra mandatum Dei, & priſcæ eccleſiæ morem, & veterum authoritatem retinent. Nec eſt quod ſperent ſe effugere poſſe, quod nos hiſtoricum vſum imaginum Chriſti, Apoſtolorum, & aliorum hominum clariſſimorum probamus, non enim propterea reprehendimus papiſtas, quod imagines habeant, ſed quod cultum eis tanquam diuinis reliquiis exhibeant, neque capitale eſt imagines tenere, ſed Româ teſſeras coniurationis afferre. Caluinum non eſt veriſimile *imaginis ſuæ honorẽ poſtulaſſe*: nec quiſquam hoc dixit, præter ſcurram impudentem, qui ex eius detractione ſibi gloriam quæſiuit. coram Reginæ effigie nemo caput aperit, nec vllum honorem ipſi vel præſenti,

vel

vel abſenti exhibet præter ciuilem, quo nomine propter multa beneficia gratus populus eius natalem diem, & regni ingreſſum, feſto & lætitiâ ſponte honorat. pictores etiam in parietibus inſignia regia pinxêre: ſed non iuſſi, ſed ſponte ſua; non vt honor eis exhiberetur, ſed ne picturis cultus diuinus tribueretur. aduerſarii verò, dum aliter exiſtimant, & narrant, & turpiter falluntur & impudenter mentiuntur.

Quis ergo non miretur quenquam tanta impudentia præditum fuiſſe, vt in tam exili fundamento, tantas accuſationes ædificaret; & tam ſtultum, vt Turcam pro imaginibus diſputantem introduceret, qui legis Diuinæ inſtinctu imaginum cultum condemnat?

Cap. X.

Ad calumnias Reginaldi & Giffordi *ex ſuperiore dialogiſmo repetitas reſpondetur; omniaque vltimi capitis ſecundi libri nugamenta & battologiæ diluuntur.*

ANtequam caput hoc vltimum legiſſem, ſubdubitabam nonnunquam an ea quæ Michæas Turcica indutus perſona diſputaſſet, licet papiſticam hæreſim ſaperent, à Giffordo, aut quoquam alio papiſta profecta eſſent. neque enim putabam quenquam, vel nomine tenus Chriſtianum, tam impium, tam profanum, tam planè atheum futurum, vt Euangelio Chriſti bellum indiceret, &

ſcripturas ſacroſanctas, tot non vocibus, ſe accuſationibus violaret. exiſtimabamqu Turcam hæc ex Turcica impietate, & ine piabili contra nomen Chriſti odio dep pſiſſe. Sed hoc capite, ſimii ſibi laruas detr hunt, & aperta facie ſe papiſtas prodent in aciem irruunt, omnes ſuperiores calu mnias, conuitia, & maledicta non aliund quàm ex odio papiſtico profecta oſtenden tes. Qua in re eſt, quod lætemur Turcas & pa piſtas tã pulchrè conſentire, vt nõ minus pa piſtas, quã Turcas cauere diſcamus. Illud pe moleſte fero, quod dum horum veſtigia pe ſequor, res actas agere, & crambem bis coct iterum vobis apponere cogar. ſed culpam il li prę ſtare tenentur, qui nullum malè loquẽ di modum tenentes, nugas eaſdem toties in culcant.

Ac primò quidem in Zuinglii iam mortu manes inuadunt, viroque optimo & fortiſſi mo, homines ignauiſſimi, & nequiſſimi obiiciunt, quod pro patria pugnans cæſus eſſet. quaſi verò non eſſet ſacerdotum offi cium populo Dei ad pugnam exeunti præi re; & non omnium eſſet ciuium munus, quando neceſſe eſt, pro patria fortiter pręlia ri; aut non licuiſſet Zuinglio, cum paſtor eſ ſet Tigurinus, ad cuius officiũ pertinebat mi lites ad fortiter agendum hortari, ciues ſuos exeuntes ad prælium comitari. Pontifices Rom. vt aliena eripiant, & innocentes oppri mant, bella gerunt: & Iulium ſecundum li-

cèt

cet bellatorem maximum, ſanctiſſimum etiã patrem vocant. imò arma in manus monachorum aduerſus pios[1] tradunt, & ad cædem faciendam præmio remiſſionis peccatorum inducunt. Nihil eſt ergo, quod iſti Zuinglio bellandi ſtudium obiiciant, aut quiſquam alius nobis arma contra vim iniuſtam, & ad patriæ & libertatis defenſionem neget. [1] *Memoires de la Ligue.*

Deinde ſimulant ſe miſſas facere de hęreſibus & rebellionibus accuſationes. & tamen leuiter eas attingendo notam aliquam infamiæ nobis inurere conantur. præterea *permultos è noſtris fidem de trinitate, & Chriſti deitate abnegare* dicũt. ſed vt ſorices capti, ſuo indicio ſe produnt. neminem enim noſtrûm nominant, ſed eos tãtum, aduerſus quos noſtri pugnarunt. hanc autem totam criminationem non modò deleuimus, ſed etiam in caput aduerſariorum iamdudũ retorſimus: & fuſius eandem poſtea tractabimus.

Quod nihil tamquam ad ſalutem neceſſarium credendum exiſtimemus, niſi quod ex ſcripturis canonicis probari poſſit; hoc graues iſti authores *ad Turciſmum ducere* contendunt. At Apoſtolus [2] docet eccleſiam *ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum ædificatam eſſe*; vt fidem ſupra eorum doctrinam recumbere diſcamus. & ex Spiritus ſancti teſtimonio intelligimus ſcripturas vtiles eſſe *ad perficiendum Dei hominem*, vt nihil pręterea in ſalutis negotio deſideremus. neq; ſanè canonis nomẽ mererẽtur, niſi regula eſ- [2] *Epheſ. 2.* [2] *2. Tim. 3.*

ſent fidei perfecta. At, inquiunt iſti, *hoc de perficiendo homine Dei ad ſcripturas veteris teſtamenti pertinet: ita enim exponunt Ochinus, & Zuinglius, ſed ex ſcripturis veteris teſtamenti omnes articuli fidei non deducebantur. exempli gratia, articulus de Trinitate, & incarnatione.* Sed iſti dum ſibi acutè philoſophari videntur, fidei fundamentum Ieſum Chriſtum ſubuertunt. quid enim obſecro? numquid qui abſque fide in Ieſum Chriſtum ſaluati ſunt? aut numquis credidit in patrem, qui non credidit in filium, & Spiritum ſanctum? quis non iſta impiiſſimè dici videt, & contra eccleſiæ antiquiſſimæ, & doctiſſimorum patrum ſententiam? ſcripturę vnam docent eſſe fidem, & vnam viam ad ſalutem, nempe Ieſum Chriſtum. Patres ex ſcripturis veteris teſtamenti Trinitatem probant. ipſe denique Thomas Aquinas multis argumentis [1] probat patres ſub lege fidem habuiſſe Trinitatis & incarnationis. Qui autem aliter ſentiunt & docent, illi cum Ochino delirare videntur. Zuinglius ad vetus teſtamentum verba Apoſtoli retulit; non tamen negauit ea ad nouum pertinere. Nec obſtat quod Chriſtus in nouo teſtamento reuelauit fidei myſteria plenius. non enim noua edidit fidei fundamenta, ſed lucem diffudit ex ſpiritu, & doctrina ſua clariorem. atque hoc ex apoſtoli verbis colligitur Eph. 3. & Matth. 28. *19.* Sed quorſum iſta? nam ſi ſcripturę veteris teſtamenti hominem Dei perficiunt, multo magis

[1] 2.2.*q.*2.*art.* 7.& 8.

magis vtriuſque teſtamenti ſcripturæ vim perficiendi habent.

Multa prçterea incommoda ſequi putant, ſi omnia ad ſalutem neceſſaria in ſcripturis contineri fateamur: neque enim baptiſmi reiterationem, nec polygamiam, nec circũciſionem ex ſolis ſcripturis refelli poſſe. ſed ad iſta omnia ſatis antea reſponſum eſt. nunc autem vlterius reſpondemus, imbecillo fidem Chriſtianam fundamento ſuſtentatam fore, ſi contra baptiſmi reiterationem nihil aliud afferri poſſet quàm figmentum de charactere indelebili, de quo nec eius authores conſentiũt, nec aliquid certi tenent. præterea concedendum eſſe Iudæos firmiora habituros fore præſidia, quàm nos, ſi ipſi pro circumciſione & polygamia ſcripturas afferre poſſent, nos contra eas nihil in ſcripturis firmamenti haberemus. Poſtremò dicimus nõ abrogare nos eccleſiæ authoritatem, vt aduerſarii calumniantur; ſed eam potius ſcripturis & & authoritate diuina ſtabilire. nihil enim eſt, quod non eccleſiæ concedimus à Deo ſponſæ ſuæ conceſſum. at papiſtæ nomen eccleſiæ tribuunt, non modo ſynagogæ Rom. ſed etiam pontifici, & ſub eccleſiæ larua populum decipiunt. Sunt etiam qui quærunt, *an neceſſario ſint credenda quæ ſcripturæ docent, ſine eccleſiæ authoritate*. ſed nos illud quod in manibus eſt, agamus.

Ad controuerſiam deinde de ſacrorum eccleſiæ miniſtrorum, & præſertim epiſco-

porum coniugiis redeunt, longamque de continentia, caſtitate, temperantia, ſobrietate & morum ſanctitate declamationem[1] inſtituunt: authores, ſcilicet, continentiſſimi, caſtiſſimi, ſanctiſſimi & grauiſſimi. Quis enim non ita putaret; cum caſtitas coniugalis & [2] *Thorus immaculatus*, iſtis ſanctiſſimis vitæ cœlibis admiratoribus ſordeat? quis nō Giffordum & Reginaldum, velut exempla ſanctitatis & ſobrietatis ſuſpiceret, ſi ex verbis iſtis ſanctiſſimis de moribus ipſorum cōiecturam facere liceret? Sed qui ex Belgio ad nos veniunt, longè alia de Giffordi ſanctitate loquuntur. mirantur enim vnde ipſi tantum odium aduerſus legitimum coniugium, qui nunquam abhorruit ab illicitis ſcortorum amoribus: neq; credunt venereo huic nepotulo tantum eſſe ſtudium ſanctitatis.

Aſſerunt etiam ipſum ſolere ſe in cœnis inuitare pluſculum: ſine Cerere enim & Baccho friget Venus. Reginaldum verò omnes quibus ille aliqua de cauſa notus erat, ſciūt à coniugio non ita olim abhorruiſſe. coniugē enim ille alienam nimis perditè amauit, & ex luſtris nec metu, nec pudore abſterreri potuit. rectè ergo ad illos accōmodari poteſt quod dicit[3] Chriſtus Phariſæis; *Væ vobis Phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia.* Ita iſti hypocritæ verbis videri cupiunt ſanctiores hominibus coniugatis: ſed intus ſunt carnales, & omni immunditia & impu-

ritate

[1] *Caluino t. p. 365. & 366.*

[2] *Hebr. 13.*

[3] *Matth. 23.*

ritate repleti. Eorum ſimiles ſunt & reliqui ſacerdotes Baal, & ſynagogæ Rom. ſacrifici idololatrici. *Sunt impuri*, inquit [4] Brigitta, *ſunt pice commaculati, quia ad ſe accedẽtes cõmaculant, & adeo abominabiles ſunt, vt omnis exercitus cœli eos abominetur.* Et [5] poſtea: *ipſi præ omnibus Iudæis & gentilibus, ac præ omnibus dæmonibus me prouocant*, inquit Chriſtus apud Brigittam de ſacerdotibus impuris verba faciens. Epiſcopus Chemenſis [6] dixit, *eos ſe carnis concupiſcentiis mancipaſſe, & eccleſiæ eripere quod in meretrices erogent.* Sed videamus quomodo ſancti iſti [illegible]neris nepotuli coniugia ſacerdotum improbant.

[4] 4 *Brigit.* 133.
[5] *Brigit.* 134.
[6] *Onus eccleſ. c.* 23.

Aſſerũt primò *Apoſtolos cupiuiſſe ſolos cœlibes eccleſiæ præficere.* At hoc nec verum eſt, nec veriſimile. Apoſtolus enim vbi de epiſcoporũ electione loquitur, monet Timotheũ vt epiſcopũ [7] *eligat vnius vxoris virũ*: & Chriſtus ad Apoſtolatum elegit viros cõiugio vtentes. nulla ſanè lege prohibentur epiſcopi vxores ducere. *Copula ſacerdotalis*, inquit [1] Auguſtinus, *nec legali, nec euangelica, nec apoſtolica lege prohibetur.* In lege ſacerdotes vxoribus coniungebantur. Apoſtolos quoque nonnullos vxores habuiſſe narrat Clemens Alexandrinus. In [2] Anglia & Germania presbyteri vſque ad Gregorii ſeptimi tẽpora habuerunt legitimas ſuas vxores: nec diu poſt ab eis auelli potuerunt. De Hilario Pictauienſi epiſcopo ita ſcribit Mantuanus:

[7] 1. *Tim.* 3.
[1] 26. *q.* 2. *c. ſors.*
[2] *Matth. Paris in Wilelm. conqueſt.*

Non nocuit tibi progenies, non obſtit
vxor
Legitimo coniuncta thoro; non horruit ill
Tempeſtate Deus thalamos.

In oriẽte adhuc epiſcopi matrimonio co
pulantur. atque hoc Apoſtolus non tantum
3 1 *Cor.* 7. probat, ſed ſuadet. *Propter ſcortationem* [3] in
quit, *vnuſquiſque habeat vxorem ſuam.* Idem
4 *Hebr.* 13. in omni hominum genere [4] ſignificat *coniu*
gium honorabile eſſe. Chryſoſtomus in Titum
homil. 2. *oſtendit*, inquit, *matrimonium no*
eſſe impium, ſed ita honoratum, vt cum eo poſ
ſit quis in ſanctum thronum aſcendere. Leo et
5 *Epiſt.* 87. *ad epiſc. Afric.* iam epiſcopus Rom. *Is*, [5] inquit, *epiſcopus or*
dinetur, quem vnius vxoris virum fuiſſe, au
eſſe conſtiterit. & poſtea dicit, *euidenter eſſe de*
finitum, vt virginem ſacerdos accipiat. oſten
6 *Aduerſ. Iouin.* dit etiam [6] Hieronymus *maritos aſſumi ſolito*
in ordinatione ſacerdotali. turpitudo autem
cœlibis cleri ſatis refellit eorum ſenten-
tiam, qui coniugia ſacerdotum abrupe
runt.

Aſſerunt deinde & concilia & patres o
mnes per *vnius vxoris virum* 1. Tim. 3. intel
lexiſſe *eum, qui quandoque fuerat vnius vxo*
ris vir, vel ſaltem nunc vixit a coniuge ſeiun
ctus. At nos oſtendimus nec in lege, nec in
euangelio vixiſſe ſacerdotes ab vxoribus ſe-
iunctos. imò, vxorem Petri peregrinantem
ipſum concomitatam eſſe conſtat. veteres
7 *Diſt.* 31. *c.* 1. *quoniam.* autem canones [7] excommunicant eum, qui
præſumpſerit presbyteros & diaconos priuare

contra

tractu & communione vxoris. In orientali eccleſia ſemper ſacerdotibus coniugii vſus permiſſus eſt. *Orientalium eccleſiarum presbyteri & diaconi in matrimonio copulantur*, vt inquit [8]Stephanus papa. imò ex cap. Cenomanenſem, diſt. *56.* conſtat *ſacerdotibus ante prohibitionem vbiq; licita fuiſſe coniugia: & in orientali eccleſia nunc licita eſſe.* 8 Diſt. 31. Aliter.

Proferunt tertiò nobis Hieronymi & Epiphanii teſtimonium contra coniugia epiſcoporum & presbyterorum. ſed neque neceſſario requirunt illi cœlibatum in ordine eccleſiaſtico: nec aliquid valet duorum ſtudium, contra apoſtolicas leges & conſuetudines.

Appellant denique furioſi iſti Turcopapiſtæ homines cõiugatos *equos ſalaces & effrenes*, ore impuro Dei inſtitutionẽ blaſphemãtes. Sed ſi ſuos cœlibes ſacrificos, & raſos monachos ita vocaſſent, verius dixiſſent. ex iſto enim cœlibatu adulteria, ſtupra, inceſtus, & nefandæ libidines, & impuritas horrenda, & ſcelera plurima fluxerunt. Sed quid nos argute contra Ludouicum hunc, quẽ aduerſarii cauponem fuiſſe fingũt, diſſeramus? an quicquam cogitari potuit ineptius, quam cauponem de rebus religionis controuerſis accuratè diſſerentem audire? huiuſmodi tamen miracula apud papiſtas aut fiunt, aut finguntur. nimis ergo ſe felices prædicare poſſunt, apud quos caupones, coqui, tabernarii, muliones, & huiuſmodi homines inepti Pag. 365.

Dd

ita docti ſunt, vt cauſam pontificis Rom. argutè tueri & defendere poſſint. Sed nolumus hæc vlterius proſequi, ne in eaſdē ineptias & nos etiam incidere videamur.

Iterum etiam inculcant quæ ſuperius de ieiuniis, & libris canonicis, & miniſterio & liturgia eccleſiæ fuſe diſputata ſunt. ſed nos antea mendacia eorum diluimus, & aditum ipſis ad concluſionem ſuam inferendam interclusimus. antea nos reprehenderūt, quod *nec quadrageſimam ſeruaremus*, *nec ieiunia tam religioſe ac Turca coleremus*. hîc Ludouicus & Turcas, & noſtros ſimiliter ieiunare dicit. idem etiam mulieres apud nos publicè eccleſiaſtico fungi miniſterio cōminiſcitur. Sed niſi hæc doctè probarint Reginaldus & Giffordus, omnes non tam doctos viros, quam cauponem inſulſum hæc dixiſſe putabunt. Non pudet denique ipſos affirmare ſcripturas à nobis detorqueri ad fœminarum miniſterium probandum. ſed priùs oſtendendum erat, noſtros tale miniſterium probare.

Dicūt etiam in perſona Ludouici obiter, *Caluinum ſcripturis abuti, vt tollat, vel ſaltem minuat authoritatem magiſtratus, vbi loquitur de reformatione eccleſiæ.* Sed adeo manifeſta eſt calumnia, vt mirandum ſit, ſi quiſquam poſthac eis quicquam vel diuini, vel humani credat tam apertè mentientibus. Eo enim in loco [1] loquitur de prælatis papalibus, qui interdictis ſuis libertatem Chriſtianam

[1] *De ration. reforman. eccleſ.*

nam

nam turbant; & non de magiſtratibus, quorum ille maieſtatem ſemper veneratus eſt, & eorum iura aduerſus proditiones & conſpirationes pontificum Roman. acerrime defendit. Neque ad rem facit, quod magiſtratus interdum carnium vſum prohibent. aliter enim magiſtratus, aliter pōtifex Rom. Illi vt rem reip. vtilem carnes certis diebus prohibent, & non propter conſcientiam; iſte propter animæ ſalutem, & vt conſcientiis laqueum iniiciat.

Poſtea verò ad inſtitutum de mulierum ſacerdotio ſermonem ſe referentes, Lutherum grauiter accuſant, quod *ex ſcripturis huic rei tam abſurda argumenta quæſiſſet*. Sed non eſt mirandum eos Luthero iniuriam facere, cum nihil aliud quærant, niſi vt ex detortis eius ſentētiis inuidiam ei apud homines imperitos conflent. Nos, ſæpe reſpōdimus *Lutherum* publicum miniſterium fœminis non concedere: & hoc eius ſcripta aperte docent. Neque obſtat, quod priuatim & extra ordinem illis poteſtatem facit de religione Chriſtiana loquendi. quis enim hoc vllis Chriſtianis prohibeat?

Richardus [1] Moriſinus principatum Regium aduerſus tyrannidem pontificis Rom. accuratè defendit, & inter alia vſus eſt exemplo [2] Saulis, qui aſſumptus ad regnum Samuele maior erat. hoc autem canes iſti admordent. aiunt enim *hoc ex illo exemplo, &*

[1] *In Apomaxi contra Cochl.*

[2] *1. Reg. 8.*

verbis ſcripturæ 1. Reg. 8. non ſequi; & concluſionem Moriſini mirabilem eſſe. Sed verbis vis eius argumenti non tam facilè diluitur. Nec ſanè cauſa eſt, cur iſti noſtras ſcripturæ interpretationes rideant, cum tantam pontifices Romani & papiſtæ in detorquendis, & deprauādis ſcripturis ſibi licentiam ſumant. *Spiritualis homo*, inquiunt illi, *omnia iudicat:* ergo pontifex Roman. ſummus eſt controuerſiarum religionis iudex. *eleuaſti humilem è terra*; ergo *pontifex Rom. eleuandus eſt ex ſede ſtercoraria.* Deus fecit duo magna luminaria, hoc eſt, inquit [3] Innocentius, *pontificem & imperatorem.* quia dictum eſt, *ecce duo gladii hîc*; pontifici Rom. duos gladios datos [4] concludunt. *conſtitui te ſuper gentes*, inquit Deus ad prophetam: *hoc autem pontifices Rom. ſibi dictum, & ſolis quidem* [5] *arbitrātur.* imò quędam loca ſcripturę planè ſuis interpretationibus inuertunt. Dixit [6] Deus, *nō facies tibi ſculptile, vt illud adores*, iſti autem dicunt, *facienda eſſe ſculptilia, & adoranda.* Chriſtus in inſtitutione cœnæ ſuę mandauit, *vt omnes qui ſacramentalem panē comediſſent, ex calice dominico biberent.* iſti autem per omnes, dicunt intelligi, *non omnes.* Chriſtus omnibus ſuis diſcipulis dixit, *ſcrutamini ſcripturas*; iſti cōtra populū à ſcripturis arcēt, & dicunt, *ne ſcrutamini Scripturas. Paulus eas vtiles eſſe* docuit, iſti *noxias.* Quædam etiam interpretationes ſunt planè ridiculæ. *Boues errabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos.* hoc eſt,

[3] *C. ſolitæ. de maior. & obed.*
[4] *C. vnam ſanctam, de maior. & obed.*
[5] *Ibidem.*
[6] *Exod. 20.*

eſt, inquit[7] Thomas, *minores, id eſt, aſini, debent prælatis, hoc eſt bobus, in credendo adhærere.* quædam ſunt prorſus blaſphemæ. Bonauentura vniuerſum pſalterium ad beatam virginem detorquet. Bartholomæus de Piſis Prophetas & Apoſtolos de ſuo Franciſco multa prędixiſſe[8] ſomniat. dies me deficeret, ſi cũcta ab iſtis ridiculè, abſurdè, blaſphemè, malè intellecta, detorta & deprauata commemorarem.

7 2. 2. q. 2. art. 6.

8 Lib. confor. fruct. 1.

Rapiunt quædam ex Moriſino & Aſchamo, quæ adulatoriè videntur dicta. quaſi verò nos omnium oratorum, poetarum, ludimagiſtrorum dicta & facta præſtare teneremur. poſſunt tamen illa multo meliore ratione defendi, quàm pontificiorum hominũ adulatoriæ blaſphemiæ.[1] Stapletonus Gregorium decimumtertium *ſuum ſupremum in terris numen* vocat. De Leone decimo ita loquitur in concilio *Lateranenſi*[2] *Simon Begnius* epiſcopus Modruſæ, *ecce venit Leo de tribu Iuda. & te Leo ſaluatorem expectauimus.* In Concilio Tridentino dixit epiſcopus Bitontinus: *papa lux venit in mundũ.* hunc Deũ in terris, & Chriſti vicarium, & Petrã in qua fundata eſt eccleſia, vocare non formidant. Quid quod fraterculos & monachos, qui papâ ſunt longè inferiores, cum Chriſto comparare non verentur? Imo[3] *Dominicum*, & *Franciſcũ* & in vitę genere, & in manſuetudine, & humilitate, & laboribus non dubitant cum Chriſto ęquare; in multitudine miracu-

1 In epiſtola ante princip. doctrin.

2 Concil. Lateran. ſub Leon. 13.

3 Antoninus in hiſt. Dominici.

4 Lib. conform. Frãciſ.

lorum eos Chriſto longè anteponunt. Debuerunt ergo has trabes ex oculis ſuis euellere; priusquam feſtuculas in oculis hominũ noſtrorum eiicere tentaſſent.

Aſſerunt denique *ſacerdotium muliebre à nobis defendi*; ſed hoc fronte planè meretricia. ex illo & noſtram ſententiam calumniandi, & ad religionem papiſticam cohortandi ſumunt occaſionem. ſed ſubducto fundamento, ruit vniuerſum calumniæ & cohortationis huius ędificium. Lutherum & Zuinglium totos dicunt *fuiſſe mulieroſos, totoſque ventri, Veneri, bellis & ſeditionibus deditos*; plauſtraque, vt dicitur, in eos effundunt conuitiorum. Sed quibus teſtibus freti? num præter apoſtatas perfidos, & rabulas conductos, & ganeones mendaces aliquos teſtes citant? nullos certè. At de pontificibus Rom. & prælatis, & monachis, eorumq; impuritatibus & flagitiis nos teſtes citamus locupletiſſimos: eoſque & ex propriis confeſſionibus, & papiſtarum ſcriptis, & hiſtoricorum monumentis; quibus ea veritas inuictiſſimis expreſſit, oſtendimus fuiſſe ſceleratiſſimos & turpiſſimos. ſed quid dico nos? tabulæ enim publicæ & hiſtoriæ oſtendunt fuiſſe rebelles, homicidas, veneficos, magos, apoſtatas, hæreticos, impios, blaſphemos, pæderaſtas, draucos, ſodomitas, virginum ſtupratores, hircos luxurioſos, adulteros: & vt vno verbo abſoluam, homines nequiſſimos. At Lutherum & Zuinglium non ta-

propt

propria innocentia, quam aduerſariorum odium à crimine liberat: nam multa contra eos, idque magna diligentia & labore inueſtigantes, nullum tamen ſceleris aut impietatis veſtigium reperiunt. Cum ergo tales ſint, quis non eorum hominum labores & virtutes grata memoria proſequatur? præterea cũ tales ſint qui in ſynagoga Roman. dominantur, quis non eam, velut Babylonem, & hæreſeôn & ſcelerum fontem execretur? ad omnes Deus loquens dicit: *exite ex ea popule mi.* exitium enim eius iam imminet; & ſicut prædixit Deus, ruet Babylon, fietque Roma papiſtica *ferarum luſtrum*, & *receptaculum immundorum.*

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

De diſceſſione à Pontifice Rom. aduerſus lib. 3. cap. 1.

ETſi ſubuererar interdum, ne moleſta rerum earundẽ repetitio quæ mihi nauſeã peperit, vobis etiam tędium generet, dabitis tamẽ, vt opinor, veniam, vt Turcopapiſtas iſtos fugitantes, & per lõgas ambages, & ineptas cõfabulationes incedentes, veſtigiis perſequar.

Ex ſupiore Turcę Michęę diſputatione me-

tuunt iſti, ne multi ab eccleſia noſtra in Turcarum caſtra transfugiant; ex ſeipſis fortaſſe de aliis capientes coniecturam. nam quoniam ipſi iam impiè religionem Chriſtianam deſerentes, ad papiſtas transfugerunt; putant nos etiam omni leui flatu doctrinæ cõmotos fidem mutaturos. Sed curent illi res ſuas, ſuamque meretricem Babylonicam omnibus ſuis lenociniis ornẽt: de hominibus noſtris ſolicitudinem ſuam deponant. noſtra fides non ſuper homines errori & mutationi obnoxios, ſed ſuper Ieſum Chriſtum petram immobilem: non ſuper decretales & placita pontificum, quæ ſubinde mutari ſolent; ſed ſuper certiſſimam doctrinam Ieſu Chriſti nobis per prophetas & apoſtolos traditam, quæ ſemper immota & inconcuſſa manet, fundata eſt. Quod autẽ ad Alchorani & decretalium impietates attinet, tam ab eis abhorremus, quàm qui maximè; non tantum Mahometanæ perfidiæ, ſed etiam omni hæreſi anathema maranatha dicentes. Neque nos Michææ diſputatio quicquam commouit, hominis ineptiſſimi & planè impii. quis enim non intelligit hęc à papiſtis plus millies eſſę decantata, & à noſtris refutata fuiſſe?

Cum ergo diſputãdo nihil profectum eſſe vidiſſent, ad fictiones ſuas inſulſiſſimas cõfugiunt. fingunt enim nos fateri *nonnulla eſſe in Turcarum Alcharano noſtro euangelio longè excellẽtiara.* At nos hoc planè impiũ & blaſphe-

ſphemum eſſe dicimus, & toto hoc tractatu negamus & oppugnamus. fingunt etiam *nobis illud dolere, quod papæ regnũ euerterimus: ex eo enim inter nos ſectas, ſeditiones & ſchiſmata exorta eſſe.* quaſi verò in vlla re magis lætari ſoleant noſtri, quàm quod antichriſti opes tam bene fundatas diſſiparint; aut quicquã cogitari poſſit reip. Chriſtianæ vtilius, quàm iugum illud ſeruitutis, quod multos annos ceruicibus Chriſtianorum antichriſtus impoſuerat, excutere. Neque adeò ſumus dementes, vt quæ iſti narrãt ſchiſmata & ſeditiones, vel inter nos eſſe fateamur, vel ex illo fonte profluxiſſe cõcedamus. nos enim ſemper publicè concordiam aluimus, pacẽ quęſiuimus. Synagoga autem pontificia viginti quinque grauiſſimis ſchiſmatibus mirum in modũ afflictata & iactata eſt, & nunc tot habet ſectas & diuiſiones, quot ſunt monachorum ordines; imò quot cauſæ põtificiæ actores. ibi factiones, cõtentiones, ſeditiones regnant. ex hoc fonte multa mala ad nos profecta ſunt. *canonici regulares & ſeculares,* inquit Rodoric. de Zamor. in ſpecul. humanæ vitæ, lib. 2. c. 19. *inter ſe ſectas faciunt, diſcordias nutriunt.* Platina dicit *pontifices Rom. nõ ſecus ac ſæuiſſimos tyrãnos inimicitias inter ſe exercere.* hinc factum eſt, vt pontificem Rom. ſicut antichriſtum in templo Dei iamdudum regnantem, detractũ cupiamus. & hoc ſummè Lutherus [1] concupiuit. nemo tamẽ ita in hoſtibus vincendis laborauit, vt nulla cura reip.

[1] *In præfat in Ioelem. Vitus Theodor.*

aut conſtituendæ aut conſeruandæ tangere-tur. Neque enim nobis deſunt certæ leges, nec iacet eccleſiæ diſciplina. tyrannis exulat, mores Chriſtianorum ad normã legum cõpoſiti ſunt, vnuſquiſque officium ſuum facit, licentia improborum legibus eccleſiaſticis & politicis coercetur.

Præterea aſſerunt *nos libertatem prædicaſſe*, & hoc à noſtris dari fingunt. Sed nec quiſquam noſtrûm hoc concedit, nec verum eſt: nos enim non ſimpliciter libertatem, ſed Chriſtianam libertatem prædicamus. ea autem nec à diuinis mandatis, nec à legibus humanis liberat; ſed tantum à vana ſuperſtitione, & legum antichriſti adamantinis vinculis. atque ita ex ieiuniis aut vigiliis, aut votis papiſticis neglectis docemus neminem peccatum incurrere. Imò ſunt ex papiſtis nonnulli qui talia vota grauiter reprehendunt:

O vanas, inquit [a] Palingenius, *homini curas, ô futile votum*!

[a] In Cancro.

Ridiculum enim eſſe per *raſum verticem* & habitus inſuetos ſperare cælum: & pleroſque *dum mundum ſe fugere ſimulant, immunditias ſequi.* non ergo ex noſtra doctrina ſequitur anarchia, vt iſti fingunt, ſed rectus ordo, & conſcientiarum quies, & libertas Chriſtiana, qua nos Chriſtus, deuictis noſtris aduerſariis, & vera doctrina tradita, donauit.

Hoc etiam loco cõtendunt, *nos neceſſitatem vxores ducendi inuictam docere*. ſed hoc

vald

valde pugnaret cum doctrina Christianæ libertatis, quomodo enim liberi eſſent qui vxores ducere neceſſario tenentur? pugnat ſanè cum eccleſiæ noſtrę doctrina.

Fingunt poſtremò noſtros manus dare, & quaſi alterum cornu exercitus noſtri pulſum fateri. Sed nihil hoc eſt aliud, quam apertè præuaricari, & de triumphis inanibus ſomniare. neque enim adhuc noſtras copias vidiſſe aut attigiſſe videntur: tantum abeſt, vt pepulerint. nec inuicta ſtante veritate, pellent in æternũ. interim verò fuci clauſtrales, & monachorum ignauiſſimorum cateruæ, & ipſe pontifex Romanus, & eius ſeditioſi miniſtri, ex maxima orbis terrarum parte, propter inſignes impietates & flagitia, eiecti ſunt.

Abſolutis verò fictionibus, Reginaldus & Giffordus vultum ſuum ad Turcicã acrimoniam componentes, nobis clam obiiciunt defectionem ab antiqua fide: iidemque palam aſſerunt *non minus licere à noſtra fide ad Turcicam impietatem, quam nobis licuit à papiſtica religione ad euangelium tranſire.* Sed nouimus ipſos in malè loquendo multũ verſatos eſſe. Sunt enim ex Turcica proſapia ſcurræ famoſi. nos autem argumenta pro maledictis exſpectabamus. ad maledicta & blaſphemias reſpondeo, ſtulte & impudenter eos Chriſti euangelium cum Alchorano comparare. Atque vt noſtrã doctrinã intelligant; omnes tamen vident diſpatem eſſe Al-

chorani & Euangelii rationem. neque licet frontem valde perfricuerint, puto aduerſarios affirmaturos, eodem loco habendos qui omnes articulos fidei Chriſtianæ profitentur, & qui nullum omnino rectè tenent. Ad prius illud reſpondemus, impudenter nobis defectionem ab antiqua fide obiici. relictis enim Synagogæ Roman. nouitatibus, ad apoſtolicam eccleſiam reuerſi ſumus. illi autem in rebus grauiſſimis ab antiqua defecerunt fide. antiquitus enim nullæ in eccleſia adorabantur imagines: angeli & ſancti non inuocabantur: nõ procidebant homines coram ligneis & lapideis crucibus: non adhuc natum erat monſtrum *Miſſa*, quod tot ſeculis antichriſtus parturiuit: ignota erat tranſubſtantiatio: ſacramenta integra diſtribuebantur: preces in lingua non intellecta antiquitus non demurmurabat populus Chriſtianus: põtifex Roman. epiſcopus erat, & nõ rex aut tyrãnus: non procedebat ſtipatus militum ſatellitio: non calcabat principum ceruices: eo tempore nati non erant Cardinales; quos Brigitta 4.49. dicit *extentos & effuſos eſſe ad omnem ſuperbiam, cupiditatem & delectamentum carnis*; quod etiam totus terrarum orbis videt: nulli olim per orbem mittebantur à pontifice nuntii, nec alii aulæ Roman. ſanguiſugæ tunc ſanguinem Chriſtianorum exorbebant. denique, vt vno verbo multa complectar, nec olim editæ erant decretales pontificum, nec receptæ ſunt mendaces traditiones

ditiones & legendæ, & libri rituales idololatrici. Cum ergo hęc omnia aliaque plura commenta antichriſti noua eſſe deprehenderemus: planè indigni fuiſſemus nomine Chriſtiano, niſi ad antiquiſſimam, & apoſtolicam fidem & traditionem nos recepiſſemus. qua in re illos optimè feciſſe exiſtimamus, qui proxime ad antiquæ Chriſti eccleſiæ formam acceſſerunt, & longiſſime ab hæreſibus papiſtarum receſſerunt.

Occulte etiam Principem *Auranienſem*, *Iacobum Scotiæ* proregem, & *Mauritium* ducẽ Saxoniæ perſtringunt, *quaſi illi in principes ſuos à quibus beneficia acceperant, ingrati fuiſſent: & æque liceret aliis ad Turciſmum deficere, atque iſtis aduerſus principes ſuos arma ſumere*. Sed hæc, niſi violenter huc contorqueri non poterant. pręterea ineptiſſimę res disiunctiſſimæ comparantur. aliud eſt enim à religiono Chriſtiana deficere, aliud aduerſus hoſtes ſuos & ſeditioſos pontificum Rom. miniſtros arma neceſſaria ſumere. Prętererea, portentoſa eſt aduerſariorum impudentia, qui vel leuiſſimam iſtorum principũ mentionem facere non erubuerunt. quis enim non meminit Auranienſem Principem à Philippo Hiſpano, cuius ille ſubditus non erat, contra fidem datam ſæpius oppugnatum, & à papiſtis tandem perfide & proditorie obtruncatum? dolo, inquam, & perfidia cæſus eſt, quem aperto Marte hoſtes ignauiſſimi ſubigere non potuere. Iacobus etiam

Scotiæ prorex cum ſummo magiſtratu, durante regis pupillari ætate, fungeretur, papiſtarum inſidiis, à quibus ſi timuiſſet, facile cauere potuiſſet, occubuit. in reginam ſorore[illegible] nihil fecit non neceſſariò, nihil niſi lege & more maiorum.

Mauritii opera Carolus quint⁹ hoſtes ſuos in Germania vicit. diſtractis enim eius opera Germanorum copiis, ipſe facilem Carolo contra omnes victoriam tradidit. nihil ergo habuit Mauritius, niſi ex pacto & merito. At Carolus quintus fidem ipſi datam de *Lantgrauii* libertate non præſtitit: & præterea Germanis ſeruitutis iugum, contra leges pa[illegible]us imponere meditabatur. Iuſtè ergo ipſi [illegible]m intulit Mauritius, & ex Germaniæ finibus exegit.

De monaſticis poſtea votis & cœlibatus profeſſione verba facit Turca Michæas. ſed cum nihil profecerint papiſtæ argumentis; nihil eſt, quod Turca iſte votorum contemptum reprehendat. quis enim non reſcindat votum & iuramentum temere factum, ex quo dum nituntur monachi contra natura[illegible] & legem Dei, tot peccata, & ſcelera proficiſcuntur?

Aſſerit denique Michæas *in Alchorano eſſe veritatem & lucem, & ſummam conſenſionem, & antiquitatis authoritatem.* non ergo temere credēdum eſt papiſtis antiquitatem & vnitatem ſuam, imò veritatem & lucem decretalium arroganter iactantibus. cure-

nim

nim magis credamus Turcopapiſtis, quam Turcis? nõne & diaboli fraudes antiquiſſimæ ſunt? nonne *per traducem antiquitatis*, vt inquit [1] Auguſtinus, *ſæpe commendatur fallacia?*

[1] *Quæſt. vet. & no. teſt. q.* 114.

Repetit etiam toties à papiſtis cõtra nos decantata maledicta de ſectis, ſeditionibus, hæreſibus & huiuſmodi, lectoremque ſuum battologiis ſuis enecat. ſed non eſt mirandum eos maledictis pios Chriſtianos inſectari, qui aduerſus Chriſti euangelium tot blaſphemias effundere, & tot encomiis blaſphemum Mahometi Alchoranum ornare non verentur. Nobis hæc patienter ferenda ſunt. quid enim aſinis iſtis faciamus calcibus nos incurſantibus? Deus etiam iniuriam propter nomen ſuum paſſis coronam reddet. at Giffordus pœnas dabit, qui Turcica larua indutus, virus ſuum aduerſus veritatem euomuit, & vt liberius Chriſtianam fidem allatraret, ad Turcas confugit.

Cap. II.

Refelluntur aduerſariorum calumniæ aduerſus fidem noſtram de trinitate perſonarum, & vnitate eſſentiæ diuinæ, & de Chriſti perſona: cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. lib. 3.

QVæ ſit eccleſiæ reformatæ de ſanctiſſimo & auguſtiſſimo Trinitatis myſterio, & aliis Chriſtianæ religionis capitibus fides, ex noſtris confeſſionibus publicè editis ſatis conſtat. nihil enim clam foue-

mus, nihil occultamus, nihil non toti terrarum orbi notum eſſe cupimus. Quod ſi ergo nos, velut peruerſe ſentientes, aut dogmatizantes, Giffordus redarguere voluiſſet; non tam priuatorum hominũ dicta & ſcripta concerpere, flectere, & contra ſcriptorum, vt plurimum ſententiam detorquere, ſed aliquod confeſſionis noſtræ caput euertere debuit. ſi hoc vel ipſe, vel Reginald⁹, vel quiſquam ex toto ſodalitio feciſſet, tum ſe diſputatorem acutum, tum ſe hoſtem formidandum, tum ſe virum præſtitiſſet. Nunc autem meras nugas agit; vt ex ſuis etiã ſodalibus diſcere potuit. ipſi enim cum vrgentur *Pighii, Hoſii, Gerardi Lorichii, Staphyli, Cochlai, Sylueſtri Prieratis, Roffenſis, Eckii, Hardinghi*, & aliorum ſodalium ſuorum confeſſionibus & ſcriptis: reſpondent *eos ſingulares fouere opiniones, viros eſſe priuatos; ſe autẽ ſingulorum ſententiis non teneri*. Cum ergo hoc ſibi concedi poſtulant, quid eſt, quod Giffordus & Reginaldus Caluini, Lutheri, Zuinglii, & aliorum doctorũ noſtrorum priuatas nobis opiniones obiiciant? num illi æquum cenſent, legem in nos ferre, quã ipſi nõ patiũtur?

Nobis ergo iniuriam faciunt, qui eccleſiã noſtram vel hæreſis, vel alicuius prauæ ſentẽtiæ in doctrina de vno Deo & tribus perſonis accuſant. Quod quidem & ipſi aduerſarii fatentur. nam & Carolus Cæſar ex conſilio ſuorum doctorum [1] pronuntiauit, *dogmata de Trinitate, & Verbi incarnatione nõ habe-*

[1] *In colloq. Ratisbon. an.* 1546. *& Sleidan. lib.* 16.

re controuerſiam: & hoc nouum crimen à recentioribus monachis nuper excogitatum eſt. Preterea, & theologis noſtris per calumniam euidentiſſimã crimen hereſis imponunt. quid enim illi non orthodoxè, & catholicè ſcripſerunt?

[2] Significant quidem Turcopapiſtæ iſti, quendam è noſtris docuiſſe, *Diuinitatem Chriſti mortuam eſſe*. ſed hoc nos flagitiosè & impiè dici fatemur omnes. quid, quod nec ipſi aduerſarii aliquem ita docentem proferre poſſint? *2 De Caluinot. lib. 3. c. 2. p. 383.*

Iuellum[3] reprehendunt, quaſi ipſe negaſſet Chriſtum Deo obtuliſſe ſacrificium. quod optimo & doctiſſimo illi epiſcopo nũquam in mentem venit. imò ipſi eius accuſatores eum crimine liberant. non enim alio nomine, vt ipſi fatentur, reprehendit papiſtas, quam *quod Chriſtum Chriſto offerri* dixiſſent. hoc autem iure reprehendere potuit. nam etſi Chriſtus quoad humanitatem tantum mortem ſubiit, & factus eſt victima pro peccatis noſtris: tamen non congruè, nec orthodoxè dicitur Chriſtus Chriſto oblatus: neque huiuſmodi ſententia vſquam, vel in ſacris literis, vel patrum ſcriptis, reperitur. Imo magna incommoda ex hac enunciatione ſequuntur. Chriſtus enim non naturæ, ſed perſonę nomen eſt; & actiones, vt ſcholaſtici loquuntur, ſuppoſitorum ſunt, ſiue perſonarum; & idem ad ſeipſum commodè relationem habere non poteſt. Si er- *3 Ibidem, 384.*

go Chriſtus Chriſto ſeipſum offerret, ſequeretur non vnam, ſed duas eſſe in Chriſto perſonas, ſecundum Neſtorii hæreſim. Habemus aliam præterea defenſionem. nam lib. 1. contr. Hardingh. art. 1. §. 5. p. 14. verba huiuſmodi, qualia Turcopapiſtæ iſti deſcripſerunt, apud Iuellum nuſquam reperiuntur.

[1] *Caluinot. p. 385.*

Aſſerunt [1] præterea in perſona Samuelis, *Iuellum noſtrum non raro lapſum eſſe, multoſque eius errores in publicis ſcriptis & concionibus annotaſſe Puritanos.* Sed quid iſti canes ad latrandū cōducti aſſerant, nō magnopere laborandum eſt. Iuellus dum vixit aduerſus omnes papiſtarum cateruas inuictus ſtetit. omnia enim eius ſcripta diligenter rimati & ſcrutati ſunt eius aduerſarii, & tamē nullum in fide errorem reperire potuerunt. ſtant itaque eius ſcripta, tanquam firma aduerſus antichriſti perfidiam propugnacula; eaque aduerſarii facilius allatrare, quam euertere poſſunt. Nam etſi ex noſtris etiam nonnulli à reuerendo illo viro diſſenſerunt, nunquā tamen illi errorem aliquem, vt iſti dicunt, in fide impoſuerunt. ſed ſi aliqui ſint eius errores, cur non eos notant? cur nō loca ſignāt? cur, ſi non omnes, at vnū aut alterū oſtēdūt?

[2] *Ibidem. p. 387.*

Noſtram denique de Deo & Chriſto fidem propè ad Alcoranum accedere [2] pronuntiant: quod quidem ſi verum ſit, crimen eſt grauiſſimum; ſin falſum, tum calumnia eſt inſigniter improba. videamus ergo quid latrato-

ratores iſti ad liberandam fidem ſuam afferre potuerint.[3] Aſſerunt primò *nos baptiſmũ Mahometiſmo impuriorem putare*. certè. ſed quorſum iſta? nam hæc de Trinitate perſonarum & vnitate Diuinæ naturæ fides non eſt papiſtica, vt iſti contendunt, & vt *Valentinus Gentilis* exiſtimauit; ſed eccleſiæ antiquæ, & veterum patrum diu ante enatum papiſmum. Præterea papiſmum non ſimpliciter, ſed in multis dicimus eſſe Mahometiſmo deteriorem. quę ne gratis dicta videantur, ipſa capita ſumma errorum & hęreſeôn ſuperius annotata ſunt.

3 *Ibidem p. 388.*

Aſſerunt ſecundò fidem *de Trinitate generalibus regulis noſtræ doctrinæ refelli. nos enim nihil probare neceſſario credendum, niſi quod manifeſtis, & expreſſis ſcripturæ teſtimoniis poteſt probari.* Sed primum impudenter, ne dicam flagitiosè, dicitur. neque enim vel vnum apicem doctrinæ noſtrę afferre poſſunt cum fide Chriſtiana pugnantem. Secundum etſi verum ſit, tamen inde non rectè concluditur, nos fidem de Trinitate impugnare. Quis enim dubitet, quin fides de Trinitate & Chriſti diuinitate ex variis ſcripturæ locis diſertè probari poſſit? Inde veteres patres arma ſumpſerunt ad atheorum hæreticorum inſultus propulſandos: inde nos firmamenta fidei noſtræ de ſacroſancta trinitate habemus: & ſanè abſque ſcripturæ teſtimoniis omnis fidei Chriſtianæ certitudo vacillat.[1] *fides* enim eſt ex *audi-*

1 *Rom. 10.*

tu, & auditus ex verbo Chriſti. & verbũ Chriſti nuſquam nunc, niſi in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis quęrendum eſt. At inquiunt [a] iſti, *quod à Deo patre qui ſolus eſt ingenitus, per intellectualem, & eam maximè propriam generationem ab æterno proceſſerit filius, & quod patri ſit conſubſtantialis, & quod proprie Verbum & imago patris dicatur, & quod Spiritus ſanctus à patre & filio tanquam vno principio non tamen liberè, ſed neceſſario proceſſerit, & huiuſmodi alia ex ſcripturis oſtendi non poſſunt.* Sed multa hîc miſcentur, q̃ ſunt alterius generis. Filiũ à patre ęterno ante ſecula genitum eſſe, & patri conſubſtantialem eſſe, & *Verbum* ęternum dici, ex ſcripturis diſcimus. ſimiliter ex eiſdem intelligimus, Spiritum ſanctum à patre & filio tanquam vno principio procedere, & eiuſdẽ eſſe ſubſtantię; & tres iſtas perſonas, licèt inter ſe diſtinguantur, pares tamen eſſe & vnius potentiæ & maieſtatis: vnam denique eſſentiam eſſe in tribus perſonis ex ſcripturis intelligimus. Primum illud de æterna filii ex patre generatione, & cõſubſtantialitate, probatur ex c. Iohan. 1. a. 1. & c. 17. a. 5. 10. 11. & c 14. b. 9. & cap. 20. f 28. & Rom. 9. a. 5 & Philip. c. 2. a. 6. Quod Verbũ ſit, & imago patris ęterni, ex Ioan. cap. 1. & Hebr. 1. intelligimus. Quod Spiritus à patre & filio procedat, & eiſdem ſit conſubſtantialis, docet nos Spiritus ſanctus Gen. 1. a. 2. Ioan. 14. b. 16. d. 26. & c. 16. a. 7 & b. 15. Rom. 8. b. 9. & 11. Act. 5. a. 3. & 4. 1. Cor.

[a] *Ibidem p. 390.*

..2.a. 4. 5. 6. & cap. 3. e. 16. Tres eſſe perſonas diſtinctas, docet nos ipſe Chriſtus Mat. 18. 29. & Marc. 16. 15. & Ioannes 1. Ioan. 5. 7. Vnā eſſe omniū potentiā, & eſſentiam, omnes illi loci oſtendunt, qui vnum eſſe Deum docēt. Neque hęc nos nude affirmamus; ſed ſententiam noſtram patrum ſcripta variè confirmāt, qui hæc myſteria non ex traditionibus hominum, ſed ex ſcripturarum documentis demonſtrarunt. ex ſcripturis etiam alia omnia ad ſalutem neceſſaria edocemur.

At ſcholaſticas ſubtilitates de Trinitatis ſanctiſſimo myſterio è ſcripturarum fontibus deriuari non eſt neceſſe: neque enim ſunt ad ſalutem neceſſariæ. multa de veſtigio trinitatis in omnibus creaturis, & imagine trinitatis in homine, in ſcholis diſputantur. ſimiliter de relationibus & quidditatibus, & notionibus in diuinis; quę non eſſe neceſſaria, inde conſtat, quia de iſtis rebus [3] diuerſæ ſunt, & repugnantes inter ſe ſcholaſticorum ſententię. Diſputat [4] Thomas, *licere contraria opinari de notionibus in diuinis, ſi nihil inde aliud ſequatur contrarium fidei.*

[3] *Dionyſ. Carth. in 1. ſentent. diſt. 2. 3. 4. 5. & ſequent.*

[4] *1. part. qu. 32. art. 4.*

Præterea, nonnulla ex iis quæ Giffordus & Reginaldus neceſſaria putant creditu, incerta ſunt; nonnulla planè falſa. dicunt illi, *generationem filii intellectualē eſſe.* at Spiritus ſanctus aliter nos docet per Prophetam: oſtendit enim eam ineffabilem eſſe. *genera-*

tionem eius, inquit [1] Propheta, *quis enarra-bit?* hoc etiam docent patres. *Non putet ho-mo*, inquit [2] Hilarius, *ſua intelligentia ſe ſa-cramentum generationis poſſe conſequi.* Simi-liter [3] Ambroſius: *Impoſſibile eſt*, inquit, *ge-nerationis ſcire decretum.* Idemque probatu[r] ratione. Nam ſi generatio filii ſit ad modum verbi in intellectu; tũ non erit æterna; & eri[t] aliquid in humanis rebus ſimile ſummo Deo noſtro, qui nihil habet ſimile, nec ſe-cundum; & non erit filius perſona ſubſiſtẽ[s] diſtincta à patre: quod euertit totum fide[i] noſtræ myſterium. idcirco nobiſcum ſenti-ens Alexander tertius in epiſtola ad Solda-num, quæ habetur apud Matthæum Paris i[n] Henr. 2. p. 108. ita loquitur: *Modum geni-turæ aut proceſſionis iſtius humana ratio non attingit.*

[1] *Iſa 53.*
[2] *Lib. 1. de Trin.*
[3] *Lib. 1. de fide ad Gratian. c. 5.*

Dicunt filium *à patre genitum eſſe: & Spiri-tum ſanctum a patre & filio non liberè, ſed ne-ceſſario proceſſiſſe.* At ſi rectè dicatur, *pater vo-lens genuit filium*, & volũtas libera ſit, cur nõ dicatur pater libere genuiſſe filium? *Eos qui dicunt quod neque concilio, neque voluntat[e] pater genuit filium*, inquit [4] Hilarius, *anathe-matizat ſancta eccleſia.* Certè cum Deus ſit *liberrimum agens*, vt loquuntur, quis patri in generatione filii; & patri & filio in proceſſio-ne Spiritus ſancti libertatẽ adimat? præter-ea, cum omnia poſſint; quid illi non volun-tate & liberè faciant, & cui neceſſitati ſub-iecti ſint?

[4] *Hilarius ad artic. 25. ſynod. Syrm.*

Aſſe-

Aſſerunt denique ſola *originis relatione diſtingui filium a patre.* At [s] Thomas, quem illi magiſtrum non dedignantur, dicit *melius diſtingui perſonas relationibus, quam per originem*: quod ille Boethii authoritate probat; & ratione etiam oſtenditur. Nam Pater & Filius in communi ſpiratione Spiritus ſancti non diſtinguuntur. vnum enim ſunt, vt loquũtur, eius principium. atque ita magni iſti ſophiſtę dum ſoli ſapere videri volũt, & alios docere; in magnos errores & ineptias ipſi turpiter incidunt. Sed non debet illud cuiquam mirum videri. ipſi enim Turcam, qui Trinitatis tollit myſterium, introducunt ſophiſticè, & ſcholaſticè de ſummo hoc myſterio diſſerentem; & ab eo ſuę ſcholę myſteria ediſſeri & vulgari voluerunt.

[s] 1. *par.* q. 40. *art.* 3.

Præterea, vt oſtendant myſterium Trinitatis ex ſcripturis non poſſe ꝓbari, aſſerunt *vocabula perſonam, relationem, abſolutum, conſubſtantiale, non haberi in ſcripturis. atque vt ibi haberentur, noſtros tamen diſtinctionibus ſententiam verborum eludere, negare enim nos verum Chriſti corpus eſſe in eucharistia, licèt hoc communiter Euangeliſtæ doceant: & Caluinum* [6] *locum illum*, ego & pater vnum ſumus, *contra ſententiam patrũ interpretari.* Sed nihil hoc aliud eſt, quam ex aranearum telis funes texere, & magno molimine nugas agere. Nam etſi vocabula illa, quib. vtuntur ſanctiſſimi patres, in ſcripturis nõ reperiantur; eorum tamen fundamentũ

[6] *Ioan. c.* 10.

ex Scripturis deſumptum eſt. De corpore Chriſti in euchariſtia hoc loco intempeſtiuè mentio facta eſt. reſpondemus tamen, nos ea de ſanctiſſimo Chriſti corpore ſentire, quæ ſcripturæ docent. credimus enim verū corpus Chriſti in ſacramento euchariſtiæ ſumi, ſed ſpiritualiter & ſymbolicè. Corpus verò Chriſti materialiter & carnaliter dentibus communicantium atteri, vt iſti docēt, non credimus: nec hoc aliquis aut euangeliſtarum ſcripſit, aut veterum credidit. Caluini interpretationes ſingulares nos præſtare non tenemur. Verum vt non ex vno, aut altero loco, cuius præſidio vſi ſunt veteres, demonſtretur filii cum patre conſubſtātialitas; non tamen ſequitur, Caluinum de hoc articulo aut dubitaſſe, aut contra eos ſenſiſſe. Nam & patres ipſi in ſcripturæ interpretatione non rarò ſingulares afferunt ſentētias, & cum aliis valdè pugnantes: & papiſtæ in ſuis interpretationibus longiſſimè à patribus diſceſſerunt.

Idem etiam demonſtrant ex eo, *quod patrum & conciliorum authoritas à noſtris, vt ipſi aiunt, reiicitur.* Sed ad has calumnias ſępe reſponſum eſt. Concilia non alia damnauit [1] *Lutherus*, quam ea, quæ laqueos conſcientiis contra verbum Dei iniecerunt. Niceni concilii decreta de fide nemo noſtrûm improbat, licèt nonnulli adulterinos quoſdā canones, falsò patribus Nicenis aſcriptos, non probent. Patres plurimi facimus: non tamen

[1] *Ad Henr. 8. reg. Angliæ.*

tamen eorum errores ſequi tenemur. Quare, etſi conciliorum quorundam acta, & patrum dogmata, vbi illi ſcripturarum authoritatem neglexerunt, non probemus, nemo tamen noſtrûm non fatetur, eos Trinitatis myſterium rectè ex Scripturis explicaſſe.

Docent poſtremò, *ex Scripturis fidē Trinitatis non poſſe probari, quia hæretici ex eiſdē ſe contrarium demonſtraſſe putarunt, & doctores noſtri, ad conciliorum & patrum præſidium in eodem argumento confugere ſunt coacti.* Sed neque propter hæreticorum fraudes & errores à ſcripturis reſiliendum eſt: neque in conciliorum & patrum authoritate viri docti ſpem poſuerunt, vt non præcipuè ſcripturarum teſtimoniis pugnarint. *Illa*, inquit [2] Chriſtus, *teſtificantur de me.* Illę *vtiles* [3] *ſunt ad docendum & arguendum.* [4] *Scripturarum authoritates ſunt omnibus cōmunes teſtes*, vt loquitur Auguſtinꝰ. Ille ſcripturas docet eſſe [5] *ſtateram non doloſam*, in qua omnes ſententiæ exactè expenduntur. Ille [6] *ſcripturam tanquam in ſede ſublimiore conſtitutam eſſe docet, cui ſeruire debet omnis fidelis, & pius intellectus.* hac Auguſtinus & alii patres, Arrianos, & alios hęreticos deuicerunt. hanc ille *eminentiſſimæ authoritatis* eſſe [1] dicit. *Chriſtum & Apoſtolos ille iudices* [2] appellat. [3] Baſilius *Scripturam diuinitus inſpiratam ſuo iudicio rem definire oportere* dicit, *vt apud quos inuenta dogmata fuerint diuinis ſermonibus congrua, iis omnino veri-*

[2] *Ioan.* 5.
[3] 2. *Tim.* 3.
[4] *Contra Maximinū, li.* 3. *c.* 14.
[5] *De baptiſm. contra Donatiſt. lib.* 2. *c.* 6.
[6] *Contr. Fauſtum lib.* 11. *c.* 5.

[1] *De ciuit. Dei, l.* 11. *c.* 3.
[2] *De nuptiis & concup. li.* 2. *c.* 33.
[3] *Epiſt.* 80.

tatis ſuffragium deferatur. Poſt ſcriptura autem conciliorum & patrum teſtimoni adiungi ſolent, vt omnes intelligant, & pr ſcam eccleſiam, & nos vnam fidem amplect & eiſdem fundamentis niti.

Nec obſtat quod Caluinus, vt antea d ctum eſt, quædam Scripturæ loca de Trin tate, & Chriſti diuinitate teſtantia, aliter a que patres exponat. nam neque papiſtæ o mnes interpretum ſuorum ſententias rec piunt, nec Caluin⁹ vnquam dubitauit, qui ex Scripturę ſacræ principiis fides Chriſtia na de Trinitate perſonarum, & diuinitat Chriſti probari poſſit. Hunnius, odio veri tatis, varias ex ſcriptis Caluini occaſion ſumpta collegit contra eum calumnias. ſe eius petulantiam pii oderunt, D E V quandoque, niſi ipſum facti pœniteat, vin dicabit.

Non obſtat ſecundò Cartwrighti con tra ſynodi Nicenæ authoritatem & patre iudicium. illud enim communiter noſtr homines improbant, velut hominis teme rarii, & in concilium illud celeberrimum & patres nimis acerbi & iniqui.

Non obſtant denique *Arrii, Petri Sta torii, Blandratæ, Serueti,* & aliorum hæreti corum cõtra fidem Trinitatis, & Chriſti di uinitatem blaſphemiæ & impia dogmata Ea enim doctores noſtri diligenter oppu gnarunt, & nos omnes ea communiter exe cramur.

Qua

Quę ergo Giffordus & Reginaldus aduerſus Arrianos & Tritheitas, ſiue *Hungaros* ſiue *Polonos* colligunt; ea nihil ad nos attinent. Omnibus enim eorum hęreſibus dicimus anathema: imò quicquid ſcripturis repugnat, hoc nos abiicimus, condemnamus, & anathematizamus. Genebrardi, & Hūnii, & equitis Poloni, neſcio cuius, calumnias non pluris facimus, quam hoſtium & ſcurrarum maleuolorum maledicta.

4 Aſſerunt pręterea *duob. modis à noſtris impugnari fidem Trinitatis: nam quoſdam trium perſonarum ſubſiſtentiam tollere, quoſdam tribus perſonis diuerſas naturas aſſignare.* Atnos, vt cum Athanaſio loquamur, nec *confundimus perſonas*, nec *ſeparamus ſubſtantiam.* Quare, niſi hæc exactè doceant aduerſarii, hic manifeſtæ tenebuntur calumniæ. Videamus ergo accuſationis huius fundamenta. *4 Caluino-turciſ. lib. 3. c. 4.*

Primo aſſerunt *nullum fidei articulum in diſputationem apud nos veniſſe, quin ſectæ ſtatim differentes inde enatæ ſint: exempli gratia, de incarnatione Chriſti, & eius ad inferos deſcenſu, de aſcenſione in cœlos, & cœlo ipſo, de cœna Domini, vi & efficacia baptiſmi, confeſſione & abſolutione, libero arbitrio & prædeſtinatione diſcrepantes eſſe ſententias.* Sed nihil hæc ad Rhombum. hoc enim loco quæritur de perſonarum in diuinis Trinitate. Præterea, falsò hæc nobis obiiciuntur. De omnibus enim fidei articu-

lis eccleſię Germanicæ, Gallicæ, Anglicanæ conſentiunt. nec tantæ ſunt controuerſiæ inter *Lutherum* & *Zuinglium*, *Germanos* & *Gallos*, quin multo maiores ſint, & fuerint inter ſectę pontificiæ magiſtros. Noſtri adhuc nunquam ad anathemata & arma venerunt. partes autem Synagogę pontificiæ ſæpenumerò & cenſuris, & armis inter ſe [1] cōtenderunt.

[1] *Theodoric. à Niem. de ſchiſm. lib. 1.*

Dicunt ergo ſecundò, *Paulum Alciatum, Valentinum Gentilem, Blandratam, Ochinū, Statorium, & Stancarum, aut perſonarum negaſſe diſtinctionem, aut eſſentiam diuinam diuiſiſſe.* Sed quid hæc ad nos? num nos cum illis ſentire dicent? diſcupiunt quidem; ſed tamen rerum euidētia eorum audaciam reprimit. Norunt enim noſtras de Trinitate, & Chriſti Diuinitate ſententias eſſe catholicas. & orthodoxas: & totus orbis Chriſtianus intelligit, vel ſtertentibus vel mala multa molientibus hominibus pontificiis, naſcētes iſtorum hæreſes à noſtris hominibus ſolis repreſſas, & earum authores ſupplicio fuiſſe affectos.

Præterea de hęreticis iſtis cōfusè loquūtur, dum *Paulum Alciatum*, & *Valentinum Gentilem*, & *Stancarum*, tres diuerſarum hæreſum authores, quaſi idem ſentiētes cōiungunt: & imperitè, dum præcipuum harum hæreſum ducem Michaelem Seruetū tacent. is enim myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis primus oppugnauit, & ex Hiſpania & mo-

& monachorum clauſtris monſtra opinionum ſecum afferens, à noſtris hominib. Geneuæ conuictus, & ſupplicio affectus eſt. Hunc ducem ſequuti *Blandrata*, *Alciatus*, *Socinus*, & *Frãciſcus Dauid*, in Trinitate ſuſtulerunt diſtinctionẽ perſonalẽ. *Valentinũ* verò *Gentilem* ſequutus eſt *Liſmaninus* quidam ex ordine Franciſcano loquax monachus, & *Gribaldus* qui omnes in *Arrianiſmũ* inciderunt, & diuinam eſſentiam in tres partes diuiſerunt. Stancarus circa Chriſti perſonam & officium errauit at nos omnes eorum hæreſes & impietates, ipſoſque etiam hęreſeõn authores vno ore damnamus. ꝓferant ergo, ſi quod habeant, vel argumentum, vel ſaltem aliquam ſuſpicionem, vnde vel probabiliter aliquis exiſtimet nos cum hæreticis ſentire. ſi non poſſint, cur non tacent?

[2] *Aſſerunt noſtros doctores his ſectis ortum, & incrementa dediſſe: perſonam enim ita definiuiſſe, vt omnem realem ſubſiſtentiam excluſerint;* & *Caluinum optaſſe nomina Trinitatis, Perſonæ, & Conſubſtantialitatis ſepulta eſſe, modò conſtaret Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnum Deum: & confeſſionem Gallicam habere in vna eſſentia diuina tres ſubſiſtere perſonas:* & *Muſculum exiſtimare Chriſtianum eſſe poſſe ſine vocabulo perſonæ:* & *Daneum de patrum doctrina malè loqui:* & *Melanchthonem aſſerere in Filio & Spiritu ſancto eſſe aliquid eſſentiæ diuinæ, &* 3 Caluinot. p. 409.

multa eius generis: Antitrinitarios denique & Tritheitas a nobis profectos eſſe. Cuius accuſationis hæc ſumma eſt; hæreticos à nobis profectos eſſe in *Poloniam* & *Hungariam*, & ex noſtra doctrina occaſionem errandi ſumpſiſſe. Sed primum illud nobis cum papiſtis commune eſt. Seruetus enim Hiſpanus erat, Brandrata & Stancarus Itali: omneſque ab incunabulis in papiſtarum erroribus & ſordibus enutriti ſunt. Liſmaninus ex Franciſci erat familia monachus. ex Italia etiam erant *Paulus Alciatus*, & *Lelius Socinus*: vnus ex Gallia erat *Petrus Statorius*. A papiſtis ergo errores iſtos ſuos hauſerunt, & non à noſtris, quorum ſemper fuit orthodoxa doctrina, & aduerſariorum ſententiâ multò ſanior, & magis catholica. Illi enim contraria de veſtigio Trinitatis in creaturis, & imagine eiuſdem in homine, & notionibus opinantur; noſtræ autem confeſſiones vbique conſentiunt. Ex eis aliqui [1] docuerunt, *eandem eſſentiam ratione formæ non eſſe in Patre, Filio, & Spiritu ſancto.*

Ioachimus [2] Abbas diuiſit eſſentiam diuinam, & vnitatem tantum poſuit collectitiam. nonnulli dicunt eſſentiam diuinam generari: nec aliquod eſt dogma Chriſtianæ religionis, quod non ſcholaſtici aliqui, aut tollunt ſuis argutiis, aut admordent. iſti ponunt filii generationem eſſe intellectualem, quod omnino aduerſatur eius æternæ

1 Errores Pariſ. condemnati apud Matth Paris in Henr. 3
2 c. Damnamus de ſumma Trinit. & fid. catholic.

ernæ emanationi, & reali diſtinctioni perſonarum Trinitatis.

At noſtra doctrina, quam Turcico odio & perfidia iſti reprehendunt, ſana eſt. Primum reprehendunt in confeſſione eccleſiæ Gallicanæ, in Beza, item Mornæo, & Danæo, *quod tres perſonas in vnica Dei eſſentia ſubſiſtere* dicant. quaſi verò non ſit hæc orthodoxa dicendi formula, & à patribus ſæpe probata. *Tres hypoſtaſes inconfuſè ſeruantur*, inquit [3] Gregorius Nazianzenus, *in vna natura & deitate*. Auguſtinus de Trinit. lib. 7. c. 6. dicit *Perſonas eſſe in natura deitatis*.

[3] *In orat. de Spirit. ſancto.*

Similiter etiam loquitur, lib. 15. de Trinitate, c. 23. & de ſpiritu & anima, c. 54. *Pater, Filius & Spiritus ſanctus*, inquit [4] Epiphanius, *in vna Deitate*. Item, [5] *Trinitas in vna Deitate, Trinitas in vnitate*. Similem etiam dictionis formulam habet Athanaſius in Symbolo. adeoque hoc verum eſt, vt [6] Thomas fateatur eadem ratione rectè dici, *Tres perſonas vnius eſſentiæ, vt vnam eſſentiam trium perſonarum*. Et ſanè, niſi tres iſtæ perſonę in eſſentia ſubſiſterent Diuina; tum relationes iſtæ & perſonę foris exiſterent, quod [7] credidit Gilbertus Porretanus, eoque nomine in ſynodo Rhemenſi damnatus eſt: & verum eſſet, perſonas diuinas eſſe extra Deitatem, quod abſurdiſſimum

[4] *Hæreſ. 76*

[5] *Hæreſ. 77.*

[6] *1. p. q. 39. art. 2.*

[7] *Prateolus in elench. lib. 7 c. 11. & Thomas Aqu. 1. p. q. 28. art. 2.*

eſt. Sed iſti nihil credunt rectè dici, niſi quo in magiſtrorum ſuorum dictatis reperiun aut quod fortaſſe in *Miſſali* & *Breuiario* no habetur. Quod autem ex iſta phraſi putan quaternitatem ſequi, falsò opinantur. nam perſonæ non diuidunt eſſentiam, aut aliam conſtituunt naturam, magis quàm vnitas eſ ſentiæ confundit perſonas.

In Caluino & Schegkio tanquam graue erro rem notant, quod *perſonam & proprietatem* idem nonnunquam valere putent. Qua in re dum acuminis gloriam affectant, oſten dunt ſe non tantùm veræ & veteris, ſed et iam ſcholaſticæ Theologię imperitiſſimo eſſe. non aliter enim loquuntur noſtri quàm Theologi veteres & recentiores. *Hæc*, inquit[1] Baſilius, *proprietatum natura eſt, vt in identitate ſubſtantiæ, diſtinctionem oſtendat.* *Tria hæc vnum*, inquit [2] Gregorius Nazianzenus, *ſi diuinitatem ſpectes, & vnum tria ſi proprietatum rationem habeas.* A [3] Damaſceno perſonæ appellantur ἀσυγχύτου φύσεως ἰδιότητες, id eſt, *inconfuſæ naturæ proprietates.* Ita etiam [4] Innocentius in Synodo generali: *Hæc ſancta Trinitas* (inquit) *ſecundum communem eſſentiam indiuidua & ſecundùm perſonales proprietates diſcreta.* & ne vlterius nobiſcum litigent, aſſerit [5] Thomas proprietatem, & relationem, in diuinis idem ſignificare. *Secundum duplicem rationem idẽtitatis*, inquit ille, *proprietas in diuinis eſt idem cum perſona.* illos qui aliter exiſtimarunt, in here-

1 *Contr. Eunom. lib.* 1.
2 *In orat. de Spirit. ſanct.*
3 *Lib.* 3. *de fide c.* 57.
4 *C. firmiter. de ſum. Trinit. & fide cathol.*
5 1 *part. q.* 4. *art.* 1.

hæreſim Gilberti Porretani incidiſſe ſignificat. Nihil ergo Caluinus & Schegkius de proprietatibus perſonalibus non catholicè & orthodoxè.

6 Aſſerunt tertiò Caluinum optaſſe *nomina Trinitatis, & perſonæ, & Conſubſtantialitatis ſepulta eſſe.* Sed verba Caluini præcedentia ipſum ſatis à calumnia vindicant. *Si temerè non ſunt inuenta nomina,* [7] inquit ille, *cauendum eſt, ne ea repudiando ſuperbæ temeritatis arguamur.* Optauit ergo potius, vt res ipſas tenerent homines Chriſtiani, quam vt in verbis hærerent. Orationem autem illam, *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis,* & Caluinus & alii barbariem & ruditatem olêre putarunt; non quod malè de vnitate diuinę eſſentię, vel perſonarum trinitate exiſtimarēt, ſed quod in oratione hac, iſta non ſatis explicatè traderentur.

6 *De Caluinoturciſ. p. 410.*

7 *Inſtit. lib. 1. c. 13. §. 5.*

In *Muſculum* inuehuntur, quaſi ipſi *Perſonæ* vocabulum diſpliceret. Sed erudito illi viri iniuriam faciunt. non enim nomen illud, ſed litigium de nomine ipſi diſplicuit. Quod autem dicit ipſe, veriſſimum eſt. nam abſque huius vocabuli cognitione Chriſtianus fieri poteſt: neque enim Apoſtolorum temporibus notum erat.

Danęum taxant, quod in explicatione myſterii Trinitatis patres putarit *dictionibus vſos eſſe durioribus.* Sed etſi aliter iſti putent, non credo tamen eos omnia patrum dicta probare. nos autem aliter quam Danæus

exiſtimamus & loquimur. Nam patrum dicta duriora non temerè reiicienda, ſed commoda interpretatione mollienda eſſe cenſemus.

Melāchthoni Arrianiſmi crimē obiiciunt eôque nomine & verba eius citant, & Stancari teſtimonio pugnant. ſed indigniſſim optimo illi viro labes illa impingitur. nam v contra negantes filii & Spiritus ſancti diuinitatem concluſerit eos *eſſe aliquid Dei*, no tamen exiſtimauit diuinam naturam eſſe diuiſibilem, aut diuinitatem Filii & Spiritu ſancti minorem eſſe quam Patris, vt eius accuſatores putant; ſed & Filium & Spiritū ſāctum verè eſſe Deum, quia deitas eſt impartibilis. Verum vt incommodè loquutus eſ ſet ille, ſententia tamen eius orthodoxa eſ atque vt incommodè ſentiret, quid tame hoc ad nos, qui aliter credimus & loquimur Præterea, hęc obiectio alieno loco affertu hoc enim loco probare debuerunt nos trinitatem impugnare. iſta autem ad vnitate potius oppugnandam ſpectant.

Quare, niſi & ipſi acutius ſuam ſententiam explicare, & fortius aduerſus nos pugnare poſſint, præſtitiſſet omnem hanc *Sabellianiſmi* & *Arrianiſmi* accuſationem omittere. nam argumenta nihil prorſus valent Teſtimonia autē *Stancari, Genebrardi, Lannei,* & *Iacobi Andreæ*, iuſtiſſimis exceptionibus eliduntur. Stancarus hæreticus erat reliqui inimici noſtrorum hominum capita

le

tes. Longè autem aliud eſt argumentari, & aliud maledicere. maledicta hic velut ſtellæ nocte ſerena, innumerabilia ſunt; argumenta nulla.

Neq; ſanè diuidimus diuinã eſſentiã, quod ſecundo loco nobis obiiciũt [1] aduerſarii. At, inquiunt illi, *Tritheitæ & eorum dux Valentinus Gentilis, eiuſque diſcipuli non vnum, ſed plures eſſe Deos dixerunt, eoſque inter ſe ordine, gradu, & proprietate ſecretos.* Sed quid hoc ad nos, qui cum Valentino eiuſque amatoribus nihil commune habemus? nunquamne ceſſabunt Sycophantæ iſti importuni aliena crimina nobis obiicere? [2] Reſpondent ergo iſti, *nihil eſſe in Valẽtini Gẽtilis opinione, quod non in pleriſque Euangelicorum doctorũ libris, & commentariis ſæpe occurrat.* nam Bezam dicere *eſſentiã verè & realiter in tres perſonas eſſe diſtinctã: & Caluinũ aſſerere Filiũ habere ſubſtantiam diſtinctam à patre: & Lutherum ponere diuinitatem triplicem: & Bullingerũ tribuere ſingulis perſonis diſtinctas operationes: & Roſſium dicere tres perſonas eſſentialiter eſſe diſcretas: & Schegkium & Caluinum ſubſtantiam patris à ſubſtantia filii ſeparare: & Hieronymum Zanchium inſcribere librum ſuum de tribus Elohim: & Geneuenſes perſonas diuinas in honore diſtinguere, & Chriſtum ſecundum diuinam naturam mediatorem eſſe docere.* Sed hæc aut maledicta ſunt homine Chriſtiano indigna, aut calumniæ papiſticâ perfidiâ digniſſimæ. Non dicit enim [1] Beza *eſſentiã ve-*

[1] *Caluino-turciſ. lib. 3. c. 5.*

[2] *ibid p. 420.*

[1] *Confeſſ. fid. c. 1. §. 2.*

re & realiter in tres perſonas eſſe diſtinctam, vt iſti fabulantur: *ſed in vnica eſſentia ſubſiſtere tres perſonas verè ac reipſa inter ſe ſuis proprietatibus ſiue* ὑπάρξεσι *modo diſtinctas*. toto autem cælo hę duę propoſitiones à ſe inuicem diſtant.

Secundò, nuſquam dicit Caluinus *filium habere ſubſtantiam diſtinctam a patre*. imò planè contrarium eius docet. vnam enim eſſe [2] docet ſubſtantiam & eſſentiam, & eam in tribus eſſe perſonis, eoſque qui lacerant diuinam eſſentiam inter hæreticos numerat. In tractatu autem contra Seruetum, nō ſubſtantiam, *ſed hypoſtaſin filii a patre diſtinctam eſſe* [3] affirmat, & vbique ὁμοούσιον eſſe prędicat. De Luthero Turco-papiſtę manifeſtū dicunt mēdaciū. Zuinglius ex verbis Lutheri tale aliquid infert, ſed malè. [4] Bullingerus per operationes intelligit perſonales proprietates & relationes: idque ſecundum illam vulgatam diſtinctionem, quæ dicit opera Trinitatis ad extrà eſſe communia, non autem ad intrà.

Præterea, operationes ad extra licèt ſint omnibus perſonis communes; ſolent tamen nonnunquam appropriari ſingulis, vt ex [5] Magiſtro diſcere potuiſſent. Loſſius Alcuinum videtur ſequutus eſſe, vbi dicit [6] *perſonas Trinitatis eſſentialiter, verè, & ſubſtantialiter eſſe diſtinctas*. ſed per eſſentialiter & ſubſtantialiter intellexit perſonaliter. neque enim nouū hoc eſt. Vbi enim dicitur Chriſtus,

[2] *Lib. inſtit.* 1. c. 13. §. 22.

[3] *L'hypoſtaſe du fils eſt diſtinguè d'auec le pere. p.* 1409 *in opuſc. Cal.*

[4] *Contra Stancarum de mediatore.*

[5] *Sent. lib.* 1. *diſt.* 31.

[6] *In lib. Alcui. de Trini. c.* 6.

ſtus, *Deus de Deo*; nomen eſſentiale perſonaliter ſumitur. *Cum dicimus perſonam patris, non aliud dicimus*, inquit 7 Auguſtinus, *quam ſubſtantiam patris*. 8 Thomas *realiter idem eſſe eſsētiam & perſonam definit*. Schegkius & Caluinus vbi dicunt, *Deum filium, a Deo Patre diſtingui*, & ſubſtātiam Filii à ſubſtantia Patris; intelligunt perſonam Filii & Patris diſtingui; & ſubſtantiam perſonaliter accipiunt, vt in illis etiam verbis accipitur, *Deus de Deo*: & aliâs non rarò fit. nam perſona ſubſtantiæ tantum ſuperaddit relationē. Zanchius librum ſuum *de tribus Elohim* inſcripſit, quia hoc vno vocabulo Geneſ. 1. patres & perſonarum Trinitatem, & eſſentiæ vnitatem probarunt. *Perſonarum pluralitatem, & naturæ vnitatem*, inquit 1 magiſter, *ſimul oſtendit Dominus in Geneſi, dicens; Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Hoc etiam Auguſtini authoritate probatur in 2 libro de fide ad Petrum. & Hilarii lib. 3. de Trinitate. idem per *Elohim* oſtendit pluralitatem perſonarum ſignificari. Nec obſtat, quod *Elohim* alibi ſignificet *Deos, Angelos, Principes & Iudices*; cum patres, a quorum interpretatione iſti (credo) non appellabunt, per *Elohim* intelligant *perſonas*.

7 *Lib. 7. de Trinit. c. 6.*
8 1. *part. q. 39. art. 1.*
1 *Sentent. lib. 1 diſt. 2. §. 4. & 6.*
2 *Cap. 1. in fine.*

Eccleſiis Gallicis falſarii iſti falſum crimē imponunt. non enim 3 dicunt illæ *Chriſtum obtinere ſecundum locum honoris, & imperii poſt patrem*, vt iſti mentiuntur; ſed omnes

3 *Art. 6.*

perſonas dicũt eſſe coæternas, & coęquales.

De Caluino etiã mẽtiuntur, vbi aſſerunt, eum *aſſignaſſe primum gradum vitæ Patri, ſecundum Filio; ſecundùm Diuinitatem.* [4] Loquitur enim de filio quatenus homo, quatenus patre minor eſt. eo etiã ſenſu, quatenus homo, [5] vocat eum *Patris legatum & vicariũ, & ſeſſionis à dextris prærogatiuã ei datã* fuiſſe dicit. Prærogatiuam aũt [6] dicit Patri dari propriè, vt Deus vocetur in Scripturis, quia Pater eſt prima perſona, vt nonnulli loquuntur, fons & origo diuinitatis: non ita tamen vt excludatur filius, aut Spiritus ſanctus. vnde etiam patres concilii Carthaginenſis [7] decreuerunt, *vt ad patrem ſemper dirigeretur oratio.* Et ſanè niſi Patri hoc tribuatur, vt ſit origo Diuinitatis, & prima perſona; ordo in diuinis omnis tolletur, quod etiam ſcholaſticis videtur abſurdum. *Oportet in diuinis*, inquit [8] Thomas, *eſſe ordinem ſecundum originem abſque prioritate.* [9] Tertullianus non veretur tres perſonas *gradu, & formâ* diſtinguere: quod plus eſt, quam facit Caluinus.

[4] *In Iohan. c.6. v.57.*
[5] *In Matt. 22. verſ.44.*
[6] *Contr. Valent. Gen. Proth. 10.*
[7] *Concil. Carth. 3. c. 23.*
[8] *1. part. q. 42. art.3.*
[9] *De Trinitat.*

De officio Mediatoris & Chriſti ſacerdotio, noſtri multò accuratiùs & doctiùs, quam aduerſarii diſputarunt. illi enim mediationis officium tribuunt humanæ naturæ: quod nihil eſt aliud, quam mediationis officium tollere: non poteſt enim medium eſſe, quod ad alteram naturam propendet. *Oportuerat*, inquit [1] Irenæus, *mediatorem Dei & hominum*

[1] *Lib.3. c.20.*

uum, propter ſuam ad vtroſque cognationem, in amicitiam & concordiam vtroſq; reducere. Magiſter ſententiarum, lib. 3. diſt. 10. §. 1. aſſerens Chriſtum *ſecundum quod eſt homo nõ eſſe aliquid omnino*: nullum prorſus locum relinquit Mediatori. quomodo .n. mediator ſit, qui nihil eſt? hunc ergo eius errorem per decretalem epiſtolam condemnauit Alexander tertius, vt teſtis eſt Matth. Paris in Henrico 2. p. 132. Quis ergo non videt & accuſatores noſtros reprehẽſione eſſe dignos, & nos culpâ vacare? Nos enim propriè loquentes hoc officium mediationis non vni naturæ, ſed perſonę tribuimus. idque meritò, quia actiones ſunt perſonarum, & nõ naturæ aſſumptæ. non tamen negamus quin Chriſtus per humanam naturam opera mediationis perfecerit.

Nihil eſt ergo cur nos [1] accuſent, *quaſi ſecundariam tribuamus Chriſto deitatem, aut quaſi Valentinus Gentilis à noſtris hæreſes ſuas hauſerit.* De Chriſti enim diuinitate, Prophetarum & Apoſtolorum ſequuti doctrinam, orthodoxè ſentimus, & Valentini hæreſes, quas aliunde hauſtas in vrbem Geneuẽſem intulit, Geneuẽſes doctores primi & detexerunt & redarguerũt. nihil eſt ergo, ꝗ aduerſarii in alienis agris meſſẽſperẽt, aut laborũ noſtrorum fructum ad ſuos traducant.

[1] *Caluino-turciſ. p. 424.*

Præterea, multum allucinantur vbi fingunt, *nos intactis ſummis fidei myſteriis, Ordinum tãtum decretis acquieſcere, ac in quæſtio-*

nibus de pontifice Rom. & inuocatione defunctorum, & coniugio ſacerdotum, & aliis eius generis controuerſiis, omnem operam noſtram conſumere. Quid enim docent aduerſarii, quod noſtri non multò vberius? cur nobis ſint ignota ſumma myſteria & intacta, & illis ſint notiſſima? linguas noſtri multò exactius intelligunt, quam aduerſarii; ſcripturas diligentius interpretati ſunt. imò à noſtris aduerſarios plurimum adiutos eſſe cõſtat. patrum ſcripta omnibus æquè patent.

Quod autem ordinum decretis in quibuſdam acquieſcimus, hoc ideo factum eſt, quia fidei Chriſtianæ ſunt maximè conſentanea. diſſenſio ſanè apud nos de ſummis capitibus religionis, licèt eam aduerſarii maximá eſſe fingant & cupiant, nulla eſt. In controuerſia de intelligẽtia horum verborum, *hoc eſt corpus meũ*, Zuinglius à Luthero, & Martyr à Brentio, Galli a Germanis diſcrepant: ſed nihil hoc ad myſterium Trinitatis. Præterea nihil impediente priuatorum diſcordia, pax publicè ab Anglis, Germanis, Gallis, culta eſt, & iſtis inuitiſſimis nunc colitur.

Nihil eſt denique, quod Turcopapiſtæ iſti magiſtri, ſupercilium ſibi ſumentes, nos fidem de Trinitate doceãt. meminiſſe enim debuerunt, ſe aduerſariorum, & non doctorum partes ſuſtinere. Verum vt docere vellent alios; non tamen cauponi, & homini indocto hæ partes tribuendæ erant: nec alios inſtituentes debuêre ipſi viam ad errorem mon-

monſtrare, vt iſti faciunt. Aſſerunt enim ita vnam perſonam Diuinitatis alteri ineſſe, & eam per περιχώρησιν cõplecti, [3] *vt dæmones inuadunt, & poſſident ἐνεργουμένους*: quod & flagitioſè dicitur, & falsò: neque enim Deus dæmoni ſine flagitio cõparari poteſt. nec ſimilis eſt immanentia, ſeu περιχώρησις diuinarum perſonarum, immanẽtię dæmonum in poſſeſſis. illæ enim ſibi inuicem ita inſunt, vt vnam habeant eſſentiam: at dæmones & animę ἐνεργουμένων diuerſam habent eſſentiam. illæ communiter operantur: dęmones & animæ hominum proprias habent actiones. Diſſimilis eſt etiã περιχώρησις perſonarum, & vnio diuinę Chriſti naturæ cum eius anima, licèt iſti ſimilem eſſe fingãt. Illud verò quod dicit de Angelis, *poſſe eos ſe inuicem penetrare, & ſibi mutuò ineſſe*; falſum eſt. nam hoc diuinæ videtur naturę proprium, vt ſubſtantias omnes penetret. Præterea, ſi poſſent ſe inuicẽ penetrare, tum poſſent plures in eodem loco eſſe; quod ſcholaſtici negant. *Sicut vnum corpus*, inquit [1] Bonauentura, *nequit duabus perfici animabus: ſic nec locus vnus primus poteſt duobus deputari ſpiritibus.* Poſſet etiam *Angelus eſſe in loco punctali*; quod [2] ſcholaſticis videtur abſurdum. auferretur præterea Angelis perſonalitas. neque enim ſingulæ haberent ſubſiſtentiam propriam, ſi vnus in alio ſubſiſteret. Poſtremò, ſubſtantia ſubſtantiæ ſubiectum eſſet, quod eſt cõtra dialecticorum regulas.

[3] *Caluino-turciſ. p.* 431.

[1] *In ſent. diſt.* 2.

[2] *Ibidem.*

Falſum eſt etiam, idque multo magis, *corpora glorioſa poſſe alia corpora penetrare*: neq; enim corporibus neceſſaria eſſent ſpatia, nec eis ſuæ remanerent dimenſiones, ſi hoc ita eſſet, vt illi cōtēdunt. Poſtremò, tolleretur Chriſti corpori humani corporis ſimilitudo & ratio: eſſet enim alterius ſpeciei. Nō videtur denique carere ſcrupulo, *quod in Trinitate* [3] *videntur ſingularitatem inducere*, contra [4] Magiſtri ſententiam. Caluinus & Beza, vt nihil ab inſulſo iſto doctore cauponio diſcerēt, rectè intellexere Patrem communicaſſe Filio totam ſuam eſſentiam: iſti autem, *transfudiſſe* dicunt. at transfundunt, qui in alium fundunt, quod ſibi non retinēt: quod de Patre ſceleſtum eſt cogitare.

3 Caluinot. p. 429.
4 Lib. ſent. 1. diſt. 2. §. 5.

Poſtremò, impudenter inculcant quæ ſuperius dicta ſunt, *& nos paulatim religionis Chriſtianæ dogmata labefactaſſe, & imperii demū Rom. neruos incidiſſe obgāniūt.* quę nihil aliud ſunt, quam conuitia Turcicâ perſonâ digniſſima. Nos enim nullum religionis Chriſtianæ dogma labefactamus, nec imperium Germanicum minuendum putamus. at ſuperſtitiones & falſa dogmata ſynagogæ Rom. meritò ſuſtulim⁹, & libertates noſtras aduerſus pontificem Rom. qui imperatoris Caroli quinti copiis nos oppugnauit, iure defendim⁹: Nec in hoc Zuinglius, vel in eo Cranmerus religioſiſſimus eccleſiæ Cantuarienſis antiſtes, & Chriſti ſanctiſſimus Martyr, quicquā peccauit. Quod *familia amoris*

moris, aut *Antitrinitariorum* ſectæ malè fecerunt, putidè & impudenter nobis aſcribitur.

At, inquiunt [3] iſti, *Caluinus, & Beza, & Whitakerus, & alii, naturam Dei turpius ſegregant, & flagitioſius diuellunt, quam veteres pagani. aſſerunt enim Chriſtũ eſſe αὐτόθεον, ſiue ex ſe Deum.* Sed impudenter illud & flagitiosè dicitur. neque enim ex eo ſequitur, eos vel naturam Dei diuellere, vel diſtrahere, quia Chriſtum aſſerunt eſſe αὐτόθεον. Caluinus enim diſertè fatetur, *vnam eſſe diuinam eſſentiam tribus perſonis communem, & Patrem gignendo, Filio dediſſe; filium veró naſcendo diuinam accepiſſe naturam*, hanc autem diuinam eſſentiã in Filio, ab alia Patris eſſentia ꝓfluxiſſe, & propagatam eſſe negauit, contra hęreſim Valentini Gentilis diſputans. hic enim *ſolum Patrem eſſentiatorem eſſe, & eſſentiam Filii & Spiritus ſancti á patris eſſentia profluxiſſe, eoſq; quaſi ſecundariam deitatem à Patre accepiſſe* dixit. Hanc ergo eius impietatem refellens Caluinus orthodoxè dixit, Filium eſſe αὐτόθεον, hoc eſt *deitatem Filii ex ſe eſſe.* quod planè orthodoxum eſt. [2] Baſilius enim rectè diſputat, *eſſẽtiã diuinã eſſe ἀγέννητον.* eſt enim hoc vulgatum theologorum axioma, *Deũ neq; a ſe, neq; ab alio extitiſſe.* Atq; illud etiam ex Auguſtini ſequitur ſententia: omnia enim Patris quatenus Deus eſt, Filii eſſe, & Spiritus ſancti docet. *Quicquid*, inquit ille, *eſt Pater quo Deus eſt, quo ſubſtantia*

[3] *Caluinos. lib. 3. 6. 7.*

[1] *Cal. inſtit. lib. 1. c. 13. §. 23.*

[2] *Contr. Eunom. lib. 1.*

eſt, quo æternitas eſt, hoc Filius, hoc Spiritu ſanctus. at Pater quatenus Deus, ſeu diui na eſſentia patris, ingenita eſt; ergo & eſſen tia illa, quæ eſt in Filio & Spiritu ſancto, ni ſi velimus tres eſſentias ponere, quod ne iſti ſcelus eſſe negant. Ergo [3] magiſter ne gauit dicendum eſſe Deum gignere eſſen tiam: & [4] ſcholaſtici definiunt, *diuinam eſ ſentiam neque generare, neque generari.* Quid quod Abbas Ioachim eo nomine cõdemna tus eſt ab [5] Innocentio 3. quia negabat *eſſen tiam Trinitatis ſummam rem eſſe, & illam non eſſe generantem, nec genitam, nec procedentem*? & ſanè niſi eſſentia diuina in Filio ex ſe ſit, nõ erit Filius Dei, Deus. Caluinum itaq; [6] Bel lar. hoc nomine a crimine liberat. *Dum*, in quit, *rem ipſam excutio, & Caluini ſententias diligenter conſidero, non facile audeo pronun tiare illum in hoc errore fuiſſe. ſiquidem docet Filium eſſe a ſe reſpectu eſſentiæ, nõ reſpectu per ſonæ; & videtur dicere velle, perſonam eſſe ge nitam à Patre, eſſentiam nõ eſſe genitã nec pro ductam, ſed eſſe à ſeipſa: ita vt ſi à perſona Filii remoueas relationem ad Patrem, ſola reſtet eſ ſentia, quæ eſt à ſeipſa.* Cum ergo ipſe à crimi ne immunis ſit; neceſſe eſt Bezam, & alios in Caluini veſtigiis inſiſtẽtes, à crimine immu nes eſſe. nam quod iſti *Whitakerum* dicunt, *Niceni concilii confeſſionem refellere*, impu dens eſt, & flagitioſum mendacium. fatetur enim vir ille doctiſſimus, idque libentiſſimè ſemper profeſſus eſt, Chriſtum Ieſum *Deũ*

eſſe de

[3] *Lib. ſentẽt. 1. diſt. 5.*
[4] *Thomas 1. p. q. 29. art. 5. Occam li 1. diſt. 5. q. 1. & Scotus & Durandus in hunc locũ.*
[5] *Matth. Paris. in Hẽr. 2. p. 133. & c. damnamus, de ſumm. trin. & fid. cath.*
[6] *Tom. cõtr. 1. lib 2. de Chriſto c. 19.*

eſſe de Deo, ſecundum concilii Niceni defini-tionem. Vbi autem Chriſtum probat eſſe *αὐτόθεον*, hoc facit, vt eorum conuincat mali-tiam, qui ex his verbis occaſionem arripue-runt Chriſti diuinitatem deſtruendi, quaſi ſecundariam deitatem à patris eſſentia pro-pagatam accepiſſet.

At aduerſarii noſtri, ſiue res ipſas, ſiue mo-dum loquendi ſpectes, non poſſunt ſe ſimi-liter excuſare. illi enim [1] *generationem filii dicūt eſſe intellectualem*. Qua in re dupliciter peccant. nā non tantum generationem filii à patre ineffabilem enarrare conantur; ſed ta-lē ei aſſignant generationis modum, qui æ-ternam eius deſtruit, vt ſuperius oſtenſum eſt, deitatem. Deinde, dum negant eſſenti-am diuinam in filio, ſublata perſonalitatis ratione, ex ſeſe eſſe; Filium Dei Deum eſſe negant; quod tamen ipſi probare velle præ ſe ferunt. neque enim Deus eſſe poteſt, qui ab alio habet eſſentiam generatam. Iidē etiā in errorem [2] *Ioachimi* Abbatis incidunt, & dum vnam eſſentiam probare conantur, eſ-ſentiam diuinam flagitiosè lacerāt, ponētes in patre eſſentiam ingenitam, & in filio ge-nitam. Preterea abſurdiſſimè aſſerunt, *Filiū Dei eſſe filiū eſſentiæ ſeu naturæ, & non Patris*, ſeu perſonæ; & ſic pro trinitate quaternita-tem inducunt. *Quid*, inquiūt [3] illi, *abſurdius vel inſulſius dici poteſt, quam aliquem eſſe Fi-lium Patris reſpectu perſonæ, non naturæ*? quaſi verò Filius Dei non dicat relationem ad

[1] *Caluinot. lib. 3. c. 3. p. 3.* 390.

[2] *C. Dāna-mus. de ſum. Trinit. & fid. cath.*

[3] *Caluino-turciſ. p.* 449. *l.* 5.

patrem; & non ſit Filius æterni Patris, & nõ eſſentię; aut non valde abſurdum eſſet, diſtinctionem & relationem ponere in eſſentia. Afferunt quidem pro ſententia ſua verba ſymboli Athanaſii, vbi Chriſtus dicitur *Deus ex ſubſtantia patris ante ſecula genitus*. Sed longè aliud eſt *genitũ eſſe ex ſubſtantia*, & dicere *ſubſtãtiam gignere*, quod ex horum ſententia ſequitur. & aliud eſt *ex patris eſſe ſubſtantia*, & *filium eſſe ſubſtantia, ſeu natura*. illud enim rectè dicitur: hoc ſine incommodo dici non poteſt; quia vocabulum *Subſtantia*, hoc loco non eſt relationis terminus. Poſtremò, *eſſentia filii principium* dant. quod nihil aliud eſt, quam vel Deo principium dare, vel Filio deitatem abrogare.

Præterea, ex Chriſti mediatione, quam nos perſonalem facimus, & vtriuſque naturæ communem, calumniandi occaſionem [4] ſumunt, quaſi *Filium Patri inæqualẽ exiſtimaremus*. Sed illi potius accuſandi videntur, qui cum Stancaro Chriſtum diuidentes, homini abſque diuinitatis operatione munus dant mediationis, à Neſtorianiſmo nõ multũ diſcrepantes. Petrus Lombardus, licèt alioqui neget illum redemptorẽ eſſe ſecundum humanã naturam; tamẽ poſtea dicit Chriſtũ ſecundum humanã naturam eſſe & mediatorem & redemptorẽ. *Ecce hic*, [5] inquit ille, *aliquatenus inſinuatur, quare Chriſtus ſolus mediator Dei dicitur & hominum, & ſecundũ*

[4] *Caluin ot. lib. 3. c. 8.*

[5] *Lib. 3. ſent. diſt. 19. §. vlt.*

quam

quam naturam mediet, ſcilicet humanam; & cui mediet, ſc. Deo Trinitati: trinitati.n. nos reconciliauit per mortem, per quam & nos redemit à ſeruitute diaboli. vbi manifeſtè hominem ſeparat à Deo, & humanæ naturæ tribuit reconciliationis & redemptionis munus.[6] Alexander Halenſis, *Chriſtum ſecundum quod homo, non ſolum mediatorem eſſe* dicit, *ſed etiam redemptorem.* [1] Bellarminus dicit humanam in Chriſto naturam eſſe *formale principiũ mediationis noſtræ.* quod planè diuellit mediationis munus à deitate. aduerſarii noſtri exiſtimant *humanam naturã omnia operatam in actu mediationis:* Chriſtũ, *qua Deus erat, nihil prorſus egiſſe.* vnde ſequitur Chriſtum, quatenus homo erat, perſonam fuiſſe. (actiones enim ſuppoſitorum ſunt) quod prorſus Neſtorianum eſt. De mediationis denique munere ita contemptim exiſtimant papiſtæ, vt prælatos & viros ſanctos mediatores eſſe poſſe [2] putent. [3] Turrecremata *epiſcopum inter Deum & hominis mediatorem conſtitutum* dicit. Hoc denique Neſtorius ſenſit, totum officium mediatoris pertinere ad humanam naturam.

Ex noſtra autem ſententia abſurdiſſimè colligunt, vel Filium Patri eſſe inæqualem, vel aliquã in diuina natura ſequi diſtractionem, aut denique aliquod aliud abſurdum. nã miſſus eſt in mundũ filius Dei, & naturam noſtrã aſſũpſit, & munus redẽptionis pegit, & tamẽ nõ [4] arbitratus eſt *rapinam eſſe, quod*

6 *In 3. ſent. diſt.* 19.

1 *De Chriſt. lib.* 5. *cap.* 3.

2 *Petrus Tarentaſ & Richard. in* 3. *ſent. diſt.* 19.

3 *Lib.* 1. *ſummæ, cap.* 78.

4 *Philip.* 2.

æqualis Deo eſſet. At, inquiunt iſti, *Chriſtum facitis ſacerdotem ſecundum diuinitatem, & Filium Patri obœdientem fuiſſe dicit Beza. Czecanouius præterea dicit Melanchthonem diuinam Chriſti naturam in cruce mortuam dixiſſe*. At hæc calumnioſè contra ſententiam noſtram rapiuntur. nos enim nō Chriſtum, vt Deum, exiſtimamus fuiſſe ſacerdotem, ſed Chriſtum Deum & hominem fuiſſe ſacerdotem, & actionem illam à perſona Chriſti profectam, & non à natura humana, ceſſante & diuulſa ab ea natura diuina. Eodem modo exiſtimamus Chriſtum Deo fuiſſe obedientem, & mortem in cruce pertuliſſe, non vt diuinitas mortua ſit, vel minor facta; quod ſcelus eſt dicere: ſed quia Chriſtus Deus in his actionib. perſonaliter ſuſtentans humanam naturam, eadem operatus dicitur.[1] Ipſe enim *pacificauit per ſanguinem crucis ſuæ & quæ in terris, & quæ in cælis ſunt.* [2] Ipſe poſuit animam ſuam pro ouibus, & poteſtatem habuit eam reſumendi. hic [3] *ſanguine ſuo eccleſiam redemit*: hic eſt ille [4] *pontifex qui penetrauit cælos.* Hæc ſententia & ſcripturis, & patribus conſentanea eſt: & in eam nonnunquam imprudentes aduerſarii incidunt. Neque tamen cum papiſtis conſentimus. Illi enim Deum in mediatione hac Chriſti nihil operatum putant: illi redemptionem & mediationem ſeparant: illi reconciliationem & peccatorum remiſſionem humanæ naturæ tribuunt: illi

1 *Coloſſ.* 1.
2 *Ioan.* 10.
3 *Actor.* 20.
4 *Hebr.* 4.

merum

merum hominem mediatorem ponunt, qui non potuit nos liberare à ſeruitute diaboli, & poteſtate mortis. Nec eſt, quod patres ſibi patronos in hac cauſa adoptent. Auguſtinus enim dixit *Chriſtum eſſe mediatorem ſecundum humanam naturam*, ſed non ceſſante & nihil operante diuina. Et ea eſt aliorum ſententia. mediationem enim hanc tribuunt Chriſto homini, & non ſolum Chriſti humanitati.

Cum itaque nihil in noſtra ſententia reprehendere poſſint; nihil eſt quod noſtris *Arrianorum*, *&* *Samoſatenorum*, aut *Familianorum*, aut aliorum hæreticorum impietates [1] obiiciant. cum, inquam, noſtram ſententiam aduerſus omnes calumnias ſatis defenſam videant; nihil eſt, quod tanquam hoſtibus debellatis triumphent, aut noſtros victos fingant. nos ſanè nec impietatem, nec inconſtantiam in hac ſententia agnoſcimus. [1] *Pag.* 474. *& ſeq.*

At in contraria ſententia multa nos meritò reprehendimus. Petrus Lombardus, niſi dura molli interpretatione mitigemus, Patris ſubſiſtentiam ſuſtulit. Dicit enim [2] *ſe patrē*, *nō eſſe aliquid. Prædicatores* & *Minores*, dum angelos [3] *vbique eſſe dixerunt*, nouam introduxêre deitatem. Magnus quidam doctor Pariſienſis publicè ita Ieſum [4] contempſit, vt *ipſum Ieſulum appellarit*, & ſe diſputando eum è cœlo detrahere poſſe cēſuit. Scholaſtici in vtramque partem de fide diſputantes, omnia religionis dogmata in

[2] *Sent. Lombard. lib.* 1. *diſt.* 7. § 1.
[3] *Matth. Paris. in Hēr.* 3.
[4] *Ibid. in Henr.* 2. *&* 3.

dubium reuocarunt. Nuper etiam doce[re] non verentur, *legitimum eſſe baptiſmum, [ſi] quis ita baptiZet: BaptiZo te in nomine patri[s] filii, & Spiritus ſancti, & Beatæ virginis Ma[riæ].* ita enim in nouo ſacerdotali part.1.p.1[...] ſcribunt & inde omnes vident diuinam na[turam] virgini Mariæ tribui, & quaternita[tem] induci.

Hinc cadit prolixa illa Samuelis & M[i]cheæ toto hoc [5] nono capite confabula[tio], in qua Turcica induti perſona aduerſa[rii], multa tetra & nefanda congerunt in no[s] crimina, eaque maledictis odioſiſſimis, ve[lut] floſculis exornant: in perſona Samuel[is] nos velut captos & victos in triumpho ci[r]cumducunt; fatetur .n. miſer ille ſe *manif[e]ſtam impietatem defendere non poſſe.* Atq[ui] ita belli iſti diſputatores, qui nunquam ho[ſtem], nunquam puluerem, nunquam acie[m], nunquam ſigna collata viderunt, placi[de] dormientes, victoriam, & triumphum ſ[o]mniant. ſed ſi victoriã ſperent, miſſas facia[nt] has dormientium delirationes, & gradu[s] conferentes crimina ſua argumentis pr[o]bent, teſtibus & tabulis authenticis conf[ir]ment. Quid vel *Michæas* nugetur, vel *Giff[or]dus* garriat, vel *Libertini* delirent, vel apo[ſtatæ] religionis *Launoius* & *Villegagnoni[us]* mentiantur, vel hoſtes veritatis malè loqu[an]tur; æqui iudices non multum attender[int] aut curabunt; nos parum aut nihil lab[o]ramus.

[5] Caluino-turc. lib. 3. cap. 9.

C A

CAP. 3.

De Spiritus ſancti deitate, aduerſus Turcicas Giffordi *calumnias lib. 3. cap.* 10.

DE Spiritu ſancto nihil erat cauſæ cur aduerſarii aduerſus veram Chriſti eccleſiā oblatrarent, niſi vt caninos dentes, & animi ſui virus, & ſummam omnia turbandi volūtatē, etiam ſine facultate nocendi, oſtenderent. Quid enim, obſecro, non pium, nō ſanctum, nō orthodoxum & catholicę fidei cōſentaneum de æterna Spiritus ſancti deitate credit eccleſia Anglicana? Credimus .n. omnes, Spiritum ſanctum tertiā in ſacra Triade perſonam, verum eſſe Deum, nō factum, nec creatum, nec genitum, ſed à patre & filio, modo ineffabili, procedentem. Credimus etiā eſſe eundem eiuſdem cū Patre & Filio eſſentiæ, potentiæ, maieſtatis & gloriæ. Hæc eſt noſtra de Spiritu ſancto fides. Quid habēt ergo canes iſti, quod in hac confeſſione noſtra reprehendant?

[1] Reſpondēt illi, *Ochinum prædicaſſe in Polonia, Spiritus ſancti hypoſtaſin nullam eſſe.* Narrant præterea, *quoſdam Tranſyluanos fidem veteris eccleſiæ de Spiritus ſancti cum Patre & Filio conſubſtantialitate abieciſſe, eiuſq; diuinitatem impugnaſſe.* Proferunt denique quoſdam ex Morauia & Belgio hæreticos, *qui Spiritum ſanctum ſilentio præterierunt*, *Eraſmo* & *Prateolo* teſtibus. Sed quorſum iſta contra nos? his enim omnibus

1 *Caluino-turc. p.* 499

nos anathema dicimus. imò & fratres illos *Dominicanos*, & *Minores* Pariſienſes execramur, qui [a] exiſtimarunt *eandem eſſentiam in ratione formæ non eſſe in Spiritu ſancto, ſicut eſt in Patre, & Filio*: & negarunt *Spiritum ſanctum, prout eſt amor, ſeu nexus, procedere à filio*. Similiter deteſtamur omnes, qui aliquas de Spiritu ſancto hęreſes contra fidem eccleſiæ amplectuntur.

[a] *Matth. Paris Henr. 3. p. 593.*

Dicunt præterea *eos omnes, qui Trinitatem negarunt, oppugnaſſe etiam Spiritum ſanctum & nos negare Filium eſſe Deum de Deo, & definire perſonam in Filio nihil aliud eſſe, quam proprietatem in Deo reſidentem*. Sed primum illud de hæreticis Trinitatem oppugnantibus, nihil ad nos attinet, quorum fides de Trinitate orthodoxa eſt. Secundum & tertium duo ſunt magnidica mendacia. nam etſi eſſentiam Filii à Patris eſſentia propagatam negemus; non tamen negamus rectè definiuiſſe ſynodum Nicenam, filium eſſe Deum de Deo. & licèt perſonas putemus proprietatibus perſonalibus diſtingui; nemo tamen noſtrûm perſonam dixit nihil aliud eſſe, quam proprietatem.

Aſſerunt denique, *nos patrum teſtimonia, & conciliorum definitiones negare, quæ doctrinam continent, quæ in ſcripturis non continetur*. Sed neque hoc verum eſt, niſi doctrinam intelligant aduerſarii ad ſalutem neceſſariam; nec cuiquam dubium eſt, quin ex ſcripturis probari poſſit Spiritus ſancti deitas.

Ne lon-

Ne longius abeam, vnius hoc [1] Gregorii Nazianzeni exemplo probatur, qui denſis Scripturæ ſacræ teſtimoniis confirmat eccleſiæ de Spiritu ſancto, fidem. nihil eſt ergo, quod eccleſiam noſtram hoc nomine accuſent.

[1] *In orat. de Spirit. ſancto.*

At papiſtæ de Spiritu ſancto diſſerentes, nec ſecum, nec cum Catholica eccleſia conſentiunt. Aſſerit [2] Magiſter ſententiarum, *charitatem quæ in nobis eſt, ſubſtantialiter eſſe Spiritum ſanctũ.* quod omnino tollit Spiritus ſancti diuinitatem. nam ſi charitas ſit virtus, & habitus, ſeu qualitas in nobis inhęrens; non poteſt habere ſubſiſtentiam, nec eſſe Deus. Deinde docet [3] *Spiritum ſanctum charitatem eſſe Patris & Filii, qua ſe inuicem diligunt, & nos.* at hoc tollit realem diſtinctionem perſonarum, & proceſſioné Spiritus ſancti ab vno principio & vnica ſpiratione. Nam ſi ſe diligunt Pater & Filius Spiritu ſancto, tum erit Spiritus ſanctus in Patre & filio, & non poteſt ab eis diſtingui. & ſi Pater diligit Filium, & filius Patrem vno Spiritu ſancto; tum non poteſt ab illis ꝓcedere vt vno principio & vnica ſpiratione. Præterea, [4] dicit *donum eſſe*, ita eſſe propriam relationem Spiritus ſancti, vt *proceſſionem.* quod non modò multiplicat relationes, ſed etiam tollit Spiritus ſancti diuinitatem. Alibi [5] docet *duplicem eſſe Spiritus ſancti proceſſionem*; quod nec Scholaſticis placet. *Non debet concedi*, inquit Occham, quod

[2] *Lib. ſent.* 1. *diſt.* 17. §. 2.

[3] *Ibid.* §. 11.

[4] *Lib.* 1. *ſent. diſt.* 18. §. 10.

[5] *Lib.* 1. *ſent. diſt.* 14.

Spiritus ſancti ſit duplex proceſſio. Omnes ferè ſcholaſtici aſſerunt, Spiritum ſanctum eſſe ſpirationem paſſiuam, & multa nouè de Spiritu ſancto docẽt: quę ſi quiſquam noſtrûm doceret, omnes mille nos anathematis dignos cenſerent. Poſtquam verò nihil in noſtra de Spiritu ſancto doctrina reprehenſione dignum reperire potuiſſent, [6] dicunt *multos inter nos verſari qui de Christo malè ſentiunt, & incerti ſunt quid credant, & Moſem rident, & ad atheiſmum vergunt:* & propterea *ad Turciſmum viam, parari cõtẽdunt.* Sed obliti ſunt, ſe hoc in loco de fide in Spiritum ſanctũ agere inſtituiſſe; à qua hęc criminatio alieniſſima eſt. Pręterea nihil min' decet, quã vbi de Spiritu veritatis agitur, ibi tot effundere mendacia; & vbi nihil de cauſa poſſunt, ibi cõtra veritatis patronos calũnias colligere. hoc enim hæreticorum proprium eſt, & à viris catholicis alieniſſimum. *Ne obiiciatis hæreticis*, inquit [7] Auguſtinus, *niſi quia non ſunt Catholici, ne ſimiles eis ſitis, qui non habendo, quod in cauſa ſuæ diuiſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſimè iactant, vt quia ipſam diuinæ ſcripturæ veritatem, qua vbique diffuſa Christi eccleſia, commendatur, criminari & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur adducãt in odium, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit poſſunt.* Malè etiam argumentantur, & nõ tantum malè loquuntur. nam etſi inter bo-

no

[6] *Caluino-turc. p. 495. & 496.*

[7] *In epiſt. 137.*

nos verſentur mali, inter fideles impii; non tamen reprehendendi ſunt viri boni & fideles, ſed potius cogitanda communis eccleſiæ conditio, in qua bonis commixti ſunt mali. Verum vt hæc valeret argumentatio, & illi ad Turciſmum inclinarent, inter quos verſantur homines ſcelerati, & impii & athei; tum papiſtæ non modò in via eſſent ad Turciſmum, ſed in termino, & vltimo fine. Nam inter eos plurimi, vt nos antea oſtendimus, verſantur ſcelerati, infideles, impii, blaſphemi, & inimici crucis Chriſti, imò ex ipſis multi ſunt nequiſſimi & impiiſſimi; quos tamen non [1] negant eſſe eccleſiæ, ſeu potius Synagogæ ſuæ vera membra. Neque licet ipſis inficiari pontifices Rom. capita eſſe eccleſię, ſint quantumuis ſcelerati & impii. At ſi inter nos huiuſmodi homines verſentur, quod non mirum eſt, cum tot hic papiſtas tanta patientia feramus; tamen non ſunt huiuſmodi homines vera eccleſiæ membra. Inter nos quidem verſari poſſunt: ſed ex noſtris non ſunt, nec a noſtris æquo animo feruntur.

[1] *Bellar. de eccleſ. milit. cap. 9. & 10.*

CAP. 4.

De forma & gubernatione eccleſiæ Chriſti, aduerſus lib. 3. cap. 11.

POllicētur ſe hoc loco Gif. & Reginaldus *de Chriſto incarnato dicturos*: & ego ſanè

magnum aliquod opus de re tam magna exſpectabam. Verum quod dici ſolet, *Larus parturit*: magno enim molimine meras nugas agunt. Præcipuum & proprium finem incarnationis Chriſti hunc eſſe [1] dicunt, *vt eccleſiam conſtitueret, & formaret.* At Chriſtus ideo [2] dicit ſe à Patre miſſum, *vt mundum ſaluaret.* Thomas etiam Aquinas [3] dicit *incarnatum fuiſſe principaliter, ad delendum peccatum,*

[1] *Caluino-turc. p* 501. [2] *Ioan.* 3. [3] 3. *p. q.* 1. *art.* 5.

Verum vt ideo naturam humanam aſſũpſerit, vt etiam eccleſiam conſtitueret, & firmaret; quid inde colligent? Reſpondent, *nos non bene de incarnatione ſentire, quia eccleſia apud nos non eſt rectè conſtituta.* egregium ſanè argumentum. neque enim conſequens neceſſarium eſt, neque antecedens verum. non *primum*, quia poſſunt multi de incarnatione rectè ſentire, vt Græci, & aliquot inter Turcas Chriſtiani, apud quos eccleſia peſſimè affecta & conſtituta eſt. non *ſecundum*; quia non tantum propter firmitatem, ſed etiam propter pulchritudinem & ornatum rectius conſtitui non poteſt eccleſia, quam apud nos. Pręſunt epiſcopi & preſbyteri, & claues tractant, leges apoſtolicas pro regula habent: his omnes parent Chriſtiani.

At, [1] inquiunt illi, *eccleſiam poſt* 500. *aut* 600. *annos diſparuiſſe cenſetis. neque vllum habetis ſummum controuerſiarum iudicem, nec certas leges.* Sed hæc aduerſariorum ſunt ſomnia,

[1] *Caluino-turc. p.* 502. & 503.

ſomnia, plus millies ab illis repetita, & millies a nobis & noſtris refutata. neque enim aliquãdo ita diſparuiſſe cenſemus eccleſiam, quin ea quibuſdam, quorum oculos Deus illuminauit, viſibilis fuerit. In Anglia, ſecũdum Chriſtum & Apoſtolos, legitimæ Synodo ſummam damus in controuerſiis religionis diiudicandis poteſtatem. leges apoſtolicas, quæ certiſſimæ ſunt, ſequimur; eóſque meritò ridemus, qui pręter inſulſum pontificem, nullum agnoſcunt ſummum iudicem; nec vllas probant leges, præter pontificum Romanorum decretales, quibus nihil inſulſius eſt, aut incertius, aut ab æquitate priſcorum canonum alienius.

Quod ergo iſti apud ſe Deum rectè coli, & religionem haberi ſtabilem, & ſummam eſſe concordiam; & apud nos nec Deum rectè coli; nec religionem ſtabilem manere, nec concordiam vigere putant; ſuauiter ſomniant, totoq; cęlo errant. Cultus enim apud illos idololatricus eſt, & externus ſecũdum canones & commenta pontificum; omniaque ibi incerta ſunt. Pręterea, non tantum monachorum ordines, & viri eccleſiaſtici, ſed etiam reſpub. ſub iugo pontificum laborãtes, bellis & diſcordiis conflictantur, apud nos autem nihil huiuſmodi reperitur. Queruntur [a] *Magdeburgenſes de principum quorundam inſolentia, & miniſtrorum nonnullorum arrogantia.* ſed neque ex principibus pendet fides, nec ex priuatis miniſtris

[a] *Centur. 4. in præfat. & Centur. 5. & 9. in præfat.*

pendent negotia eccleſiæ. Præterea non hic generalis eſt omnium apud nos eccleſiarum ſtatus.

Multa etiam iſti declamatores, vbi nihil opus erat, de certis rerumpub. formis & legum neceſſitate diſſerunt. quaſi verò non haberemus nos certam eccleſiæ formam & leges certas, quas nulli licet antiquare, aut mutare.

[3] *In methodo hiſt. cap. 5.*

Ex teſtimonio [3] Bodini oſtendunt *Germanos, relicto Luthero & Huſſo in multas partes diſtractos fuiſſe, & ea re in magna incommoda incidiſſe.* Sed quid hoc ad Germanos Chriſto verè credentes? neque enim eccleſiæ præiudicare debet infidelium diſceſſio. Apoſtolus dicit *oportere hæreſes eſſe, vt fideles Chriſti diſcipuli probentur.* Præterea, Bodinus, religionis apoſtata; paruam aut nullam apud nos hac in re fidem meretur.

Sed ſi ex eccleſiæ rectè aut malè inſtituta forma, coniectura de religione & fide ibi recepta fieri poſſit; nuſquam ſanè quam apud papiſtas, maior appareret in religione deformitas, & peruerſitas. Contemplatio ni obſecro, ſi placet, vniuerſam Synagogæ pontificiæ œconomiam. Regnat ibi pontifex Rom. electus non presbyterij & eccleſiæ, ſed Cardinalium ſuffragiis; iſti autem non ſolent gratis ſuffragia dare. Ille ſe Petri ſucceſſorem iactat: ſed Neroni, quam Petro ſimilior eſt. Epiſcopum ſe vocat; ſed nihil habet epiſcopi, præter nomen. Mori-

bu-

bus turpiſſimus cum ſit, dicit ſe tamen ſanctiſſimum. Infantiſſimus eſt & indoctiſſimus: eius tamen iudicium de fide infallibile eſſe dicunt. Hic leges figit, & refigit pro arbitrio. Nonnunquam pro vno, duo ſedent pontifices. iidem contraria edunt decreta, & ſe inuicem armis & cenſuris oppugnant. Iſti pro pecuniis alios cardinales, alios epiſcopos, alios abbates creāt, qui ſub ſuis auſpiciis Synagogæ ſuæ partes gubernent. Nihil autem illis potius eſt, quam vt rectè credentes iugulent. Eccleſias parochiales depaſcuntur ſacrifici, qui etiam ex venditione miſſarum & ſacramētorum, magnū quæſtum faciunt, & ſunt ſanè homines ignauiſſimi. Monachis demum & fraterculis, velut muſcis & ranis [1] Ægyptiacis omnia plena ſunt. Iſti ex certis, homines incertos faciunt, ſine vocatione aliqua in cathedras paſtorū eccleſię ſubingredientes. Nihil ſanè diſſimilius, quam eccleſia Chriſti, & pontificis Synagoga. Antequam ergo nobis inclemēter dicat, reſpiciat Giffordus ſuos. antequam eccleſiæ noſtræ diſciplinam reprehendat, retorqueat oculos ad ſummā illam perturbationem & confuſionem, quæ multos iam annos in Synagoga Rom. regnauit. Iam olim conqueſti ſunt [2] Germani, nec epiſcopos, nec curatos, nec monachos, nec aliquem alium ex eccleſiaſticis ordinibus officium ſuū facere. Prętereà, interdictis, indulgentiis, diſpenſationib. & aliis artib. eccleſiā

[1] *Exod.* 8.

[2] *Grauam.* 100. *Germ.*

& rempub. expilari, iniuſtitiâ populum opprimi, negligentiâ præſulum eccleſiæ cultum diuinum corrumpi ſignificant. Poſtremò tam multa onera ſibi imponi [1] dicunt, *vt neque perferre velint, nec tolerare poſſint.* Neque cauſari poſſunt aduerſarii hæc omnia potius hominum vitio, quam legum culpa contigiſſe. Petrus enim de Alliaco oſtendit eccleſiam *ſtatutis etiam pontificum* grauiſſimè premi. idem authoritate Humberti de Romania [2] probat, *cauſam diſpoſitiuam ſchiſmatis Græcorum fuiſſe propter grauamina Romanæ eccleſiæ in exactionibus, excommunicationibus & ſtatutis.* Dicit denique *deformationem deflendam ſuo tempore fuiſſe in eccleſia: nam & papam, & prælatos, & religioſos, & cæteros eccleſiaſticos & laicos à priſca diſceſſiſſe eccleſiæ diſciplina.* Ioannes Picus Mirandulanus portentoſam eccleſiæ deformitatẽ in oratione quadam ad Leonem decimum deſcribit. Nam non tantum *pueris, ſed etiam catamitis, lenonibus, & nefariis lupis tẽpla & ædes ſacras committi; omnes ordines luxu diffluere; ouile Domini à paſtoribus aut diſſipari, aut negligi; ſtudia doctrinæ iacere; religioſos & moniales, religionis cura neglecta, luxu corrũpi;* multa denique alia in eam ſententiam dicit. Iulianus Cardinalis in epiſtola ad Eugenium quartum dicit, *noua quotidie ſcandala ex deformitate clericorum inſurgere.* [1] Adrianus ſextus fatetur *omne malum eccleſiæ à culmine pontificio fluere.* Neque ſanè nuper tantum

tum

[1] *Ibidem in perorat.*

[2] *De reform. eccleſia.*

[1] *In mandatis ad Cheregat.*

[t]um hęc labes eccleſiam Rom. inuaſit. Iam-[p]ridem enim Bernardus [2] dixit, *putidam la-[t]em ſerpere per vniuerſum corpus eccleſiæ: & [m]iniſtros Chriſti ſeruire antichriſto.* Iampri-dem ſignificat [3] Breidenbachius *receſſiſſe le-[g]em a ſacerdotibus, & a clericis diſciplinam.* Brigitta 3. 10. dicit *eccleſiæ Rom. fundamentũ dilapſum eſſe, & teſtudinẽ plures rupturas ha-bere.* Eadem Chriſtum [4] introducit papam alloquentem & dicentem, *Cur tantum odis me?* & poſtea, *omnes*, inquit, *qui veniunt ad curiam tuam, mittis in Gehennam ignis. Ad reformandam eccleſiam*, inquit [5] Brigitta, *& ad reducendum ſtatum priſtinum bonum & ſanctum neceſſe eſt, vt papa prius ſeipſum, dein-de cardinales & epiſcopos, cæterumque clerum emendet.* Epiſcopus [6] Chemenſis denique dicit *prælatos eſſe luxurioſos & pompoſos, & nõ curare gregem, ſed eum ſcandalizare: religio-ſos deteriores eſſe dæmonibus: reliquumque cle-rum eſſe vitioſiſſimum:* ex eo enim *plures clau-dere cœlum, aperire infernum, & deteriores eſſe Iuda.* Quo ergo ore Giffordus nobis noſtræ eccleſiæ gubernationem obiicere auſus eſt, cum iſtas Synagogę Rom. labes meminiſſet? ſi autem hunc ſuæ Synagogæ Rom. ſtatum ignorauit, cur ille de rebus ſibi ignotis tam confidenter loquitur? Ex iſtis ergo conſtat, ſi quod argumentum ex perturbatione eccleſiaſticæ diſciplinæ ſumi poſſit, vnde certò intelligamus aliquos ad Turciſmum & a-theiſmum propendere; tum papiſtas aut eò

2 *Serm. 33. in cantic.*

3 *Hiſt. de peregrinat. ſua.*

4 *Brig. 142.*

5 *Brig. 49.*

6 *Onus eccleſ. cap. 21. 22. 23.*

iam perueniſſe, aut in itinere eſſe, & valde e… properare.

Cap. 5.

De Lege & Euangelio, aduerſus lib. 3. c. 12

SI cui antea mirum viſum fuerit, quod Spiritus ſanctus ſypagogæ Rom. & regni pótificii ſtatum ſub *Meretricis magnæ* figur…
[1] Apoc. 17.
[1] deſcripſerit; is nunc ſi hominum pontificiorum mores conſiderarit, mirari deſinet. Neque enim tam lac lacti, aut aqua aquę ſimilis, vt illa ſynagoga, meretrici. turpitudo par, habitus & geſtus ſimilis, impudenti… eadem, diſſimulatio in illa maior. Nam licèt turpiſſima ſit; ſpeciem tamen præ ſe fer… ſummæ ſanctitatis: & adeo frontem amiſit, vt cum omnes mortales omni morum obſcœnitate ſuperet, aliis tamen morum turpitudinem obiicere non reformidet. Huius etiam meretricis, filii Reginaldus & Giffordus, matris veſtigia ſequentes, meretricia fronte noſtris hominibus *Atheiſmum, religionis contemptum, iniuſtitiam, intemperantiam*, & alia crimina obiiciunt. Sed adeo nullo argumento, vt aduerſus vniuerſam eorum accuſationem, nec lõga reſponſione opus ſit. Oſtendunt quidem [2] Magdeburgenſes *nonnullos a papiſmo diſcedentes in religione minus fuiſſe deuotos, & in moribus magis diſſolutos quam antea:* & hoc iſti arripiunt & pro ſe dictum putant. quaſi verò non vbique habeantur hypocritæ. *Multi* inquit [3] Chryſoſtomus,

[2] *Magdeb. centur. 11. c. 11. & centur. 10. c 6.*
[3] *Hom. 19. in Matth. operis imperfect.*

ſtomus, *in nomine Chriſti ambulant, pauci in veritate.* [4] Caluin⁹ liberè eos taxat, *qui relicto papiſmo, mores Papiſtarũ nõ abiicerãt*, & multa fuiſſe dicit hominũ millia, q excuſſo ſuperſtitionũ iugo facti ſunt *Epicurai*, & ex *Luciani* ſchola religionis contemptores. Sed hoc oſtẽdit nos iſtiuſmodi homines non ꝓbare. illi autem licet inter noſtros eſsẽt, ex noſtris tamen non erant. Apoſtolus *Paulus nos in libertatem vocatos* eſſe dicit. ſed niſi libertate Chriſtiana hypocritæ ad carnis voluptates explẽdas abuterentur, nunquam ille hortatus eſſet [5] *ne libertatem darent in occaſionem carnis.*

[4] *De ſcandalis.*

[5] *Galat. 5.*

Ex Muſculi prętereа teſtimonio probant quoſdã *Euangelicos* [6] *filiis ſeculi fuiſſe profaniores, leuiores, vaniores, & temerariores.* quaſi verò in area Domini vnà cum tritico non eſſent etiã paleę leues. Prętereа, iſti accuſantur leuitatis & temeritatis; at papiſtæ grauiſſimorum ſcelerum & impietatum cõuicti tenẽtur. Ex miniſtris etiã Muſculus quoſdam ea populum docere ſcribit, quæ ad adiaphoriam & Epicureiſmum inducant. ſed inter apoſtolos numerabatur Iudas, & Nicolaus inter diaconos, & grauiſſima ſcãdala ex domo Dei exorta ſunt.

[6] *In loc. cõm. de decalog. pracep. 3.*

[7] *Loc. com. de miniſtris veri.*

Vbi autem Caluinus [8] in principũ aulis, & in toto mundo atheiſmum graſſari queritur, & paſtores deſides grauiter accuſat; loquitur ille de principibus & regibus ſub iugo viuẽtibus pontificio: noſtra enim reli-

[8] *De ſcandalis.*

gio eo tempore exiguis finibus continebatur: & eos accuſat paſtores, qui paſtorum nomine indigniſſimi ſunt; quales inter nos aliquos quandoque haberi non eſt mirandum cum populus Dei longè deteriores haberet ſacerdotes. Hoc ſanè veriſſimè affirmare licet, viros bonos tales ne intrent cauere, & deprehenſos eiicere.

1 In Matth. c.8. [1] Lutherus eos auaritiæ, ambitionis, & aliorum criminum accuſat, qui videri volebant Euangelici, non qui verè eſſent: cuiuſmodi, falſos fratres nos defendere non tenemur. Eraſmus verò vbi morum ſui ſeculi corruptelam [3] deplorat, non tam de noſtris quam de hæreſum anabaptiſticarum ſectatoribus loquitur. erat etiam noſtris paulò iniquior, cùm propter contentionem cum Luthero, tum quod gratiam aliquam apud Papiſtas ex noſtrorum hominum detractione inire cupiebat.

3 In epiſt. ad fratres inferioris Germ.

Ex doctrina præterea noſtra ſummam morum turpitudinem aduerſarii ſequi [4] contendunt: docere enim nos, *fidem abſque operibus iuſtificare, & vnumquemq; fidelem perſuadere ſibi debere ſe eſſe ex numero prædeſtinatorum*: quaſi verò non hæc Chriſtus & Apoſtoli docuerint, & tamen nihil inde incõmodi ſequi putarent. *Qui ſermonem meum audit*, inquit [5] Chriſtus, *& credit ei, qui miſit me, vitam habet æternam. Colligimus*, inquit [6] Paulus, *fide iuſtificari hominem abſque operibus legis.* Ita etiam [7] Nazianzenus:

4 De Calui. not. p. 513.

5 Ioan. 5.
6 Rom. 3.
7 Nazianzenus περὶ ἀ...ξιας.

διηγι-

δικαιοσύνη γὰρ καὶ τὸ πιστεῦσαι μόνον. *iuſtitia eſt, vel credere tantum.* [8] Origenes *omnem operum noſtrorum gloriam abiiciendam* docet. [8 *In Rom. 3. lib. 3.*]

Similiter de ſalutis certitudine ſecundum apoſtolicam doctrinam ſentiẽdum eſt. Chriſtus dicit, *neminem oues ſuas de manu ſua rapere* poſſe. Qui ergo ſe ex ouibus Chriſti eſſe ſentiunt, de ſalute ſua certi eſſe debent. Ex vocatione autem efficaci, ſpei hæc certitudo exoritur. *quos enim Deus* [9] *vocauit, eos iuſtificauit.* [9 *Rom. 8.*] & ex Spiritu ſancto habemus certum argumentum. [1] *ipſe enim Spiritus Dei teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei.* [1 *Ibidem.*] Non tamen vt hæc doceamus, propterea bona opera contemnimus, vel frena libidini laxanda cenſemus. fidem enim docemus mortuam eſſe ſine operibus; & inde conſtare aliquem non habere fidem, *quia non ambulat in charitate.* Præterea, vt certos eſſe debere ſalutis putamus, qui verè credunt; ſic eos qui non verè credunt, nec credituri ſunt, certò perituros exiſtimamus, & fidem ex bonis operibus, vt arborem ex fructibus agnoſcimus.

[1] Dicunt ſe etiam *Iliadas poſſe conficere.* [1 *Caluinot. p. 515.*] quod nos facilè credimus. ipſi enim malorũ Iliades in eccleſiam Chriſti intulerunt; & vt de Demoſthenis decreto [2] dixit Æſchines, [2 *Aduerſus Demoſth.*] μακρότερον μὲν εἶναι τῆς Ἰλιάδος, κενότερον δὲ τῶν λόγων οὓς εἴωθε λέγειν: ſic nos de iſto inſulſiſſimo volumine dicere poſſumus, Eſſe quidẽ illud longius Iliade, & ineptius quam illę ſunt fabula-

tiones, quas de Indicis miraculis narrant Ie buſitæ. Sed quod *noſtrorum hominum ſe ſcelera innumera dicere poſſe* oſtendunt; ridicule faciunt. neque enim ſolent illi tacere, vbi cauſa loquendi facultatem præbet. *Henricum tertium Galliæ regem, ſchiſmaticum, & hæreticum fuiſſe aſſerunt:*[3] quemque infanda proditione & ſcelere per nefarium Dominicanũ ſeu potius Dæmonicanũ interfecerũt, eum iam mortuum conuitiis lacerant. ſed nullam ille religionem præter papiſticam nouit, cui etiam vſq; ad ſummam ſuperſtitionem addictus erat.

3 *Caluinot. p. 527.*

Henrico octauo Angliæ regi, propter diruta monaſteria & pontificem Rom. ex Anglia eiectum, infenſi ſunt. non miror itaque ſi illum vel mortuum oderint: erat tamen ille quouis pontifice Rom. ſanctior, & vir melior. monaſteria verò, quod ea nihil aliud eſſe, quàm omnis turpitudinis & nequitiæ luſtra reperiret, iuſtiſſimis de cauſſis euertit.

4 *Caluinot. p. 516. & ſequent.*

[4] Laudant poſtremò Turcas, *eoſque velut pietatis, continentiæ, temperantiæ, & iuſtitiæ exempla* ſuſpiciunt. Sed quid ſi fracta nucum putamina bracteis aureis ornarent, & ollas figulinas oſtentarent? Turcarum cunctas flagitioſas libidines, ſcelera, cædes, nulla orationis elegantia aut copia exhaurire licet. illud verò miratus ſum, quod Turcas blaſphemos eſſe negarint. Quę enim maior cogitari poteſt blaſphemia, quam quod ſãctiſſimam Trinitatem & Chriſtum Ieſum ma-

ledicti-

ledictis lacerant? Sed iſtis ſcelerum capitib' licet & Chriſtum blaſphemare, & omnem religionem ridere, modò pontificis Rom. pedes humiliter oſculentur.

Cum Turcis papiſtis rectè conuenit: ſunt enim pariter impii, pariter blaſphemi, pariter propter innumera ſcelera & flagitia abominãdi. & de Turcis omnes fatẽtur: de papiſtis aũt licèt multa iã diximus, tamẽ nũc etiã hæc ita eſſe teſtimoniis certis & indubitatis euincendũ eſt. Impietatẽ eorũ multa ꝓbant. Trinitatis .n. myſteria philoſophicis additamentis ꝓfanant. *rodentes ſacras literas*, inquit Vbertinus de ſcholaſticis loquens, *paganicæ philoſophiæ ſequaces ſunt, quaſi equi currentes, ſic illi in vanam diſputationem.* De Deo malè ſentiunt, ex ratione ſua eum exiſtimantes. verbum Dei, & ſcripturas contumelioſè appellant *atramentum nigrum, mortuam literam, & naſum cereum:* Angelos & ſanctos in Deorum numerum referunt: verum cultũ idololatriâ polluũt. quinetiam ſuas miſſas & cæremonias nec flocci quidem faciunt. Domitius Calderinus cum ad miſſam iret, *Eamus*, inquit, *ad communes errores.* Scripturas de Chriſto loquentes blaſphemè ad pontificem Rõ. detorquent. eum enim appellant [1] *Lucẽ mũdi*, petram immobilem. ſaluatorẽ mundi. *Te*, inquit epiſcopus [2] Modruſæ, ad Leonem decimum, *ſaluatorẽ beatiſſime Leo, exſpectauim⁹*. Imò vt Turcæ Mahometum; ſic iſti ſuũ põtificẽ velut sũmũ Prophetã vene-

[1] *In concil. Trid. epiſcop. Bitont.*
[2] *In Concil. Later.*

rantur: eius enim iudicium infallibile eſſe dicunt. Et ſicut Turcæ Alchoranum; ſic iſti decretales velut religionis ſuæ epitomen habent. In hoc etiam Turcas ſuperant, quod pontificem Rom. velut Deum terreſtrem honorant, & eius pedes oſculantur. *Audis ſummum pontificem*, inquit [3] Steuchus, *à Cõſtantino Deum appellatũ, & habitum pro Deo?* *Papa*, inquit [4] Baldus, *eſt Deus in terris*. ita etiam [5] Decius exiſtimat. *Papa*, inquit [6] Gomezius, *eſt quoddam viſibile numen, & quaſi Deũ viſibilẽ præ ſe ferens*. quod papa & Chriſtus vnum faciant cõſiſtorium vulgo omnes tenent. Stapletonus, vt diximus, adorãs Gregoriũ 13. eũ *ſupremũ in terris numen* [7] vocat.

Dii tamen iſti terreſtres ita viuunt, vt flagitiis omnes mortales ſuperẽt. *Platina* quoſdam pontifices *monſtra & portenta* appellat. de Ioanne 13. Chriſtoph. 1. Sergio 3. nec ipſi negant [1] *eos fuiſſe parum probos*. nos plurima de pontificum Rom. & pręlatorum, & monachorum pontificiorum fœdis moribus iã antè diximus: quibus hæc inſuper adde teſtimonia & argumẽta. Petrarcha aulã Romanã vocat occidentalẽ Babylonẽ. *Nunc*, [8] inquit ille, *me Gallicus orbis habet, & occidẽtalis Babylon, qua nihil informius ſol videt, & ferox Rodanus æſtuanti Cocyto, vel Tartareo ſimilimus Acherõti*. & alio in loco: *Ibi*, [9] inquit, *nulla pietas, nulla charitas, nulla fides habitat; ſed tumor, liuor, luxus, auaritia, cum artibus ſuis regnãt. Ibi Deus ſpernitur, adoratur nummus.*

In car-

3 *Pro donat. Conſtant.*
4 *In l. vlt. Cod. ſentent. reſcind.*
5 *In c. 1. de conſtitutionibus.*
6 *In reg. cancellar.*
7 *In epiſtola ante princip. doctrinal.*
1 *Bellar. in præf. in lib. de pontif.*
8 *Epiſt. 7. ſine nomine.*
9 *Epiſt. 13.*

In carminibus ſuis, *pontificis curiã velut nidũ proditionum, & fontem malorum, & luxuriæ ſeruam* [1] execratur. Boccacii teſtimoniũ contra pontificem, cardinales, & prælatos, iã diximus. Contra omnem ſynagogam Rõ. Breidenbachius clarum teſtimonium dicit. *Receſſit,* [2] inquit ille, *lex a ſacerdotibus, a principibus iuſtitia, conſilium à ſenioribus, a populo fides, amor a parentibus, a ſubditis reueretia.* Vrſpergenſis de temporibus Innocentii tertii verba faciens; *Tunc cœperunt,* inquit, *multiplicari mala in terris. ortæ ſunt in hominibus ſimultates, doli, perfidiæ, traditiones, rapinæ, deprædationes, depopulationes, terrarũ vaſtationes, incendia, ſeditiones.* Talia etiam habet Auentinus, vt antea diximus. *Quibus monſtris, qua ſordium colluuie, qua peſte non ſunt corrupti,* inquit [1] epiſcopus quidam, *non fœdati in eccleſia ſancta Dei & populus & ſacerdos?* [2] Germani oſtendunt & populi, & cleri papiſtici olim fœdos fuiſſe mores.

1 *Cant. 106.*

2 *In hiſtor. peregrinat. ſua.*

1 *In ſynodo Trident.*

2 *In grauã. German.*

Neque ſanè aliter fieri poteſt, cum talia faciant & doceant pontifices Rom. Leges enim diuinas & humanas ipſi contemnunt, & ſe legum vinculis ſolutos dicunt. Præterea, pœnas leges violantibus relaxant. aſſerũt canoniſtæ, *eos poſſe contra* [3] *Apoſtolum, & Apoſtolorum canones diſpenſare.* imò iuſtitiam ipſos ex [4] iniuſtitia facere poſſe clamant. omnes itaque homicidę, periuri, adulteri, inceſtuoſi, ſodomitæ, ad pontificem Rõ. tanquam ad aſylum & patrem & patronum cõ-

3 *Diſt. 38. c. lect. & diſt. 88. presbyter.*

4 *c. debitus. de appellat.*

fugiunt,& p pecunia abſoluuntur. Hinc *ſtupra, inceſtus, adulteria, periuria, homicidia, furta, rapina, fœnora, ac tota malorum Lerna,* vt queruntur [5] Germani. *Ex poteſtate abſoluendi*, inquit [6] Matthæus Paris, *occaſio delinquendi ſumitur. Ex diſpenſationibus iſtis,* inquit [7] Bernardus, *truncãtur, & dimembrãtur eccleſia, epiſcopi inſolentiores, monachi diſſolutiores fiunt qui audiunt, ſcãdalizãtur, detrahunt, blaſphemant.* [8] *Paulus Langius* de tẽporibus Bonifacii noni ſcribẽs: *Copioſiſſima,* inquit, *materia ſcribendi, vel potius plangendi de his temporibus infamibus, & effœminatis ſe offert, quibus totam Italiam, maximè tamen Romam magnitudo ſcelerum, & vitiorum vorago pene abſorbuerat, & ſimoniaca peſtis omnino læthaliter infecerat.* Rectè ergo Theodoricus Vric horum tẽporum corruptelas [9] perſequitur, verſibus quidem barbaris, ſed qui barbaros illorum temporum mores rectè exprimunt.

5 Grauam. Germ.
6 In Henr. 3.
7 De conſid. ad Eugen.
8 In Chron. Citizenſ. p. 848.
9 Apud Paul. Lang. ibid.

Papa, inquit ille, *ſtupor mundi cecidit ſecumque ruêre*
Calica templa Dei, membra, ſimulq; caput.
Papa dolor, mũdiq; pudor, per crebra pateſcit
Crimina, ſeu ſcelera famine ſonorifero.
Heu Simõ regnat, per munera quæq; regũtur.
Iudiciumque pium gaza nefanda vetat.
Curia papalis fouet omnia ſcandala mundi,
Delubra ſacra facit perfiditate forum.

Neque tantum leges violarunt; ſed etiam euangelium Dei, quantum poterant, tollere

cona-

conati ſunt. Nã primò illud in lingua ignota velut ſub modio occultarunt. deinde falſiſſimis interpretationibus ſententiam eius corruperunt. Poſtremò, ſuppreſſo Chriſti euangelio, prædicatores ex familia & ſecta Dominici euangelium ediderunt, quod ipſi [1]vocarunt *euangelium æternum*, quódque ab omnibus recipi voluerunt. vulgo omnes dicunt, *ſatis eſſe ſi homines Chriſtiani credant eccleſiã catholicã*, etiamſi nihil aliud intelligãt.

1 Matth. Paris in Henr. 3. p. 910.

Atque hæc deſignarunt non homines ex plebe contempti & abiecti, ſed ſummi pontifices, prelati & eccleſię Rõ. columnę. Teſtimonium autem dicunt authores fide digni. Quod ſi ergo ex lege & euangelio ſententiam ferre licet; in aduerſarios hoc crimẽ Turciſmi aptiſſimè conferri poterit; & Giffordus & Reginaldus ſuis telis confoſſi occumbent; & erit Giffordus non amplius Anglus, ſed Turca, ſeu ſaltem papiſta Turcicus.

Cap. 6.

De virginitate Mariæ perpetua, Chriſtique præceptis, prædicatione, ſcientia, & paſſione, aduerſus lib. 3. c. 13.

OStẽdebãt aduerſarii in capitis vndecimi argumento, *ſe de Chriſti incarnatione dicturos eſſe*: idque ego non tantum in hoc, ſed etiam in ſuperiore capite vehemẽter exſpectabam. Sed vt in aliis omnibus, ſic etiam in hoc loco, nec in dictis, nec in factis

fidē ſeruant. Omiſſo enim tractatu de Chriſti incarnatione, nouum exordiūtur de ſanctę deiparæ perpetua virginitate, & Chriſti prçceptis & prędicatione dialogiſmū. inde etiá nouę criminationis argumenta quęrūt.

Ac primò de virgine Maria malè nos ſentire criminantur. Bezam *enim perpetuam eius virginitatem non neceſſariò credendam*[1] *cenſuiſſe: & Carolum Molinæum, & Caluinū eam partus doloribus anguſtatam exiſtimaſſe: & Latimerum eam ſacculo croci aut auri pleno comparaſſe: & Bunnium quatuor mortaliū peccatorum ream feciſſe: & mulieres quaſdam Scotas ſe virgini illi ſanctiſſimæ pares putaſſe.* Sed leuia ſunt iſta nugamenta, & reſponſione prorſus indigna. nullis enim machinis ex iſtis criminationibus, licèt veriſſimę eſſent, concluſionē ſuam de *Caluinoturciſmo* educere poſſent. quid enim hoc ad Turcas, vel ad nos etiam? quomodo res tam diſiunctæ cohærebunt? Pręterea, nec Beza, nec Molinęus, nec Caluinus, aut quiſquam noſtrûm eius perpetuam virginitatē negauit, aut de partu virginis admirando minus honorificè loquutus eſt. Neq; licèt hoc neceſſariò credendum nō putaret Beza eam poſt partum ſemper manſiſſe virginem, propterea virginitatem eius deſtruxit. Latimerus aduerſus eorum errorē inuectus eſt, qui diuinos honores Dei matri tribuerūt. Quod de fœminis Scotis narratur, nullum habet authorem præter Archibaldum Hamiltonium, quem pro-

[1] *In præfat. noui Teſt.*

propter apoſtaſiam à fide, & fugã ad hoſtes, omni fide indigniſſimum iudicamus.

At ſi ſcelus ſit de Maria ſecus quam ſecũdum Apoſtolicam fidem ſentire; & illi Turcis ſunt deteriores, qui de ea malè iudicant: quid de illis exiſtimandum eſt, qui nõ modo myſterium natiuitatis Chriſti corrumpunt, ſed ex cultu Mariæ quę peperit mundi redemptorem, ſibi ſcandalum ad interitum faciunt, & verbis pollutis & communibus, ſanctiſſimum myſterium de virginibus partu contaminant? Primò enim *Ieſum Chriſtũ per vterum virginis, tãquam ſolis radium per vitrum tranſiiſſe*[1] *volunt*. quod nihil aliud eſt, quam tam incarnationem tollere, quam humanam in Chriſto naturam deſtruere. nam radius ſolis tranſit per vitrum, nec aliquid de ſubſtantia eius ſumit; & corpora humana eiuſdem naturæ cum noſtris, alia ſolida corpora penetrare nõ poſſunt, nec tranſiee, niſi ſibi cedãt. Aſſerunt deinde aliqui, *Chriſtũ carnẽ ſumpſiſſe ex puriſſimo cordis virginei ſanguine*. quod humani corporis rationẽ deſtruit. Virginem Mariam plerique ſine peccato originali conceptam dicunt: ideo ſic[2] orant, *ſentiant omnes tuum iuuamẽ, quicunq; celebrant tuam ſanctam conceptionem*. At Apoſtolus Paulus hoc peccatum in *omnes trãſiiſſe* ex humano ſemine cõceptos[3] ſignificat. Eius corpus etiã in cœlum aſſumptum credunt, & propterea feſtum aſſumptionis ſeruant: omneſque eã tãquam deã colunt. *Cœli*,

1 *Molin. de vnione euang. par. 3*

2 *In breuiar. Rom. in feſt. concept.*

3 *Rom. 5.*

[4] inquiunt illi, *feneſtra facta es, tu regis alti ianua, & porta lucis fulgida.* In ei⁹ honorem miſſas canunt, & officia dicunt, & abſq; hac Chriſtum iratum mundum iamdudum deſtructurum fuiſſe fingunt. Pſalterium denique in honorē eius transformarunt, ea quæ Dei ſunt, ad Mariam deflectentes: & ex merito congrui [5] dicunt, *eam meruiſſe, vt eſſet mater Dei.* iidem tamen [6] negant, *duas eſſe filiationes*: vnde in dubium videtur vocari, an filius Dei ab æterno, ſit etiam filius Mariæ alia relatione. Myſterium verò incarnationis ita tractant, & de ſingulis ita diſputant vt pudeat ea referre. [7] Quærunt primò, quas habuerit illa partes in generatione filii Dei, nēpe vtrum ſe habuerit paſſiuè an actiuè. Deinde, loca & partes definiunt velut medici potius, quā Theologi. Poſtremò, verba adhibent tanto myſterio indigna; quæ nos pudore adducti ſcribenda non putauimus.

Poſtquam verò ſermonem de matre Dei abſoluiſſent aduerſarii, multa de filio Dei noua contra nos excogitant crimina. [8] Aſſerunt enim nos Chriſti pręcepta nouis interpretationibus eludere; *negare enim nos operum iuſtitiā.* At nuſquam præcepit Chriſtus ex operibus iuſtitiam quærere. Pręterea, nō ſignificauit nos propter opera iuſtificari. nā Matth. 25. vbi fideles vocat ad regnum cœlorum, hoc ipſis paratum dixit *à conſtitutione mundi.* Hoc autem datum iri oſtendit iis, qui eſurientes pauerunt, & alia bona opera fece-

4 *Infeſto concept. in Breuiar.*

5 *Bonauentura in 3. ſent. diſt.* 4.

6 *Thomas* 3. *p. ſum. q.* 35. *art.* 5. & *Henricus de Gandauo, in* 3. *ſent. diſt.* 8.

7 *In ſent.* 3. *diſt.* 3.

8 *Caluino-turciſ. p.* 533.

fecerunt, vt [1] doceret opera eſſe *viam regni, non cauſam regnandi. Nullum apud Deum per legem iuſtificari manifeſtum eſt*, inquit *Paulus*, Gal. 3. vnde Thomas in Galat. 3. *Opera*, inquit, *non ſunt cauſa quod aliquis iuſtus ſit apud Deum, ſed potius ſunt executiones, & manifeſtationes iuſtitiæ.* Iacobus dicit nos iuſtificari operibus *oſtenſiuè*, vt loquitur Thomas. declarant enim iuſtificatum; & non efficiunt aliquem iuſtum. neque tamen propterea bona opera excludimus, vel patrum interpretationes reiicimus.

1 *Bern. tract. de gratia & lib. arbitrio.*

In verbis cœnæ Domini nulla eſt controuerſia de præcepto, ſed de verborum interpretatione. Quorſum [2] ergo iſta hoc loco, vbi de Chriſti præceptis agendum erat? Reprehendere voluerunt fortaſſe noſtram de verbis iſtis, *Hoc eſt corpus meum*, interpretationem. ſed neq; huic rei hîc locus erat, nec omnino quicquã ſapiunt, vbi noſtram ſententiam & interpretationem reprehẽdunt, quam & Paulus Apoſtolus, & verborum cõtextus, & mos loquẽdi Sacramentalis, & veterum authoritas confirmat. *Panis quẽ frangimus*, inquit [3] Apoſtolus, *nonne eſt communio corporis Chriſti?* eſt ergo panis qui frangitur Sacramentum corporis Chriſti, & non ipſum corpus, quòd verè frangi non poteſt.

2 *P.* 534.

3 1. *Cor.* 10.

Præterea, Chriſtus poſt cœnam peractã de Sacramento verba faciens, appellat illud *genimen vitis*. at non ſanguis, ſed ſignum ſanguinis eſt genimen vitis. Calix etiam

Domini ita vocatur ſanguis, vt *nouum Teſta-mentum*: ſed calix ille ſacramẽtum erat nou Teſtamenti, & non ipſum teſtamentum. cu nõ ergo putemus vinum calicis fuiſſe Sacramentum & ſignum ſanguinis, & non realiter ipſum ſanguinem?

Sacramenta ſanè appellationem haben rerum quarum ſunt ſacramenta. Ita Exod 12. victima dicitur *Paſcha Iehouæ*. & 1. Cor. 10 *Petra* vocatur *Chriſtus*. *Petra autem*, inqui Apoſtolus, *erat Chriſtus*. *Solet*, inquit [4] Auguſtinus, *res quæ ſignificat, eius rei nomine quam ſignificat, nuncupari*. Idemque [5] defini Sacramentum *eſſe ſacrum ſignum*. Chryſoſtomus in Matth. homil. 83. & Cyprianu lib. 2. epiſt. 3. diſertè ſcribunt Chriſtum, *diſcipulis ſuis vinum tradidiſſe*. Vnde intelligimus vinum ſignum eſſe ſanguinis, ſeu Sacramentum. Patres denique verba Chriſti, *Ho eſt corpus meũ*, & *hic eſt ſanguis meus*: figuratè accipi docent, & non carnaliter, vt inſta Cyclopes carnem Chriſti voremus, & ſanguinem potemus. *Acceptum panem ac diſtributum diſcipulis*, inquit [6] Tertullianus, *corpus ſuum illud fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei*. Similiter Auguſtinus; *Nõ dubitauit*, [7] inquit, *Dominus dicere, hoc eſt corpus meum, cum ſignum ſiue Sacramentum daret corporis ſui*. Idem lib. 3. de doctrina Chriſtiana, c. 16. *Si flagitium & facinus videtur iubere*, inquit, *aut beneficẽtiam vetare, figurata eſt loquutio*. Theodoretus, dial. 1

4 *Quæſt. ſuper Leuit. q.* 57.

5 *De cõſecr. diſt. 2 ſacrificium.*

6 *Contra Marcion. lib.* 4.

7 *Contra Adimant. c.* 12.

dial. 1. *Symbola*, inquit, *quæ videntur, corporis & ſanguinis ſui appellatione honorauit, non naturam mutans, ſed naturæ gratiam addens.* Hanc etiam interpretationem probat Ambroſius lib. 4. de Sacramentis c. 5. & Cyprianus de vnctione Chriſmatis. Author etiam Gloſſę apud Gratianum de conſecrat. diſt. 2. *Vocatur corpus Chriſti*, inquit ille, id eſt *ſignificatur.* nec aliquis veterum docuiſſe videtur panem aut vinum in ſacramenta aboleri.

Sed quid nos iſtis immoremur, cum noſtri accuſatores, nec præcepta Chriſti curēt, nec bona opera faciant, ſed contrà, omni ſe libidinum & turpitudinum genere polluant? Præterea, peruerſiſſimis interpretationibus, & verba cœnæ Domini, & multa ſcripturæ loca cōtra ſententiam detorquēt: nos ſanè nec adeò incertas habemus ſententias, vt iſti putant; nec vel Caluinus vel Beza alicui ſcripturę canonicę parti fidem detraxit, aut de verbis Chriſti aliter, quam doctorem Chriſtianum decuit loquutus eſt.

De prædicatione autem Chriſti multò nos anguſtius, quam aduerſarii, ſentimus. ipſum enim vniuerſam patris voluntatem Apoſtolis reuelaſſe exiſtimamus; illi negant. nos ei prophetiæ omnino inſiſtimus; illi pontificum decretales etiam Chriſti verbis repugnantes recipiunt. neque quicquam Caluinus de charactere & forma dicēdi qua Chriſtus vtitur loquutus eſt, niſi vt gloriam bo-

nitatis & ſapientiæ eius amplificaret. Fide ei tribuit, ſed non vt aliquid eſt imperfectio nis in fide. nam & ſcripturis Chriſtum aſſe ſum præbuiſſe, & futuræ corporis ſui reſu rectionem, & glorificationẽ crediđiſſe n ceſſe eſt. Aduerſarii autem dum fidem ei d trahunt, ipſum fidei authorem blaſphem infidelem ponunt, & fidei definitione in dubium reuocant. Neque quicquam va let ſcholaſticorum [1] argumentum, qui fid primi Chriſto detraxiſſe videntur. nam vt f des [2] eſſet *argumentum non apparentium ta tum*; tamen corporis ſui glorificatio Chr ſto adhuc non apparebat. quid ergo exiſt mabimus, ſi fides ſit nõ tantũ nõ apparent um, ſed etiam pręſentium, & omnium qu tenus in verbo Dei comprehenduntur? Pr terea, ſi viator erat Chriſtus, & non tantu cõprehenſor, quomodo fide carere potuit?

Similiter exiſtimamus, nos melius me tem Spiritus ſancti, quoad Chriſti ſciẽtiam quam aduerſarios tenere. nam etſi libente fateamur, *Omnes theſauros ſapientiæ, & ſcien tiæ in Chriſto* [3] *fuiſſe abſconditos*; tamen ve hominem fuiſſe, & quædam diuinæ natur cognita, vt hominem ignoraſſe credimu Hoc enim diſertè de extremo die iudicii a firmat Chriſtus. *Hunc*, inquit [1] ille, *nemo ſci nec ipſe filius.* Atque ita interpretatur [2] N zianzenus. γινώσκει μ̃ ὡς θεὸς, ἀγνοεῖν δ̀ φησὶν ὡς ἀ θρωπος: *Nouit vt Deus, vt homo ſe dicit igno rare.* eam etiam interpretationẽ confirma

[1] *Thom. Aquin.* 3. *p. q.* 8. *art.* 3.
[2] *Hebr.* 11.
[3] *Coloſ.* 2.
[1] *Marci* 13.
[2] *Lib.* 2. *de filio.*

3 Cyril

[3]Cyrillus. Præterea, hoc inde ſequitur, quia Chriſtum certum eſt ſapientia profeciſſe. nam ſi quędã puer ignorauit, non obſtante hypoſtatica vnione; tum non accepit Chriſtus vt homo, Dei omniſcientiam. Lucas diſertè dicit eũ profeciſſe ſapientia. hoc [4] Ambroſius dicit quoſdam ſenſiſſe. *Fatendũ eſt* (inquit [5] Maxentius) *Deum natum ex fœmina non ſecundum diuinitatem, ſed ſecundum humanitatẽ: Deum in cunis iacentẽ, pannoſũ, ſordibus inuolutum, creuiſſe, & profeciſſe ætate, & ſapientia ſecundum humanitatem, non ſecundum diuinitatem.* Vnde Ianſenius audacior quam cæteri: *Cum Scripturis,* [6] inquit, *ſacris & fidei ſinceritate obſtare non videtur, ſi dicatur deitas per gradus quoſdam, dotes ſuas impartiſſe humanæ naturæ aſſumptæ, cum Lucas id aperte hoc loco bis dicat, eiſdẽ verbis nũc loquens de Chriſto, quibus prius de Ioanne.* Eraſmus noſtram etiam interpretationem veram eſſe affirmat. Et ſanè ſi propter vnionem tribuant omniſcientiam, cur non ei etiam propter eandem cauſam tribuãt omnipotentiam? & ſi omnipotentiam negent, cur omniſcientiam tribuant? Nam quod reſpondent, *eum ignoraſſe diem iudicii, quia non aliis eum dixit,* non ſatisfacit: cum ipſe & ſapientiâ, & ætate creuiſſe dicatur. Verè autem creuit ætate. cur non ergo ſapientia?

Fruſtra etiam noſtram ſententiam de Chriſti paſſione, & meritis reprehendere

[3] *Lib. 9. theſaur. c. 4.*

[4] *Ambroſ. de fide lib. 5. c. 8.*

[5] *In profeſſ. cathol. fidei.*

[6] *In concord. cap. 12.*

conantur. [7] Carolus Molinæus non negat merita Chriſti incarnationis & obedientię, ſed ea ſine morte Chriſti nihil dicit fuiſſe profutura. Caluin[9] fatetur ſummos fuiſſe Chriſti, & quoad corpus & quoad animam in paſſione dolores: Et rectè. hoc.n. ipſe [8] Chriſtus profeſſus eſt. *Nunc*, inquit ille, *anima mea perturbata eſt.* Et *triſtis eſt vndequaque anima mea ad mortem.* Et Spiritus ſanctus dicit, [9] *cœpiſſe eum contriſtari, & grauiſſimè angi.* Patres etiam agnoſcunt ſummam fuiſſe in anima eius triſtitiam. *Sicut ſuſceperat*, inquit [1] Ambroſius, *voluntatem meam ſuſcepit triſtitiam meam.* & hoc Melchior Canus[2] fatetur. *Conſentaneum profectò erat*, inquit ille, *vt filius Dei hoſtiam ſe pro peccato exhibiturus, non ſolum corporis & animæ ſenſitiua dolores, ſed angores quoque Spiritus, & voluntatis triſtitiã ſuſciperet, quò pro culpis noſtris omnib. hoſtia illa Deo acceptiſſima, omnibus omnino modis cõtereretur.* Et paulò poſt, *Derelictus à Deo, omnique penitus ſolatio deſtitutus non gaudebat.* Nec ſanè mirum, cum guttæ ſanguinis ex ſumma eius agonia de fronte deſtillarent. Antiquiores etiam ſcholaſtici hac in re nobiſcum ſentiunt. *Dicendum*, inquit [3] Bonauentura, *ſecundum communem magiſtrorum ſententiam, quod paſſio Chriſti non ſtetit in ſenſitiua parte nec tantum peruenit ad rationem inferiorem: imò extendit ſe vſque ad ſuperiorem eius portionem.* Idem dicit totam animam *afflictam fuiſſe.* At iſti [4] aſſerunt a-

nimam

[7] *In Harm. euangelii.*
[8] *Ioan.* 12. 27. *Matth.* 26. 37. 38. 39.
[9] *Luc.* 32. 44.
[1] *Ad Gratianum.*
[2] *Lib.* 22. *c.* 13.
[3] *In ſent.* 3. *diſt.* 15. & *Dionyſ. Carth. ibid.*
[4] *In ſent.* 3. *diſt.* 15.

nimam eius toto paſſionis tempore in ſummo fuiſſe gaudio: & dolores minuunt, gaudia augent, rationemque perturbatam fuiſſe negant. vnde ſequitur non fuiſſe in Chriſto verum dolorem: *quod,* vt inquit [5] Bonauentura *eſt contra fidem catholicam, & eſt renouatio antiqui erroris Saracenorum, & quorundam hæreticorum.* vbi notatu dignum eſt, aduerſarios Bonauenturæ iudicio Saracenos eſſe & Turcas. [5] *Ibidem.*

Dicit præterea Caluinus *Chriſtum ſubito & abrupte loquutum, & ſe reuocaſſe & caſtigaſſe, & mortem quodammodo renuiſſe.* quaſi verò non hæc omnia Apoſtoli doceant, & ex oratione Chriſti de transferendo à ſe poculo, & verbis proximis ſequantur. Ambroſius lib. 3. de Trinit. dicit *Chriſtum ſecundum humanum affectum de patris potentia dubitaſſe.* Lombard. lib. 3. ſent. diſt. 17. §. ceterum. Nobiſcum etiam ſentit Hieronymus: *Attamen,* inquit ille, *reuertens in ſeipſum, quod ex hominis perſona trepidanter renuerat, ex Dei filiiq; confirmat: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Non inquit, Hoc fiat, quod humano affectu loquor, ſed propter quod ad terras, tua voluntate deſcendi.* Rabanus etiam oſtendit Chriſtum noſtris motibus turbatum fuiſſe. *Saluator,* [6] inquit, *dixit noſtros circumferens motus, qui in periculis poſiti deſeri nos putamus. humana enim natura propter peccatum fuerat derelicta. ſed quia filius Dei factus eſt noſter aduocatus, quorum ſuſcepit culpam, deplorat* [6] *In catena Thomæ.*

miſeriam. Neq; ex motibus iſtis aliquod in-commodum ſequitur. *Num idcirco*, inquit Nazianzenus, *honore ſuo ſpoliatur, quia factus eſt tua cauſa humilis?*

Quod ergo colligunt ex [7] Caluini ſententia ſequi, *Chriſtum deſperaſſe, & peccaſſe & damnatũ eſſe ad inferos*; faciunt ibi officium ſuũ ſtrenuè, hoc eſt, impudenter mentiuntur, calumniantur, blaſphemant. tantũ enim abfuit ab hac impietate Caluinus, quantũ qui maximè. Nec propterea ſequitur, quia exiſtimauit *deſcenſum ad inferos nihil aliud ſignificare, quàm acerbiſſimã Chriſti agoniã*; ꝑpterea credidiſſe Chriſtum pœnas pertuliſſe damnatorum, aut inferni cruciatus; exiſtimauit enim agoniam Chriſti ſummam, eiuſq; dolores intenſiſſimos ita figuratè appellari. Sed quicquid ille ſenſit de hac re; hoc nihil ad nos attinet, qui aliter deſcenſum Chriſti interpretamur & docemus. imò iniquè incommodæ eius loquutiones nobis imputantur: neque enim vnius delictum ad inſontium debet redundare pœnas.

[7] *Caluino-turc. p. 547.*

At papiſtæ multò hæc turpius tractant, & lutulentius, quã Caluinus. illi enim citra ambages quærunt, *an homo Chriſtus potuerit peccare*, & cõcludunt quod ſi potuerit peccare, potuerit etiã damnari. *Non immerito quæritur*, inquit [1] magiſter, *vtrũ homo ille potuerit peccare, vel non eſſe Deus. ſi enim potuit peccare, potuit damnari.* Idem deniq; cõcludit anima Chriſti, ſi non fuiſſet vnita Verbo, potuiſſe

[1] *Lib. 3. ſent. diſt. 12. § 3.*

pec-

peccare. *Sine ambiguitate*, inquit[a] ille, *verum eſt eandem* (animam nempè Chriſti) *ſi eſſet & non vnita Verbo, poſſe peccare.* Quod etiam ex cõmuni ſcholaſticorum ſequitur ſententia.[3] Aſſerunt enim *liberum arbitrium eſſe poteſtatem faciendi & non faciendi.* vnde ſequitur ex eorum ſententia Chriſtum potuiſſe peccare, vt aſſerunt hominem potuiſſe nõ peccare: ei enim tribuunt liberum arbitriũ. *Cõcedit Durãdus*, inquit[4] Dionyſius Carthuſianus, *quod Chriſtus in tali caſu* (nempe ſi eius humanitas fuiſſet aſſumpta ſine gratuitis, vtpote in puris naturalibus) *poſſet damnari. quia cũdãnatio ſonet in pœnam, non eſt magis inconueniens dicere Chriſtum eße damnatum, quam paßum & mortuum.* Hęc impiè, hæc blaſphemè dicuntur; hęc denique non reprehenſione, ſed pœna digniſſima ſunt. Caluinum ergo ſi ſapiunt miſſum poſthac facient, & in magiſtrum ſuum, & ſeipſos confuſi oculos conuertent, & tacebunt.

a Ibid.

3 In diſt. 12. lib. 3. ſent.

4 Ibid. q. 2.

CAP. VII.

De merito mortis Chriſti, aduerſus calumnias, cap. 14. 15. & 16 lib. 3.

TRoianos magno ſublato clamore in hoſtes irruere ſolitos narrat[5] Homerus. Ita etiam faciũt aduerſarii. magno enim clamore nos Chriſti paſſioni & meritis detrahere dicunt: ſed quod clamore huic reſpondeat, nihil præſtant. Ita etiam Troiani barbarè clamantes, citò terga verterunt. in hoc ergo iſti clamoſis Troianorum bellatoribus nõ diſſimiles ſunt. quid enim pręſtãt, vt

5 Iliad. 3.

nos tantum facinus admiſiſſe probent? Primò multa contra nos diſputant, *quod fide nos abſque operimus ſaluari credabus.* at hoc [6] Apoſtolus nos docet, & Abrahami exemplo probat. Præterea, multum hoc meritũ mortis Chriſti auget, quod omnem noſtram ſalutem ipſi acceptam ferendam, & in operibus non eſſe gloriandum docemus.

[6] *Rom. 3. & 4*

Negant [7] ſecundò *nos intelligere, quemadmodum vnus homo pœnas peccatorũ in corpore ſuo pertulerit.* debuère ergo errantes reducere, & ignorantes docere. ipſi autem nihil horum faciunt. calumniantur tantum *nos aſſerere Chriſtum pœnas pertuliſſe damnatorum.* at hoc nos ſcelus eſſe dicimus, vel ſemel cogitare. imò nec Caluinus, ex cuius verbis hoc paradoxon colligunt, hoc affirmat, vel probat.

[7] *Caluinoturciſmi. P. 556.*

Aſſerunt deinde *Caluinum negare Chriſtum nobis eſſe promeritum gratiam & ſalutem.* At Caluinus planè contrarium docet. *Quod verè Chriſtus,* [1] inquit ille, *ſua obedientia nobis gratiam apud patrem acquiſierit, ac promeritus ſit, ex pluribus ſcripturæ locis certò & ſolide colligitur.* At, inquiunt iſti, *Caluinus dicit quoſdam non ferre nomen meriti,* & *ipſe etiam fatetur non fore locum merito, ſi quis per ſe Chriſtum opponere velit iudicio Dei.* Certè. nam homo Chriſtus, non conſiderata hypoſtatica vnione, non poſſet nos à pœna æterna liberare. *neque enim,* vt inquit [2] Auguſtinus, *homo Chriſtus Ieſus, vt hoc eſſet, vllis meritis*

[1] *Lib. inſtit. 2. c. 17. § 3.*

[2] *Lib. 1. de prædeſt. ſanct. c. 15.*

compara-

comparauit. illi autem qui meriti nomen ferre non poſſunt, à Caluino eo nomine redarguuntur.

Dicunt præterea *Caluinum pariter Chriſti, & aliorum hominum merita æſtimare. & locū Philip. 2. de merito Chriſti propter eius obedientiam, & humilitatem diſtorquere.* Sed *primum* apertum eſt mendacium. *Secundum* non probat eum meritum Chriſti negare, ſed tantum eum dicere, *hoc ex eo loco non probari*. Hoc autem ille diſputat contra eos, qui non conſiderant Chriſtum ſecundum hypoſtaticam vnionem. quod etiam in cauſa fuit, cur quidam ex noſtris fortaſſe dixerit, hominem Chriſtum abſolutè conſideratum abſque reſpectu ad vnionem hypoſtaticam, non potuiſſe cœlum ſuis operibus promereri.

Dimiſſo tandem Caluino, in Bezam inuolant, eumque grauiter accuſant, *quaſi proprium redemptoris nomen Chriſto ademiſſet, & nihil diuinius de Chriſto, quam de Moyſe, Elia, & Petro exiſtimaſſet.* Sed nihil Beza vel dixit vel ſignificauit, vnde aliquid huiuſmodi quiſquam ſuſpicaretur. ille enim ſoli Chriſto aſſignat redemptionis opus, neque hoc à quoquam alio præſtari potuiſſe cenſet. Hæc etiam communis eſt noſtrorum hominum ſententia, qui papiſtas, quod alios conſtituant redemptores & mediatores, reprehendunt. [3] Petrus etiam de Taroitaſia & Richardus de Media villa, etiam hominem Chriſtū

[3] *In 3. ſent. diſt. 19.*

ſimpliciter negant eſſe mediatorem & redẽptorem. Chriſto enim *dicunt competere eſſe mediatorem, redemptorem & reconciliatorem ſecundum naturã non ſimpliciter, ſed vt Verbo vnitam.* At † Bellar. dicit *hominem ſuiipſius redemptorem & ſaluatorẽ rectè appellari poſſe.* omneſq; papiſtæ homines ꝓpria peccata expiare poſſe quoad pœnas tẽporales cõtẽdũt. In liturgia denique ſynagogæ Rom. diuam virginem & Angelos, & ſanctos velut mediatores inuocant. Iſti ergo honorem redẽptionis Chriſto adimunt, & cum ſanctis communicant, & in doctrina redemptionis grauiter peccant, Moyſem & Eliam & Petrum velut mediatores inuocantes, & Chriſto nõ amplius quã hominibus mortalibus deferentes.

† *Lib. 1. de purgat. c. 10.*

Gerlachium etiam & *Heshuſium* hoc nomine † inſectantur, *quaſi & ipſi Chriſtũ ſalutẽ nobis ſua obediẽtia & morte meruiſſe negaſſent.* Sed vt multa inueſtigent, nihil tamen ab iſtis hoc nomine peccatum reperiẽt. Gerlachius enim vbi exaltationem & gloriam Chriſti meritis operum deberi negauit, cõſiderauit humanam naturam ſimpliciter, & nõ vt Verbo vnitam. De Heshuſio nihil habent quod proferant præter Clebitii teſtimonium, cui in cauſa illa non temere credendum eſt. Sed nec vt Heshuſius incõmode ſenſerit, aut loquutus ſit, hoc nobis dependendum eſt. quid enim nobis vel cum Heshuſio, vel cum ſingulorum priuatis ſententiis & opinionibus? num hoc in ſe ſuſcipient papiſtæ, vt ſinguli

† *P. 563. & 564.*

G.

Giffordi & Reginaldi, aut aliorum minutorũ ſophiſtellorum opiniones defendent?

Poſtea de aſcenſione in cœlos, & deſcenſione ad inferos [5] multa nugantur, & dicunt, *æquè poſſe paſſionem Chriſti, atq; hæc figuratiuè exponi*. Sed nos nõ ita exponimus, nec Brentii, aut Illyrici diſparitionem probamus. imò nec Caluini ſententiam de deſcenſu Chriſti metaphorico ſequimur. longe tamen diſcrepant illi, qui deſcenſionem & aſcenſionem negãt, & qui modum exponunt deſcenſionis & aſcenſionis illius. 5 *Caluinot. p. 566. 567.*

[6] Oſtendunt denique *Libertinos, & ſectã amoris, & quoſdam hæreticos extremo ſupplicio apud nos affectos, mortem Chriſti & merita eiuſdem ſuſtuliſſe*. Sed hoc in loco planè præuaricati eſſe videntur. nam ſi eos ſupplicio afficimus, qui mortem & merita Chriſti negant; non eſt credibile nos cum illis ſentire. Præterea Libertinos, & Familianos amoris hæreſeôs damnamus, & legibus coercemus. Quid eſt ergo, quod clamẽt nos merita Chriſti minuere, aut de redemptione per Chriſtũ facta malè ſentire? 6 *Caluinot. p. 568. & ſequent.*

At papiſtis hoc crimen verè obiici poteſt. ipſi enim nõ ſolum cõtẽptim, ſed etiã impiè de Chriſti meritis, & redemptione inde ſequuta loquuti ſunt. [7] Aſſerunt enim *potuiſſe Deum ex indulgentia non tantum Chriſtũ, ſed Thomam Aquinatem ad abſolutã pro vniuerſo mundo ſatisfactionẽ ſuſcipere*. ita vno verbo negant Chriſti incarnationẽ neceſſariã fuiſſe 7 *Caluino-turc. p. 561.*

ad genus humanum ex poteſtate Diaboli eripiendum. imò adeo leue faciunt hoc redemptionis opus, vt à mortali præſtari potuiſſe credant. Præterea omnia vaticinia de Chriſti incarnatione, & virginis partu tollũt. meritum denique redemptionis minuunt. nihil enim ſingulare præſtitit Chriſtus, ſi Thomas redemptor eſſe potuit.

[8] *Bonauentur. in 3. ſent diſt. 15 & alii ſcholaſt.*

Chriſti paſſionem prorſus eleuant. [8] Aſſerunt enim *Chriſtum tempore acerbiſſimæ ſuæ paſſionis in ſummo fuiſſe gaudio*: quæ non modo repugnant cum iis, quę euangeliſtæ de agonia Chriſti, & intenſiſſimis eius doloribus narrant; ſed etiam valorem & meritum paſſionis & mortis Chriſti extenuant. ita enim merita eius magna erant, ſi paſſio ipſius acerba, & dolor eius magnus fuit. negat [9] Antiſiodorenſis *Chriſtum ſecundum quod mouebatur diligendo Deum, & ipſo fruendo quicquam promeritum eſſe vel ſibi, vel nobis.* vulgo omnes ſcholaſtici [1] aſſerunt *eum comprehenſorem fuiſſe.* cõprehenſores autem negant eſſe in ſtatu merendi.

[9] *In ſumma, lib. 3.*

[1] *In 3 ſentent.*

Omnes etiam exiſtimant virginem Mariam abſque omni peccato conceptam fuiſſe. Ioannem etiam & Hieremiam in vteris matrum exiſtimant ſanctificatos, ita vt nunquã peccarint. In talibus ergo meritum mortis Chriſti euacuatur. quorſum enim pro his moreretur, qui non peccarunt? & quid iſti beneficii à morte Chriſti habent, cum nec

redem-

demptore eguerint, ſi papiſtę verè loquantur?

Aſſerunt præterea Chriſtum non ita ſatisfeciſſe pro peccatis, quin ſinguli pro ſuis peccatis poſt baptiſmum commiſſis ſatisfacere teneantur, aut hîc, aut in purgatorio.

Salutem aſcribunt non Chriſti meritis, ſed operibus noſtris: iuſtitiam enim hominis Chriſtiani in fide & operibus ponunt.

Paſſionem Chriſti Thomas [2] Aquinas *cauſam eſſe dicit remiſſionis peccatorũ per modum prouocantis ad charitatem.* quod nihil aliud eſt, quàm ſi diceret, Chriſti mortẽ typũ eſſe nobis propoſitum, & non redemptionem pro peccatis. [2] 3. *part. ſumma.*

Charitati etiam, nedum Chriſti meritis & paſſioni, remiſſionem peccatorum ferunt acceptam. *Per charitatem*, inquit [3] Thomas, *conſequimur veniam peccatorum.* [3] *Ibidem.*

Non tantum Chriſtum, [4] ſed *etiam prælatos, & viros ſanctos dicunt eſſe mediatores.* imò ex meritis ſanctorum theſaurum dicunt conſtitutum, & *inde nos veniam conſequi peccatorum.* [4] *Petrus & Richardus de Med. vill. in 3. ſentent. diſt.* 19.

De aſcenſione etiam ad cœlos, & deſcenſione ad inferos turpiter allucinantur. Chriſtum enim non ita dicunt aſcendiſſe, quin hîc ſit in ſingulis altaribus. iidemque ex hac doctrina veram Chriſti humanitatem deſtruunt. Dum verò patres negant è limbo ereptos ante Chriſti ad inferos deſcenſionem, tollunt meritum & eff. ctum paſſionis &

mortis Chriſti, & ad eius deſcenſionem trāſferunt. Ipſi ergo de merito mortis Chriſti abiectè ſentiunt, & myſterii eius dignitatem minuunt, & eius criminis conuicti tenentur cuius nos reos peragunt. Fruſtra igitur nouis criminationibus ſuis vel ſuos errores tegere vel noſtros accuſare conantur.

[1] Caluino-turc. c. 15. & 16. lib. 3.

Aſſerunt quidem [1] *duos alios ſingulares effectus mortis Chriſti a nobis tolli: nā non modò non eccleſia, quam Chriſtus ſanguine ſuo ſibi comparauit, perpetuam durationem, ſed etiā redēptionem a ſeruitute peccati Chriſti morte factā negare.* Sed duos iſtos effectus ſingulares, aduerſarii ſingulari impudentia freti, à nobis tolli affirmant. quis enim noſtrûm vnquam affirmauit eccleſiam è mundo aut exulaſſe aut periiſſe? & quis (obſecro) dubitauit, an Chriſtus nos è ſeruitute inimicorū noſtrorū liberaſſet? Chriſtus ſe eccleſiam ſuam ſuper petrā ædificaturum [2] promittit, aduerſus quā nec portę inferi præualebunt. idemq; ſe cum ſuis *vſque ad conſummationē ſeculi futurum* [3] oſtendit. Idcirco credimus ſemper in mūdo futuram eccleſiam, eamq; aduerſus omnes ſeculi fluctus & perturbationes futuram inuictam.

[2] Matth. 16.

[3] Matth. 28.

Nec obſtat, quod non ſēper fuerit omnibus conſpicua. nō enim propterea euaneſcet aut peribit, aut nulla erit. nam temporibus Chriſti & Apoſtolorum, exiguæ erant populi Dei reliquiæ, vulgoque eccleſiam inter ſacerdotes & ſcribas potius, quàm inter gregē

[C]hriſti quærebant. Poſt Chriſti tempora, [e]ccleſia aliquot ſeculis perſecutionũ ꝓcellis [ja]ctata, in ſolitudine, & locis deſertis, & ple[b]e ferè ignobili latebat. Non tum regnabat [p]ontifex Rom. nulli viſebantur cardinales: [o]rnatus ille tẽplorũ magnificus nuſquã erat: neq; auro, neq; gemmis tũ paupercula eccleſia fulgebat. Poſtea verò, dominante in Aſia Mahometo, & in vrbe Roma Antichriſto, rurſus ſe eccleſia intra ſolitudines, ædes priuatas, & regiones remotas ſe recepit, & impletum eſt illud quod prædixit Spiritus ſanctus, vt eccleſia tanquam mulier parturiens in deſertum [4] fugeret. Non tamen propterea eccleſia è mundo exulauit, aut periit. nam & in oriente, & occidente, & multis orbis partibus ſemper fuêre aliqui, qui Antichriſti tyrannidi repugnarent. Quid autem *Seruetus* de exilio eccleſiæ, & reſtitutione Chriſtianiſmi ſomniarit, parum refert. hunc enim non minus quàm Mahometum execramur: Geneuenſes propter blaſphemias eum vltimo ſupplicio affecerunt.

[4] *Apoc.* [illegible]

Chriſtus etiam *languores noſtros ipſe* [5] *tulit*, & *lauit nos à peccatis noſtris in* [6] *ſanguine ſuo.* Idem etiam nos reconciliauit Deo, & per Spiritum ſanctũ ſanctificauit vt in nouitate vitæ ambularemus, omnes deniq; in ſe credentes à maledictione legis liberauit. neque propterea, vt iſti [7] calumniantur, detrahimus glorioſæ Chriſti redẽptioni, quia ꝓpter naturæ noſtrę corruptionẽ negam' nos legẽ

[5] *Iſa.* 53.
[6] *Apoc.* 1.
[7] *P.* 592. 593. *& ſequent.*

poſſe plenè implere; aut quia in noſtris operibus aliquam ſemper manere imperfectionem dicimus; aut denique quia non ita credimus nos ſanctificari, quin aliquæ peccatorum ſordes maneant, quas quotidie nobis elui petimus. nam hæc nos ex apoſtolorum doctrina hauſimus, qui redemptionis Chriſti beneficia ſummè amplificarunt, & veriſſima ſunt. quis enim ſe legem perfectè impleſſe gloriari poteſt? quis ſe ab omni labe immunem profiteri audeat? quis ex operibus ſuis iuſtitiam ſe perfectam adeptum confidat? *In multis*, inquit Iacobus cap. 3. *labimur omnes.* Apoſtolus Petrus Act. 15. dicit *legem eſſe iugum, quod neque Patres, nec diſcipuli Chriſti ferre poſſent. Tanta mandata ſunt*, inquit Ambroſius in Galat. 3. *vt impoſſibile ſit ſeruare ea.* In eundem locum Hieronymus dicit, *neminem poſſe explere legem, & cuncta facere quæ iuſſa ſunt. Nullus legem impleuit*, inquit Chryſoſtomus in Gal. 1. *Implere totam legem eſt impoſſibile*, inquit Thom. in Galat. 2.

Neque tantum hæc vera ſunt, ſed Chriſti merita augent. omnia enim bona opera ab ipſo profecta fatemur, & ei totum redemptionis beneficium acceptum ferimus. Nec obſtant vel Wirtenbergenſium [1] criminationes, qui quod Chriſti corpori omnipræſentiam negamus, aſſerunt *nos Chriſti tollere maieſtatem*; vel Libertinorum inſania, à quibus nos alieniſſimi ſumus; vel [2] *Caſtalionis* calumnia, qui Bezā accuſat, quaſi is Chri-

[1] *Caluino-turc. p. 575.*

[2] *Ibidem. p. 576.*

ſti

ſti beneficium eneruaret, cum non aliud egerit, quam vt verba *Pauli* rectè conuerteret. Non obſtat denique aduerſariorum noſtrorum hoc loco[3] accuſatio; quaſi re tollere mus, quod verbis concedimus. nihil eſt enim quod non agnoſcimus nos accepiſſe à Chriſto, quod quidem ad ſalutem noſtram ttinet. [3] *Ibid. p. 574.*

At Papiſtæ, vt iam diximus, mortis Chriſti merita, eiuſque ſummam gratiam minuunt. aſſerunt enim ſe non fide tantum euangelii, ſed lege ſalutem conſequi. Chriſto tribunt primas partes iuſtitiæ; ſecundas & præcipuas ſibi ſumunt. ſatisfactionem Chriſti non ita plenam eſſe dicunt, quin ſibi etiam ſatisfaciendum putent. liberationem Chriſti ſemiplenam faciunt: eum enim tantum à culpa liberaſſe peccatores & non à pœna putant. æternam denique vitam non Chriſti meritis, ſed ſuis operibus deberi contendunt.

Multa denique contra nos maledicta hoc loco[4] effundunt. ſed hoc vbique faciunt. nos contra habemus quæ illis opponamus & pro dictis vera. [4] *Caluino-turc. c. 14. 15. 16. lib. 3.*

Ἐςὶ γὰρ, vt[5] Homerico illo vtar, ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι [5] *Iliad. v.*

Πολλὰ μάλ', οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόνζυγος ἄχθος ἄροιτο.

Sed in hoc genere nolo illis palmam præripere. Turcarum illi perſonas & odium aſſumpſerunt, quis autem Turcas in odio ad

uerſus Chriſtianos ſuperet? nihil tame
cogitari potuit abſurdius, quam vt Turc
papiſtarũ de bonis operibus hæreſes defe
derent, quod iſtic [1] faciunt.

[1] *Caluino-turc. cap. 16.*

Cap. VIII.

De cauſa & authore peccati, aduerſus lib.
cap. 17.

[1] *Prouerb. 10.* IN *multiloquio*, inquit [1] Salomon, *non dee*
peccatum. At aduerſarii noſtri non mod
multa loquuntur, ſed etiam male loquuntu
hoc loco Turcica falce minaces, *nos atheos &*
Epicuræos [2] vocant: iidemque cum Simon
Mago & Marcione, qui Deum mali au
thorem fecerunt, coniungunt. Sed Deus al
quando cauſam noſtram iudicabit: hoc inte
rim ſcimus, *neque ebrioſos, nec maledicos re*
gnum Dei [3] *poſſeſſuros.*

[2] *Caluino-turciſ. p. 599.*

[3] *1. Cor. 6.*

Cur autem nos huius turpiſſimæ ſente
tiæ accuſarent, cauſa nulla eſt vel minima. n
hil enim diximus aut docuimus, vnde hoc
nobis ſuſpicarentur. imò diſertè profite
mur eos impios eſſe, qui Deũ authorem pe
cati faciunt. Neque ſanè huius paradoxi
quæ eccleſiæ redargui poſſunt. *Damnam*
[4] inquiunt Heluetii, *Florinum & Blaſtum,*
omnes, qui Deum faciunt peccati authorem
cum diſertè [5] *ſcriptum ſit. Tu non es Deus q*
velit iniquitatem: odiſti omnes qui operant
iniquitatem. Imò Caluinus & Beza, quos ho
nomine præcipuè accuſãt, Deũ ab omni pe
cati labe vindicant. Caluinus diſertè [6] nega
Deu

[4] *Confeſſ. Heluet.*

[5] *Pſal. 5.*

[6] *Inſtit. 4. c. 18. §. 4.*

Deum eſſe peccati authorem, etſi impiorum cõſilia, & actiones regat. In commentariis etiam in Iacobum idem vberius confirmat. *Sequitur ergò,* inquit 7 ille, *neque peccati originem eſſe in Deo, neque illi culpam imputari poſſe, quaſi ex malis voluptatem capiat.* Ipſi etiam Caluino Beza ſuffragatur. *Quod inquit Dauid, non Deus volens iniquitatem tu es; perpetuò verum eſſe confitemur,* inquit 8 Beza, *& eũ qui ſecus ſentit, pro impio & blaſphemo habemus.* Ea etiam reliquorum omnium eſt ſententia. *Tenenda eſt,* inquit 9 Melanchthon *veriſſima ſententia, quæ extat apud Hoſeam, Ex te perditio tua, tantùm in me auxilium tuum. nec vult, nec approbat, nec efficit peccatum Deus. hæc vera ſententia firmiſſimè retinenda eſt.* Similiter Petrus 10 Martyr: *Deus,* inquit ille, *neminẽ cogit, vt malè agat, ſed quiſque volens peccat: quare in illum cauſa peccati non eſt reiicienda. nam cum in nobis cupiditates non procreet, culpam non debet præſtare, ſi prauæ actiones ex corrupta radice prauorum effectuũ dimanent.* Dicant ergo quo in loco vel Caluinus, vel Beza, vel quiſquam noſtrûm dixerit, *Deum eſſe peccati authorem.* quid hærent? quid tacent? nonne ſe planè calumniatores oſtendunt, cum nihil huiuſmodi, ex ſcriptis noſtris proferre poſſunt?

7 *In Iacob.* 1. *v.* 13.

8 *De æterna Dei prædeſtinat. contr. Caſtal.*

9 *In cap.* 1. *ad Rom.*

10 *Petr. Martyr in Iudic.* 9.

Tandem ergo multa corradunt ex Caluini ſcriptis argumẽta: ſed ea nihil efficiũt. 1 Dicit quidẽ *Deũ impiorũ operâ vti, & animos flectere ad exequenda ſua iudicia, & nihil eos effi-*

1 *Inſtitu.* 1. *c.* 18. §. 1. *&c.*

cere, niſi arcano eius nutu, & excæcare & o
durare corda, & regere & ordinare diaboli,
impiorum actiones, & non tantum otioſe pe
mittere. ſed ex iſtis non ſequitur Deum eſ
peccati authorem. nam illa ex ſcripturis pro
bantur. Omnes enim noſtræ actiones ex
[2] *Act.* 17. ſtunt à Deo, ſed non vt peccata. *In ipſo enim*
viuimus, mouemur, & ſumus. & is omnia ef
ficit ex conſilio volũtatis ſuæ. Deus opus Ab
ſolonis à ſe eſſe [3] profitetur, ſaltemquoad or
[3] 2. *Sam.* 12. dinationem. *tu clam feciſti, attamen ego fa*
cturus ſum rem hanc coram toto Iſraele, inqui
Deus loquens de Abſolonis facto. Deus et
[4] *Exod.* 4. iam [4] dicit *ſe induraturum cor Pharaonis*. ne
que tamen hæc, quæ in hominibus peccat
erant, Deus regens, peccati author dicendu
eſt. *Vos cogitaſtis in me malum, Deus autem*
[5] *Geneſ.* 50. *vertit illud in bonum*, inquit [5] Ioſephus ad fra
tres ſuos. Herodes, Pilatus, Iudæi contr
Chriſtum coniurarunt; nihil tamen fecerũt
[6] *Act.* 4. niſi *quod manus & conſilium Dei prius* [6] *defi*
[7] *Auguſt. epiſt.* 48. *nierat faciendum*. in hac autem actione [7] Au
guſtinus oſtendit *Deum eſſe iuſtum, & homi*
nem reum. Neque putandum eſt Deum in
actionibus impiorum otioſe ſedere. *Nos in*
[8] *In gloſſ. numeror. c.* 22. *terim dicemus*, inquit [8] Origenes, *Sapientia*
Dei omnia ita eſſe diſpoſita, vt apud Deum ni
hil ſit otioſum, nec bonum nec malum. malitia
autem Deus non facit, ſed inuentam ab aliis cu
impedire poſſit, non impedit, quoniam vtitur ea
ad neceſſarias cauſas. Fulgentius vlterius pro
greditur, & ſuper illud, *Tradidit eos Deus in*
paſſiones

paſſiones ignominiæ;[9] dicit *Deum voluntatem inclinare in omne quod voluerit, ſiue bonũ ſiue malum.* Scholaſtici etiam dicunt omnem actionem malam eſſe à Deo. *mala actio,*[10] inquit Alexander Hales, *ſecundum quod actio, eſt a Deo.* Similiter Antiſiodorenſis: *Tertii, inquit, dicunt, quod actio mala in quantum actio, eſt à Deo. quod verum eſſe probatur per illud*[1] *Iſaiæ, Numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea?* atque hanc ſententiã ipſe probat. Bonauentura dicit Deum eſſe[2] *primordialiſſimam cauſam, & maximæ influentiæ in cauſſas ſecundas.*[3] Auguſtinus adeo dicit *Deum omnipotentem eſſe, vt bene faceret ex malo.*[4] Magiſter oſtendit quoſdam exiſtimare, *Deum velle mala eſſe, vel fieri:* & illud ex Auguſtini ſententia probat. Et ſanè ex Auguſtino conſtat Deum peccata & malas hominum voluntates pro voluntatis ſuę arbitrio dirigere, & ordinare. *Operatur Deus,* inquit[5] Auguſtinus, *in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſiue ad bona pro miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto.*

9 *In epiſt. ad Rom.* 1. *in gloſſ.*
10 *In* 2. *ſentent. diſt.* 37.
1 *Iſa.* 10.
2 *In* 2. *ſentẽt. diſt.* 37.
3 *Enchirid. c.* 11.
4 *Sentent. lib.* 1. *diſt.* 46. § 5.
5 *De grat. & lib arbitr. cap.* 21.

Nuſquam autem dicit Caluinus Deum efficaci voluntate peccatum velle, quatenus peccatum, aut operari in peccatis, quatenus peccata ſunt, aut incitare aut cogere ad peccandum, vt Giffordus & Reginaldus impudenter affirmant. Nihil eſt ergo quod Cal-

uino, Florini, aut aliorum hęreticorum blaſphemias affingant, aut incommoda ex illis ſequentia enumerent, aut maledicta & contumelias ex Heshuſio, Caſtalione, aut aliis authoribus in eum colligant. nihil enim ille in hac re non piè & orthodoxè, vt videtur, ſenſit. Atq; vt incommodè alicubi locutus ſit, vbi non ſatis acutè peccatum ab actione diſtinxit; hoc tamen ipſi cum Alexandro & Antiſiodorenſi commune eſt. Peccati labē & voluntatem malam nuſquā ille à Deo eſſe putauit. Libertinorum certè flagitia vbique deteſtatus eſt, eorumque ineptias acutè & ſcienter refutauit.

At Papiſtæ non ſatis orthodoxè loquuntur. Illi enim in actionib. peccatorum otioſum Deum fingentes, generalem Dei prouidentiam tollunt, & multa fieri putant Deo non cooperante, nec adiuuante. vnde ſequitur, non eſſe ipſum omnium rerum cauſam.

1 *Caluino-turc. p. 605.*

[1] Aſſerunt præterea *Libertinorum flagitioſos errores ex Caluini & Lutheri prædicatione manaſſe: Caluinū enim omnia Dei ſpiritu, & nutu fieri dixiſſe: & ipſum affirmaſſe Deum eſſe authorem omnium, etiam peccatorum: & tam Lutherum, quam Caluinum liberum arbitrium ſuſtuliſſe.* Sed hęc omnia flagitioſa ſunt mendacia. Calninus enim licèt Deum in impiis operari aſſerat, non tamen dicit eum peccata operari. Præterea, nihil tale ex doctrina Lutheri & Caluini colligitur. Poſtremò,

ſtremò, non ita aliquando iſti duo libertatem voluntatis ſuſtulerunt, vt non ſponte & voluntate homines peccare concederent. Quod autem dicit [2] Zuinglius *Deum omnia operari in nobis, & Deum primam eſſe cauſam qui nobis vtitur vt cauſis ſecundariis*; nihil aliud eſt, quam quod ſcholaſtici multò craſſius diſputant. [3] Dionyſius Carthuſianus quærit, *an actio omnis vitioſa, in quantum actio, ſit à Deo.* & in argumẽtis oppoſitis ponit *exẽpla fornicationum, furtorũ, blaſphemiarũ, odiorum, deſperationum.* Reſpondet tamen, *quod omne eſſe, & omne agere, & omnis actualitas à primo vniuerſitatis principio fluxit.* Bonauẽtura etiam reſpondet, *Deum eſſe omnium primordialiſſimam cauſam.* At iſti nec ſuos magiſtros ſatis legiſſe videntur. neque enim Zuinglio hæc obiicerent, ſi magiſtrorum doctrina ſatis imbuti fuiſſent.

[2] *In explanat. art. 20.*

[3] *In 2. ſent. diſt. 37. q. 1.*

Poſtremò, quod Lutherus dicit, *Deum quoſdam reprobaſſe ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, hoc diabolicè & furiosè dictum eſſe contendunt.* Sed nihil hoc ad locum hunc de prima mali cauſa: & præterea, nõ ſine cõtumelia aperta in Spiritum ſanctũ reprehẽditur. oſtẽdit enim [1] Apoſtolus electionem *neq; volẽtis eſſe, nec currẽtis, ſed miſerẽtis Dei*: & non debere creaturam cum creatore expoſtulare, licèt Deus eam ad contumeliã ordinarit. [2] Nihil eſt ergo, quod tãquã carcere aperto, Turcopapiſtæ iſti in locum communẽ de Dei miſericordia erumpant. nã niſi ſũ-

[1] *Rom. 9.*

[2] *Caluino-turc. p. 612.*

mè miſericors eſſet, nunquam ille nec tot hominum impiorum blaſphemias, nec proditorum & perſugarum iſtorum immanem perfidiam, & ſingularem calumniandi licentiam impunitam reliquiſſet. ſed cogitare debent, quanto tardius Deus de peccatoribus ſumit pœnas, tanto eas grauiores futuras.

Cap. 9.

Refellitur Giffordi & Reginaldi calumnia, qui Lutherũ eiuſque diſcipulos accuſant, quod Chriſti diuinam naturam paſſam existimarent, lib. 3. cap. 18.

COntra Caluinum tota hęc cõfabulationum moles cõfecta eſt, vt earum authores aſſerunt. hîc tamen in Lutherum aduerſarii inuehuntur, eoſque qui eius de transfuſis vnius Chriſti naturæ in alteram proprietatibus opinionẽ ſequuntur. ſic etiam canes rabidi nuſquam cõſiſtentes, temerè in hunc & illum furioſo impetu feruntur. Omne autem huius accuſationis fundamentum in eo poſitum eſt, quod nonnulli imperitè per voces naturarũ proprias, Chriſti perſonam intellexerunt. hoc tam ex verbis Lutheri, quam Iacobi Andreæ, & aliorum colligi poteſt. *Natura diuina*, inquit [1] Iacobus Andreas, *propter ſummam perfectionem ſuam, in ſe nullas recipere poteſt paſſiones: ſed tamẽ quia ſe carne communicauit in Filio, ideo paſſio in illam redundat.* Lutherus per *Diuinitatẽ patientem*

[1] *Theſ. 156. & in repetit. Wirtember. p. 239.*

tientem intelligit perſonam illam paſſam eſſe, quæ Deus eſt, & homo. & cæteri negant ſolam humanitatem paſſam, hoc eſt, eam perſonam, quę tantum homo erat. Similiter Selneccerus & Gerlachius per nomē naturę Diuinæ perſonam illam intellexerunt, quæ Deus eſt & homo, coniuncta ſimul diuina & humana natura per hypoſtaticam vnionem.

At diuinam naturam, ſimpliciter & ſecundum ſe paſſam eſſe, nuſquam affirmant. Non hoc ſenſit Lutherus, non Selneccerus, aut quiſquam alius. fruſtra ergo contra eos calumnias colligunt, quaſi ipſi Diuinam naturam mortuam eſſe putarint. omnis enim eorum error in eo fuit, quod regulas de cōmunicatione idiomatum non ſatis intellexerunt.

Quibus vt ſe poſthac æquiores præbeant, debent ipſi intelligere, non ſemper papiſtas regulas has obſeruare. In feſto enim conceptionis, humanitatē Chriſti pro perſona & ipſi accipiunt. *Vnigeniti tui Domine nobis,*[1] inquiūt illi, *ſuccurrat humanitas:* pro, ſuccurrat Chriſtus vnigenitus tuus. Anſelmus dicit naturam Diuinam incarnatam eſſe. *O in quam ſublimi,*[2] inquit Anſelmus, *contemplor Mariam! omnis natura ex Deo eſt creata, & Dei natura ex Maria eſt nata.* ſi aūt nata, & paſſa. Thomas etiam[3] Aquinas *naturæ Diuinæ tribuit natiuitatem.* & Magiſter ſentētiarum ab hac phraſi non videtur mul-

[1] *In Miſſal. Rom.*

[2] *De laudib. glorioſiſſ. virginis.*

[3] *3. part. q. 35. art. 1.*

tum abhorrere. *Hac authoritate,* [4] inquit, *videtur tradi, q̄ diuina natura humanā ſuſcepit.*

[4] *Lib. 3. ſent. diſt. 5. §. 2.*

Neque ſanè patres abhorrent ab huiuſmodi dictionibus. *Illa natura,* inquit [5] Auguſtinus, *quæ ſemper genita manet ex Patre, noſtram naturam ſine peccato ſuſcepit, vt naſceretur ex virgine.* [6] Magiſter ſententiarum ex Athanaſii & Cyrilli authoritate concludens dicit: *ex his manifeſte oſtenditur, quod natura diuina incarnata eſt.* Ioannes Damaſcenus diſertè [7] dicit *Diuinam eſſentiam eſſe incarnatam.* Neque tamen negamus, quin patres in authoritatibus prędictis per Diuinam naturam intellexerint perſonam. Quod ſi ergo hoc iſtis concedendum ſit, cur non ignoſcamus Luthero & eius diſcipulis impropriè loquentibus, & Naturam pro Perſona accipientibus? De fide non eſt dubium eos rectè ſenſiſſe & credidiſſe, *quod vtraque in Chriſto natura manet in ſuis proprietatibus ſalua, inuiolata, integra, inconfuſa.*

[5] *De fide ad Petrum. c. 2.*

[6] *Lib. 3. ſent. diſt. 5. § 3.*

[7] *Lib. de fide.*

Atque vt hanc exigere velint a Luthero ſine aliqua miſericordia aut remiſſione pœnam; non tamen hoc contra nos obiiciendum erat. quid enim nos deliquim⁹, qui negamus aliquo modo dicendum eſſe, Diuinitatē, vel incarnatā eſſe, vel paſſam, vel mortuam, etſi Deo propter vnionē naturę diuinę & humanę, hęc omnia tribui poſſint? In vno enim domino noſtro Ieſu Chriſto duas naturas credimus. Diuinā ſcilicet, & humanam:

nam: & has ita dicimus vnitas, vt tamen non ſint confuſæ, aut abſorptæ, aut commixtę. Credimus etiam non obſtante vnione, ita manere ſaluas naturarum proprietates, vt nec natura Diuina paſſa ſit, nec humana proprietatem adepta ſit Diuinam.

Quid autem papiſtę? ipſi contra credunt corpus Chriſti glorioſum in locis infinitis eſſe poſſe, & corporis omnes amiſiſſe dimēſiones, & poſſe alia corpora penetrare. ex quibus neceſſariò tollitur humanitatis ratio, & id efficitur, quod Luthero obiiciunt, vt corpus Chriſti ſit vbiq; , & vt corpus ſit deificatum, & diuinitas ſit quodammodo paſſa: quę ſanè ſunt abſurdiſſima.

De Zwenckfeldio nihil eſt quod ſoliciti ſimus, quid ſenſerit. fatemur enim multa illum ſenſiſſe & docuiſſe perabſurda, quæ cōmuni eccleſiæ noſtrę conſenſu damnantur. vbi ergo nobis Zwenckfeldii & aliorum errores obiiciunt, oſtendunt, etſi ſummè cupiant, ſe nihil habere qd' in noſtra fide reprehēdāt. nā quod *Zuinglio & Iuello* [1] *obiiciunt Lutheri & Zwenckfeldii ſentētiā de Chriſti ſacerdotio*, ignorantiam & malitiam ſuam produnt. nam etſi ſacerdotium Chriſti munus eſſet perſonale, vnde rectè dicitur *Deus paſſus*, propter vnionē naturarum in Chriſto perſonalem; non tamen ſequitur diuinitatem paſſam eſſe, quod iſti abſurdè inferunt. & ſanè adeo abſurdum eſt, vt omni-

[1] P. 619.

um poetarum portenta, & gentilium ſuperſtitioſas impietates longè ſuperet.

Haud tamen ſcio an abſurdius ſit, quam illud tranſubſtantiationis papiſticæ commentum: ex quo ſequitur non modò homines impios, ſed etiam canes & mures Chriſti corpus comedere, imò & diuinam naturam comedere, quam ibi eſſe per concomitantiam aſſerunt. Miſſas ergo faciāt noſtrorum hominum incommodas loquutiones, ipſi enim non tantum incommodè loquuntur, ſed etiam abſurdiſſimè ſentiunt, & faciunt.

Cap. X.

Aduerſus Giffordi & Reginaldi ineptias, lib. 3. cap. 19, 20. 21. 22. & 23. ſub alia perſona iterum inculcatas.

HOc loco, nos ad dramatis iſtius exitum perueniſſe ſperabam. quæcunque enim vel odium, vel furor Turcicus euomere potuit in Chriſtianam religionem maledicta, ea omnia effuderat Micheas, & diſceſſerat. Nunc autem, contra quàm exſpectabam, ſubducta prima perſona, prodit in ſcenam Ludouicus papiſta, ex cauponū genere diſputator acerrimus, qui omnia illa quæ à Turca dicta & diſputata ſunt colligit, repetit, probat, & pari furore eadem tela aduerſus nos intorquet. Quis igitur dubitet, quin eandem cauſam Turcæ & Papiſtę aduerſus Chriſti eccleſiam agant, & odium Tur-

carum

[p]arum papiſtę longè ſuperent? Pariter papiſtæ & Turcæ aduerſus nos debacchantur, clamant, inſaniunt. hoc loco *Ludouicus* prolixam [1] inſtituit contra nos ſuperiorum battologiarum repetitionem. Menelaum laudat Homerus quod [2] breuiloquus eſſet, & ſuauis: loquutus enim eſt *παῦρα μὲν ἀλλὰ λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος*. hic autem Ludouicus ex Batti ſtirpe, vt videtur, prognatus, nec breuis eſt, nec ſuauis, nec aliquid affert quod lectorem alliciat aut delectet, aut moueat.

[1] *Caluino-turc. p. 626.*

[2] *Iliad. 3.*

[3] Reprehendit quidem ille Bezæ, Melãchthonis, & Caluini de ſanctiſſima Trinitate doctrinam. ſed nihil affert ipſe melius. imò præterquam quod iam dictum eſt, nihil ferè noui affert. Lutherum accuſat, quaſi dixiſſet *animam ſuam odiſſe hoc verbum ὁμοούσιον*: ſed falsò: non enim ita loquitur Lutherus. Pollicetur etiam Ludouicus ſe fidẽ catholicam de ſancta Trinitate & myſterio incarnationis traditurũ: ſed nõ exſoluit quod promiſit. & ſanè quid tam ridiculum, quam hominem, audire cauponium de tantis myſteriis verba quaſi è dolio vinario fundentẽ? Multò autem acerbius cõuitiatur, quã Turca: eſt enim illa diſciplina cauponia. Bezæ in memoriam [4] reuocat, quæ ille adoleſcens, & papiſta in quandam *Candidam* cecinerat. oblitus eſt enim Romã nihil aliud eſſe, quã proſtibulum meretricum, & aulam pontificis omni turpitudine ſuperare Sodomam & Gomorrham.

[3] *Caluino-turc. lib. 3. cap. 19.*

[4] *Caluino-turc. p. 630.*

Ex [5] Stancaro & [6] Schluſſelburgio mult corradit maledicta. ſed quid opus erat aliun de pulpamenta, vt aiunt, quærere, cum pa piſtæ deliciis iſtis abundent? Pro iſtis auten conuitiis & maledictis nos Giffordo ſanita tem & meliorem mentem optamus. Ad cri minationes Ludouici nos antea reſpondi mus ſatis. doctrinam eccleſiæ noſtrę de Tri nitate aduerſus doctiſſimos & acutiſſimos papiſtas ſæpius defendimus. nihil eſt ergo, quod caupo iſte ſuis nugis tabernariis ſe p fecturum ſperet.

5 P. 633.
6 P. 619.

Poſtquam verò myſterium Trinitatis profanaſſet; ad politeiā eccleſiæ tranſit. Mi rum autem, ne nouam ex ſpecu ſuo ſubter raneo, vbi & vina condere ſolet, diſciplinam afferat. Primò autem ipſi [7] diſplicet, *quod nō ſit aliquis apud nos ſummus pontifex, vt eſt apud Turcas, quem illi Mofti vocant.* quaſi ve rò exemplum politeiæ eccleſiaſticæ à Tur cis ſumendum ſit; aut non admodum turpe ſit, ſummum pontificatum Rom. exemplo probare politeiæ Turcicæ. Illud verò tur piſſimum, quod Giffordus oblitus perſonæ quam ſuſtinuit hoc loco, iterum induit per ſonam Turcicam, & in perſona [8] *Ludouici* fatetur *Mofti eſſe ſuum ſummum pontificem,* & Turcarum imperatorem eſſe ſuum impe ratorem; & imprudens ſe Turcam eſſe pro fitetur, & apoſtatam religionis.

7 Caluino-turc. p. 641.
8 Ibidem & p. 642.

Mox verò [1] reprehendit nos, *quod princi pibus noſtris ſummam tribuimus in rebus ec cleſia-*

1 Lib. 3. c. 20.

cleſiaſticis procurandis poteſtatem : & in hoc putat politeiam eccleſiaſticam, & ciuilem confundi. Sed toto cœlo errat. nos enim non tribuimus principibus noſtris vllam poteſtatem niſi regiam. Poteſtatem verbi docendi, aut ſacramenta adminiſtrandi, aut clauium, non tribuimus. Papiſtæ verò omnem reip. & eccleſiæ politeiam confundunt. ipſi enim duos pontifici datos gladios autumant: ipſi eidem dant ſacerdotium & regnũ. eſt ergo pontifex Rom. tanquam alter Calipha, & Soldanus Babylonius; ſummus nẽpe imperator, & ſacrorum rex: habetque ſub ſe non modò militum copias, ſed etiam monachorum cucullatorũ greges; quorũ iſti lingua, illi gladio rem agunt. ſub ipſo nõ modò ſeditiones & tumultus in rep. ſed etiam ſectæ, ſchiſmata, & hæreſes in religione excitatę ſunt.

Deinceps in Caluinum magno impetu [2] inuehitur, grauiterque reprehendit, quod Chriſtum preces aliorum hominum more implicitas & perplexas feciſſe dixerit. Sed quomodo ille Caluinũ excepiſſet, ſi Chriſtũ dixiſſet *humano affectu dubitare*, quod fecit [3] Ambroſius? *De quo dubitat?* inquit Ambroſius, *de ſe, an de patre? de eo vtique cui dicit transfer, dubitat hominis affectu.* Loquitur de Chriſti hac oratione: *Pater, ſi fieri poteſt trãsfer à me calicẽ hũc.* [4] repetit etiã ea ferè omnia ꝗ antea Michęas aduersꝰ Calu. ad nauſeã vſq; inculcauerat: nempe vt quos ꝑ ſicarios ſuos

[2] *Caluinot. p. 651.*

[3] *Lib. 3. de trin. & magiſt. sẽt. lib. 3. diſt. 17. §. 4.*

[4] *Caluinot. lib. 3. c. 21.*

& veneficos occidere non potuit, eos proli
xa iſta recitatione cõficiat. [1] Sed ſerpẽti hui
ſibilanti nos antea in reſpõſione ad Michæ
am dentes venenatos exemimus. Poſtea, in
culcat ea quæ de redemptione mun , &
cauſa mali aduerſus Caluinum obiecera
Michæas. ſed omnis hæc oratio nihil aliu
eſt, quam crambe bis cocta, & battologia o-
dioſiſſima.

[1] *Ibid. c. 22. & 23.*

Poſtremò, quia nulla ipſe verba reperire
potuit, quæ odio ſuo ſatisfacere poſſent, ex
Schluſſelburgii & huiuſmodi ſycophãtarũ
ſcriptis multa corradit in Caluinum maledi-
cta. Sed hæc omnia vita ipſius integerrima,
& mors in Domino placidiſſima, cuius tot
ſunt teſtes quot ciues Geneuenſes, facilè re-
fellit. Primus qui ei maledicere auſus eſt fuit
Bolſecus, monachus impudens, apoſtata im-
pius, & rabula inſulſiſſimus. hunc ſacrifici &
monachi Lugdunenſes, promiſſis ineſcatũ,
ad ſe attraxerunt. ex eo materiam maledicẽ-
di reliqui declamatores papales deſumpſe-
runt. Cum ergo nullo alio argumento nitã-
tur omnes aduerſariorum calumniæ, quam
apoſtatę & ſycophantę huius inſulſiſſimi te-
ſtimonio; nihil eſt, quod quiſquam in huiuſ-
modi nugis diluendis elaboret.

LIBER QVARTVS.

CAP. I.

De inuocatione mortuorum, aduerſus lib. 4. c. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

QVemadmodum qui aduerſus cliuum aſcendunt, & montium iuga petunt, ſępe reſpiciunt, & anhelantes emenſi itineris moleſtias contuentur & mirantur: ita ſtolidi iſti declamatores quaſi ex longo curſu exanimati ad opus ſuum retroactum crebro reſpectant, & labores ſuos laudant, Thraſonicè ſuam mirificam ſapientiam admirantes. Hoc in loco, quaſi præclarè viciſſent, vnum è noſtris ſudantem & fluctuātem inducunt, eundemque, quaſi iam debellatum eſſet, manus dantem, *& grauiſſima inter nos de fidei fundamentis certamina fatētem* [1] fingunt. Sed nihil eſt, quod ſe periculis defunctos putet. manent enim ipſos adhuc grauiora; nec bella eis, quamdiu Antichriſtus regnat, deerunt: neque adeo deiectæ ſunt, aut diuiſæ noſtræ copiæ, vt papiſtæ victoriam ſperent. Quod autem de certaminibus inter nos nugantur; ea ipſi fingunt, nos nihil tale agnoſcimus. Rixantur quidē inter ſe pauci aliquot homines priuati; pax tamen vbiq; publicè colitur. Quod olim fecit ſynagoga Roman. nos non facimus; nulla inter nos bella geruntur; non oppugnamus nos

[1] *Caluino-turc.* 702.

inuicem cenſuris; non contenditur clandeſtino ſcelere. & Angli Germanos, & Germani Gallos qui fidem orthodoxam ſequuntur & profitentur, operâ, conſilio, &, quãdo opus eſt, manu aduerſus pontificum Rom. vim & inſidias iuuant.

Fingunt præterea Samuelem, Micheæ diſputatione commotum, de religionis ſuæ ſtatu dubitare. Sed nimis ſtultè ſua mirãtur. viri enim docti craſſam hanc verborum molem contemnunt; nos argumentorum inſulſitatem ridemus. omnes qui aliquid ſapiunt, intelligunt non eſſe eam veram religionem, quę abſque huiuſmodi mendaciis, calumniis, & maledictis ſuſtineri nõ poteſt.

[a] Caluino-turc. p. 703.

[a] Aſſerunt deinde *ſingulos è noſtris ſibi ſupercilium arrogare de ſcriptoribus, Patribus, Eccleſiis & Conciliis iudicandi.* Sed temerè & falsò. De iis enim quæ Chriſtus pręcepit, & ſacræ ſcripturæ definiuerunt, nec ſingulis, nec ſimul viuerſis poteſtatem concedimus iudicandi: de iis autem quæ aduerſus ſcripturæ authoritatem, & eccleſiæ fidem conſtituta eſſe conſtat, quis non iudicet? nihil tamen nos in eccleſiæ iudiciis ſeruamus, niſi ex lege Chriſti, & more Chriſti eccleſię. De negotiis religionis controuerſis iudicãt ſecundum ſcripturæ ſententiam ſynodi: cõfirmantur & ſeruantur ea authoritate & poteſtate principum: accipiuntur & probantur à plebe. Apud pontificios autem omnia peruersè fiunt. ſummã poteſtatẽ iudicandi

ſandi dant pontifici Rom. homini, vt plurimũ, nequiſſimo, & inſulſiſſimo. eius iudicia omnes ſequuntur, licèt peruerſiſſima. nihil abſque eius ſententia mutandum exiſtimãt, licèt omnia turbentur, & ad interitum fidei vergant. Zabarella [1] dicit *papam eſſe plus quã Deum. Tantum*, [2] inquit Staniſlaus Orichouius, *ſacerdos præſtat regi, quantum homo præſtat beſtiæ.* omnibus autem ſacerdotibus tantum præponunt pontificem Rom. vt eius ſententiæ contra omnes ſtandum ſentiunt. *Poteſtas papæ*, inquit [3] Antoninus, *maior eſt omni alia poteſtate creata, aliquo modo ſe extendens ad cœleſtia, terreſtria, & infernalia, vt de ea verificari poſſit, quod dictum eſt, Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Si papa multa animarum millia ſecũ ad inferos ducat; nemini tamen [4] putant licere aduerſus eum inſurgere, & dicere, *Domine cur ita facis?* eius iudicium infallibile eſſe dicunt, & illud generalis totius orbis concilii ſententiæ anteponunt.

Hæc ſtultè, hæc arroganter, hæc impudenter fiunt. à nobis autem nihil niſi modeſtè, nihil niſi ſecundum ius, & leges eccleſię. Multa præterea de contentionibus noſtrorum hominum, quę antea ſæpius inculcata erant, etiam hìc aduerſarii repetunt, & Samueli, qui vltrò Turcam ad hoc certamen prouocauit, hìc hominis tergiuerſantis & pugnam detrectantis perſonam [5] imponunt, multoque inutili ſermone lectores ſuſpenſos tenent.

[1] *De ſchiſmate.*
[2] *Chimara fol. 97.*
[3] *In ſum. part. 3. tit. 22. c. 5.*
[4] *c. ſi papa, diſt. 40.*
[5] *Caluinot. p. 707.*

Finito autem hoc prælud‍io, armatus in campum proſilit pro cultu ſanctorum præliaturus Turca. ita ſcilicet papiſtis omnia inſeruiunt & aptè cadunt, vt Turcarum nunc operâ imaginum, & ſanctorum defunctorum cultum obtineri poſſe putent. Videamus ergo quid hic Turcopapiſta narret. *Cultũ ille ſanctorum a principiis naturæ fluxiſſe dicit: nam omnes gentes ſanctos defunctos colere: noſtros etiam homines Lutheri, Caluini, Zuinglii & aliorum imagines pingere & fingere ſolere: nec eſſe vllum in cultu ſanctorum crimen, cum nihil illis præter interceſſionem tribuatur.* In anguſtum ſcilicet contractæ videtur papiſtarum copiæ, cum Turcarum illis auxilium implorandum ſit. ſed nec Turcæ illis aliquod hac in re præſidiũ afferunt. Neque enim à naturæ corruptæ principiis, nec à moribus populorum, ſed à doctrina in verbo Dei reuelata religionis Chriſtianæ petimus documenta. Præterea, falſum eſt aut omnes gentes, aut multas, more papiſtico, ſanctos defunctos coluiſſe. certum eſt enim neque priſcam Iudæorũ, nec apoſtolicã eccleſiam hoc feciſſe. *Non antiquam*, quia planè deliraſſent, ſi eos inuocaſſent qui apud inferos adhuc detinebantur, & faciem Dei, vt fingunt papiſtæ, non videbant: *Non Apoſtolicam eccleſiam*, quia nullum extat de eis inuocandis & adorandis vel mandatum, vel exemplum. deinde, quia Deus tantum inuocandus eſt, in quem ſolum credendum

eſt, &

* Ibidem p. 713.

eſt, & in quo ſpes noſtra tota fundata eſt. *Quo-*
modo inuocabunt (inquit [1] Paulus) *in quem nō* [1] *Rom.* 10.
credunt? Præterea, ille tantum inuocandus
eſt, qui poteſt gemitus inuocantium ſe vbi-
que audire, & corda ſcrutari, & auxilium
præſtare. at hic tantum Deus eſt. ille enim
tantum vbique eſt, & corda ſcrutatur, & au-
xilium ferre poteſt. Sancti autem hæc facere
nō poſſunt. nō, inquam, poſſunt vbique ad-
eſſe, nec cordis arcanos receſſus ſcrutari no-
runt, nec vlla illis auxiliandi certa poteſtas
data eſt. imò nec videntur quæ hîc geruntur
intelligere, tum quod ęterna fruuntur quie-
te, tum quod chariſſimos negligunt. Iſaias
diſertè affirmat [2] *Abrahamum neſcire nos, &* [2] *Eſa.* 63.
Iſraelem ignorare nos. inde gloſſa ordinaria ex
Auguſtini authoritate aſſerit, *Quod mortui*
etiam ſancti neſciant, quid agant viui. Poſtre-
mò in antiquiſſimis eccleſiæ liturgiis, nulla
eſt de ſanctis inuocandis formula; & ve-
teres patres inter hæreticos numerarūt eos,
qui coluêre Angelos, qui tamen magis vi-
dentur colendi quàm ſancti; & hanc Sancto-
rum interceſſionem prorſus ſuſtulerunt. *Re-*
uera ſanctum erat corpus Mariæ, inquit [3] Epi- [3] *Contr. Collyridianos.*
phanius, *non tamen Deus. reuera virgo erat &*
honorata, non autem propoſita eſt ad adoratio-
nem, ſed ipſa adorauit eum, qui carne genitus
eſt ex ea. Similiter Auguſtinus, *non ſit nobis*
religio, [4] inquit ille, *cultus hominum mortuo-* [4] *De vera relig. c. vlt.*
rum: quia ſi piè vixerint, non ſic habentur, vt
tales quærant honores: ſed illum nobis coli vo-

lunt, quo illuminati, lætantur meriti ſui nos eſſe conſeruos. honorãdi ſunt ergo propter imitationem, nõ adorandi propter religionem. [5] Oſtendit etiam ſuo tempore, nec templa, nec ſacra, & ſacrificia eis conſtituta fuiſſe. [6] Ambroſius etiam eos taxat, qui relicto Domino conſeruos ſuos adorant.

[5] De ciuit. Dei lib. 8. c. 27.
[6] In epiſt. ad Rom. c. 1.

Nec ſperent ſe ideo effugere poſſe, quia aſſerunt ſe tantum interceſſionis cultum ſanctis tribuere. neque enim vel interceſſio iſta nititur Dei mandato, vel priſcæ eccleſiæ exemplo. imò inter hæreticos relati ſunt, qui [7] Angelorum, & beatæ Mariæ virginis interceſſionem [1] implorarunt: eamque docti, & ſancti eccleſiæ patres condemnarunt. *Solent*, inquit [2] Ambroſius, *miſera vti excuſatione, dicentes, per iſtos iri ad Deum, ſicut per comites peruenitur ad regem. Age, nunquid tam demens eſt aliquis, & ſalutis ſuæ immemor, vt honorificentiam regis vendicet comiti?* Similiter [3] Epiphan. negat, *Virginem Mariam eſſe propoſitam ad adorationem.* Auguſtinus ſanctos defunctos tantum honorandos [4] dicit propter *imitationem, & non adorandos propter religionem.* Adrianus etſi quodammodo adorandos putet, non tamen aliter quàm dilectione. *Qualis*, inquit ille, eſt *iſte adorationis honor? profecto non alius, quam is quo nos peccatores quoſque inuicem proſequimur, ſalutantes nos inter nos per honorationem & dilectionem*, in epiſt. 1. ad Conſtant. Scripturę verò docẽt Chriſtũ viã eſſe ad ſalutem,

[7] Auguſtin. & Epiphan. contr. hæreſ. Angelicorũ.
[1] Epiphan. contr. hæreſ. Collyridianor.
[2] In c. 1. ad Rom.
[3] Contr. Collyrid.
[4] De vera relig. c. vlt.

tem, & ipſum ſolum eſſe mediatorem, & eius nomine patrem eſſe rogandum. Poſtremo, falſum eſt papiſtas tãtum interceſſionis cultum eis tribuere. nam & templa eis extruunt magnificentiſſima, & miſſas in eorum honorem decãtant, & ſacrificia offerunt. imò corpus Chriſti per preces & merita ſanctorum acceptari[5] poſtulant. eorum reliquias & imagines oſculantur, & incenſo honorant. Poſtremo, ab eis remiſſionem peccatorum, & omnia bona petunt.

[5] *In Canone miſſæ.*

Fruſtra etiam aſſerunt, *ſe cultu ſeruitutis, ſeu δουλείας,* & non *λατρείας eos colere.* Nam cu ipſos vbique inuocẽt, & cordium eis ſcrutationem tribuant, & in eis ſpem ſuam collocent potius, quam in Chriſto Ieſu; quomodo nõ illi cultum latriæ illis deferunt? Verum vt illis tantum ſeruitutis cultum impenderent, tamen nec iſtud ferendum eſt. Nam Chriſtus nos aliter docet. *Scriptum eſt,* [6] inquit ille, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Auguſtinus etiam ſeruitutem hanc improbat. *Honoramus eos,* inquit [7] ille, *charitate, non ſeruitute.* [8] Ambroſius docet eos eſſe *conſeruos noſtros,* & propterea nõ eſſe ſeruitute adorandos. *Nos,* inquit [9] Hieronymus, *non dico martyrum reliquias, ſed nec Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur in præſenti ſeculo & in futuro colimus & adoramus, ne ſeruiamus creaturæ potius, quam creatori.* Similiter

[6] *Matth. 4.*
[7] *De ver. religion. c. vlt.*
[8] *In c. 1 ad Rom.*
[9] *Hieron. ad Ripar.*

[1] *Contra Iulianum lib. 6.*
[2] *In Pſal. 96.*

[1]Cyrillus *Sanctos martyres*, inquit, *neque Deos eſſe dicimus, neque adorare conſueuimus*. Remigius *nec Angelos ipſos adorandos eſſe*[2] dicit. Qui ergo ex gentium & Turcarum exemplo ſanctorum adorationem, ſeruitutem, interceſſionem, & cultum introducere moliuntur, illi ſe potius cum Turcis, & ethnicis, quã cum Chriſtianis ſentire oſtendunt. Neque ad rem facit, quod aliqui è noſtris ſigna & imagines virorum illuſtrium retineant. non enim id faciunt, vt eos inuocent, vel imagines eorum colant, vel interceſſionem ipſorum poſtulent; ſed vt charitatem ſuam & amorem erga eos oſtendant. Præterea, hæc de imaginibus obiectio aliena eſt à controuerſia de inuocatione ſanctorum. Similiter aliena ſunt, quæ iſti de viuentium interceſſione & precibus pro viuentibus fabulantur; nam homines dum viuunt fratrum preces audire, & eos iuuare poſſunt; & ideo rectè rogamus, vt homines pii ꝓ nobis ad Dominum intercedant. Monachos etiam, dum adhuc in ſolitudine degebant, & in eis vigebat pietatis & charitatis ardor, non malè rogabant Chriſtiani, vt pro ſe Deum orarent. At ſi quis nũc, abſentes, & nihil intelligentes rogaret, & monachis impiis & flagitioſis cauſam ſuam commendaret, is planè deliraret. aduerſarii pręterea non tantum precum ſuffragia à ſanctis, ſed etiam quæcumque bona poſtulant.

Ab inuocatione deinde ſanctorum, ad ęternam Chriſti ex Deo, & temporalem eius

ex vir-

ex virgine natiuitatem delabitur Michęæ oratio. vtramq; enim ille natiuitatem ex Poëtarum fabulis,& gentilium commentis probare conatur. Qua in re aduerſarii noſtri ſe planè derìdiculos præbent. quid enim ſtultius, quàm myſticas has natiuitates, in vanis hominum ethnicorum & à Dei cognitione alienorum cõmentis inueſtigare? Præterea, vt aliquid acutè hoc loco aduerſarii inueſtigaſſent; non tamen hìc agitur de Chriſti vel æterna vel temporali natiuitate, ſed de ſanctorum inuocatione, quâ illi Chriſti omnem ferè honorem abrogarunt. Poſtremò, dum vanam iactant lectionem & ſcientiæ gloriam aucupantur, oſtendunt ſe homines eſſe etiam in his rebus ineptiſſimos. Ciceronis de Legibus citant *librum 6.* is tamen tantum tres ſcripſit. Iidem Martem memorant à Minerua ſine congreſſu virili natum: quod nemo mortalium ante hic cogitauit, vel dixit. omnes enim non ex Martis, ſed ex Iouis cerebro prognatam fabulantur. Ex Poëtarũ denique fabulis probare conantur purgatorium,& inferos; nempe vt doctrinam de inferis à ſe pro fabula haberi doceant. Filium Dei à patre natum, vt Mineruam ex Iouis cerebro fabulãtur: quod omnino craſſiſſimum eſt,& impudens commentum. Multa etiam alia ineptiſſimè comminiſcuntur: quæ, ſi aliquid fuiſſet *Stapletono* cerebri, nunquam ea in irriſionem ſectæ papiſticæ prodire permiſiſſet.

[1] Caluinot. p.718.

De lege autem Moſis falſa [1] narrat Michęas. aſſerit enim *reges & principes ab adminiſtratione rerum eccleſiaſticarum lege a Moſe lata excluſos fuiſſe.* ſed ſilentium de illa lege, ipſius redarguit mendacium. Prętereà, Moſis exemplũ eius orationem refellit, nam ipſe, licet conſtituto ſummo põtifice, omnia tamẽ quæ ab ipſo peragenda erant præſcripſit, cũ ſummus eſſet populi princeps. Poſtremo, vniuerſa populi Dei hiſtoria contra eum facit. nam & Ioſua, & reges Iſraelitarum, quos non eſt dubium peritiſſimos fuiſſe legis Moſaicæ, ſacerdotibus mãdata dederunt, eorũq; errores correxerunt, & de rebus ſacris, & eccleſiaſtico miniſterio, leges [1] tulere. Negat præterea [2] Michæas *omnia Paganorũ dogmata eſſe reſpuenda: indidiſſe enim Deum omniũ hominum mentibus veritates quaſdam primas & igniculos virtutum.* Sed nihil hoc ad Rombum. nam licèt Deum eſſe, & omnipotentẽ & ſapientiſſimum eſſe, & iuſtitiã Legis moralis quodammodo ex ipſo lumine naturæ [3] intelligamus: non tamen ex lumine naturæ intelligimus ſanctos eſſe inuocandos. imò contra, vnum Deum adorandum eſſe, & eos qui adorant quod neſciunt, ſtultos eſſe, ex rationis ipſius principiis diſcimus. Adorationem verò ſanctorum papiſticam non ideò improbamus, quia Turcæ & pagani illuſtres viros in Deorum numerum relatos adorant; ſed quia hoc cum lege diuina, & populi Dei conſuetudine repugnare comperimus.

[1] 1. Paralip. c.26.27.28
[2] Caluinot. p.721. & 723.
[3] Rom. 1.

De fide

De fide poſtea multa Turca nugatur, & noſtram de ſola fide doctrinā *Epicuream eſſe, & cumprimis rationis principiis pugnare* dicit. quaſi verò veriſimile ſit Turcas fidem Chriſti tenere; & non abſurdum ſit eum de ea diſſerentem audire; aut non ſtultiſſimum eſſet à rationis corruptæ riuulis fidei doctrinā haurire. Præterea, toto cœlo errat, ſi nos vel bona opera negligere, vel præmium eis negare exiſtimet. docemus enim, licet iuſtificemur fide abſque operibus legis, opera tamen eſſe fructus fidei, & eam neceſſario conſequi, & Deum eis ex gratia mercedem tribuere. Nā etſi iuſtificationis opus fidei miſericordiam & gratiam Dei apprehendenti aſſignetur; nō tamen eſt fides iſta ſolitaria, vel mortua. Sed quid nos in iſtis rebus immoremur, de quibus toties dictum eſt? noſtram de fide doctrinam æquis iudicibus ſæpe probauimus. At iuſtitia operum non modo ſcripturis repugnat, ſed ſpem omnem ſalutis omnibus peccatoribus præſcindit. neq; enim ex operibus vlla ſpes eſt, niſi iuſta ſint & perfecta. neq, ex lege eſt iuſtitia, niſi quis legem totam impleat. quis autē non in multis delinquit? quis non opus habet miſericordia? quis nō agnoſcit ſe ſeruum eſſe inutilem? 4 *Caluinot. p.727.*

A fide ad preces progreditur horarias; has enim exemplo Turcarū nobis probare 5 conatur. Sed non modo melior author, ſed etiā validiores rationes quærendæ ſunt, ſi inſtitutū ſuum aſſequi voluerit. In lege ſacrificiā 5 *Caluinot. p.732.*

erat matutinum & veſpertinum: ſed nec certæ preces, nec quibus certæ perſonæ alligarentur. De laudibus, matutinis, prima, nona, ſexta, & completorio, nullum extat in populo Dei exemplum. Apoſtolos canonicas & horarias demurmuraſſe preces, nec Giffordus, nec Stapletonus vnquam probauit. Quid ergo ſpectemus, quid hic Turca deliret? Noſtræ eccleſiæ exemplo nihil eſt quod pugnet. nos enim horariarum precum βαττολογίαν, vt ſuperſtitioſam & hæreticam ſuſtulimus. Conuenimus autem ad Deum colendum, non pro forma vt papiſtæ, nec diebus tantum Dominicis, vt iſte calumniatur; ſed ſingulis feriis. neq; lingua ignota pſallimus, vt graculi papiſtici; ſed Spiritu & veritate. nõ ſaxa & ligna, aut mortuos, de quibus nihil certò ſcimus, ſed Deum immortalem colimus. Sed magnam ego noſtræ eccleſiæ liturgiæ iniuriam facio, qui cum papiſtarum Miſſalibus & Breuiariis noſtras preces comparo.

Tandem verò ſe ad cultum ſanctorum ſuorum recipit, & [1] negat primò, *Magis eſſe Deo iniurioſum quod ſancti certis in locis inuocentur, quã ſi a ſole, ſideribus, terra, marique certa beneficia nos recipere fateamur.* quaſi verò non omnium confeſſione idololatræ eſſent, qui ſolem & ſidera colunt & inuocant, licèt Deus per iſta magna nobis beneficia tribuat. cur non ergo, ſi rectè hæc inter ſe comparentur, ſint papiſtę idolorum cultores, qui ſuos

[1] *Caluino-turciſ. lib. 4. cap. 4.*

nos ſanctos adorant, colunt, & diuinis affi-ciunt honoribus? Prçterea, illud valdè incer-tum eſt, an ſancti defuncti, ea beneficia lar-giantur, quæ ſynagoga Rom. eis accepta fert? [2] Aſſerunt enim papiſtæ Nicolaum, & Tho-mam Beckettũ curare nautas, & Criſpinum calceolarios. Sebaſtianum & Rochum dicũt mederi peſti, Apolloniam dẽtibus, Fiacrium febribus quartanis. Gertrudam inuocant puerperæ, alioſque ſanctos alii. ſed quis non hæc quæſtus gratiâ ab auaris ſacrificis confi-cta intelligit? Apoſtoli editis miraculis mul-tos ſanarunt, & hoc ita eſſe ſcripturæ authẽ-ticæ docent. Deus enim ad eccleſiæ Chriſtia-næ fundationem, donum eis contulit mira-culorum. ſed diſpar eſt ſanctorum Apoſto-lorum, & ſanctorum à pontifice canonizato-rum ratio; plurimumque intereſt inter ſacras ſcripturas & legendas. Præterea, vt data eſ-ſet Apoſtolis ſanitatum gratia; non tamen mortuos inuocauit Apoſtolos antiqua eccle-ſia Chriſtiana, ſed Deum authorem ſanitatis. non adorauit, inquam, oſſa & cineres mor-tuorum; non auro & gemmis ornauit; nõ eſt oſculata; non circumgeſtauit, ſed religioſe, & more populi Chriſtiani, [3] condidit.

2 Matth. Paris in Rich. 1.

3 Dionyſ. hierarch. eccleſ. cap. 7.

Denique, *vt ſemicinctia & ſudaria ab Apoſtolis miſſa languores* [4] *fugarint, & vt propheta leproſos olim ſanarint, & mortuos excitarint*, vt iſti narrant; non erat tamen gratia illa communis, nec propterea eorum cineres, & oſſa colebant Iſraelitæ, nec ſanctorum defunctorum manes inuocabant.

[5] 4. Reg. 5.
[6] Caluino-turciſ. p. 741.

Oſtendit etiam [5] Helizeus, *quomodo Naamanis lepra ſananda eſſet.* ſed fruſtra [6] Michæ eius exemplo ad cultum mortuorum, & peregrinationes ad ſanctorum cineres probandas abutitur. Helizeus enim dum viueret precibus à Deo impetrauit *Naamani* ſanitatem: papiſtæ autem à mortuis dona hæc flagitant, & à particulis oſſiũ, & laceris veſtimẽtis; & huiuſmodi reliquiarum fragmentis ea præſtari credunt. Ille Dei erat propheta, cui inſignis data eſt miraculorum operandorum gratia: iſti nec prophetæ ſunt vt plurimum, nec viri ſancti, vt ex eorum legendis conſtat.

[1] Nouel. 1.
[2] Vt Iacobũ Clementem, Storaum, Iarrium, Campianũ.

Narrat [1] Boccacius Chiappellettũ quendã Italum, hominem nequiſſimũ, poſt mortem pro ſancto cultum. ſolent etiã nunc põtifices Rom. patriæ [2] proditores, & homicidas venerari, tanquam martyres. Naaman ex verbo prophetico ſe in Iordane lauit: iſti cõtra verba prophetica, ad ligna, ſaxa, oſſa, cineres, centones, & cadauera hominum incertorum putrida peregrinantur, & ea adorant, & inuocant.

[3] Caluino-turc. p. 743.

[3] Dicit præterea Caluinum concedere, *vt hominum auxilium imploremus.* ſed non loquitur ille de mortuis: neque ſanè viuentiũ, & non intelligentium auxilium flagitandum cenſet. iſti autem mortuos & abſentes, & nihil intelligentes inuocant, & ea petunt, quæ illi dare non poſſunt.

[4] Ibid. p. 745.

[4] Confugit etiam ad teſtimonium Paganorum, & ethnicorum: *eos enim dicit mortuos inuocaſſe.*

inuocaſſe. quod nos ſanè concedimus. ſed eo nomine ab omnibus impietatis, & idololatriæ condemnati ſunt. Vbi ergo par eſt papiſtarum ratio, cur non eandem ſubeant condemnationem & pœnam?

De animæ immortalitate multa diſputat: ſed quorſum illa? nam vt anima ſit immortalis; nō tamē diuini ei tribuēdi ſunt honores.

Poſtea ex legenda varia [5] recenſet miracula. ſed nos ad legem & teſtimonium attendere debemus. Quæ Theodoreti nomine emiſſa eſt hiſtoria, aut variè à monachis corrupta eſt, aut ab alio eius nomine edita. reliquæ legendæ mendaciis refertæ ſunt. iſtiuſmodi argumentis nos nō moleſtè ferimus niti aduerſariorum cauſam.

[5] *Ibid. p. 748.*

Pugnat deinde Theodoreti [6] teſtimonio, qui martyres inuocari ſolitos oſtendit. ſed nos erat ille priuatus; & teſtimonium eius reſpectu eorum quos antea citauimus, leue eſt. Quid quod nec ipſe morem pōtificię ſynagogæ probat? non enim dicit *Martyres inuocatos, quod papiſtæ* [7] *ſeruant, ſed Deum, vt per martyres ille beneficia ſua conferret*. Deinde, non dicit eorum cineres vel circumgeſtatos fuiſſe, vel aliquos ex locis longinquis ad ſepulchra martyrū aliunde aduenisse: nec de aliis loquitur quam martyribus. Deum denique honorari vult, & nō martyres. [8] *Vos*, inquit, *ne hæc quidem adducunt, vt Deum regem martyrum laudetis*.

[6] *Lib. 8. de curand. Græcorum affectib.*

[7] *Caluinot. p. 755.*

[8] *Theodoret. vbi ſupra.*

Huc etiam [9] afferuntur *Armenorū, Iacobi-*

[9] *Caluinot. p. 762. & ſequent.*

tarum, Georgianorum, Indorum, Turcarum Perſarum, Arabum, Afrorum exempla. S magna eſt ſtultitia ex Turcis & hæreticis e empla cultus diuini quærere. Omnes oli gentes, vno populo Iſraelitico excepto, id la coluerunt. prorſus tamen deliraret, q homines Chriſtianos ad idololatriam gen exemplo abducere conaretur. Armenos, I cobitas & reliquos, non pluris facimus, quà Iebuſitas, & alios hæreticos.

[1] Ibid. p. 758. & ſeq.

[1] Pugnat poſtremo ratione: *cultu enim ſan ctorum ardorem deuotionis vehementer exc tari.* Sed dum iſte rationes videtur conquir re, nihil aliud agit, quàm vt cum ratione in ſaniat. quis enim non videt cultu ſanctorum homines à vero Deo abduci, & idcirco Deum vetuiſſe cultum alienorum deorum, vt ipſ ſolus coleretur? Præterea, quid ſtultius, qu mandato Dei neglecto, ſanctos ſine Dei mā dato colere? quid magis inſanum, quàm ſan ctos putare vbique adeſſe, & quæ petimu dare poſſe?

Poſtquam ergo nec oratione verboſiſſi ma, nec ineptiſſimis ſuis argumentationibu ſe aliquid profeciſſe vidiſſet, conuitiis & ca lumniis rem tentat. [2] Dicit enim *euangelium noſtrum ad manifeſtum atheiſmum ruere, & illud paganiſmum eſſe, vel paganiſmo ſcelera tius, & Deo hominibuſque aduerſarium.* qua ſi verò mirandum ſit Turcas, & cum Turci ſentientes papiſtas, in apertas prorumpere blaſphemias: aut vlla aptior perſona intro

[2] Caluino-turcis. p. 745.

du

ci poſſet, qui aduerſus euãgelium obgan-
ret, *quàm Turcopapiſta.* Euangelii tamen
os non pudet, *quod ſcimus* [a] *eſſe virtutem* [a] Rom. 1.
Dei in ſalutem omni credenti. Paganiſmum
erò tum abiecimus, cum Antichriſti iugum
cuſſimus, & ethnicos eius mores & con-
itutiones abrogauimus. in ipſius enim re-
no tenebræ omnia occupant: verbum Dei
let: athei & Epicurei rerum potiuntur.

[b] Dicit præterea, *nos non credere ſanctos* [b] *Caluino-turciſ. p. 952.*
*ucvita functos viuere Libertinos enim & cor-
rum reſurrectionem irridere, & animarum
mmortalitatem negare, & quoſdam exiſtima-
animas vſque ad extremum iudicium dor-
ire: & Lutherum & Sleidanum putare ani-
as quieſcere & dormire.* Sed quid hoc ad
os, quid *Libertini* & *Anabaptiſta,* & alii hę-
tici ſentiant? Nos ſanè ſi ita de animarum
lute exiſtimaremus; nihil cauſæ eſſet, cur
antas perſequutiones à papiſtis propter ſpē
mmortalitatis, & fidem Ieſu Chriſti patere-
mur. nam iis qui pōtif. Rom. partes ſequun-
ur, vel atheis, vel diabolis eſſe inter papiſtas
icet, vtpote qui præter Chriſti orthodoxam
dem, nihil aliud pro crimine habent. In pa-
iſtas ergo potius hæc accuſatio quadrat. illi
nim de animæ dubitant immortalitate, &
ibertini ſunt, & athei. Pontifices Rom.
unt non tantum nequitiæ, ſed impietatis
magiſtri; eorum mores ſequuntur prælati &
acrifici: populus in ignorantiæ tenebris oc-
æcatus, præceps ruit. atque hęc nos authen-

ticis tabulis & teſtimoniis antea oſtendim
Lutherus autem & Sleidanus, vbi *piorum a-*
nimas aſſerunt quieſcere, & dormire; nihil a
ud volunt, quàm eas æterna frui beatitudi
in cœlis, & nec errare in terris, nec torque
in purgatorio, vt papiſtæ ſtolide exiſtiman

[1] *Caluinot. p. 767.*

[1] Vocat etiam nos *Atheos*. nihil enim
pud aduerſarios vilius eſt, quã maledicta. ſ
non omnes qui mortuos negant colendo
propterea *Athei* cenſendi ſunt. Illi verè ſu
Athei, qui pontificem Rom. velut Deum i
terris colũt, qui de animarum immortalitat
dubitant, cuiuſmodi multi Romę erant, cõ
tra quos in ſynodo *Lateranenſi* decreuit Le
decimus, *animas eſſe immortales*. Illi, inquam
ſunt *Athei*, quorũ Deus venter, & quorum o
mnis religio in voluptate & quęſtu poſita eſt
Illi deniq; ſunt *Athei*, qui Euangelium ꝓ fa
bula habent & illud cum Alchorano compa
rare non verentur. Tales autem ſunt pleriq
papiſtæ. *Illis* enim, vt inquit *Petrarcha*, epiſt
19. *Vita futura eſt inanis fabula.* Tales ſun
põtificii ſacerdotes. *Maledicti ſacerdotes*, in-
quit Brigitta, l. 4. 9. *dicunt Deo, diſcede à nobis,*
quia verba tua ſunt amara, & opera grauia, &
ſcandalum nobis faciunt.

[2] *Ibidem.*

Multa[2] deniq; in nos effundit conuitia &
maledicta, ad malè loquendum & conuitian-
dum præclare à Giffordo inſtitutus. Sed nos
ad ea iampridem obduruimus. A ſcurris &
transfugis nõ mirum eſt iſta dici, qui in Chri-
ſtum Ieſum, & religionem orthodoxam tam

con-

contumelioſi extiterunt, & bellum patriæ indixerunt. noſtri autem ita ſe geſſerunt, vt omnes hæc immerito in eos conferri videant.

CAP. II.

De ſacrarum Scripturarum verſionibus in linguas vernaculas, aduerſus lib. 4. c. 7.

DE verſione ſacrarũ Scripturarum diſcrepantes ſunt doctorum pontificiorũ ſententiæ. Nonnulli non eſſe vertendas in linguas vernaculas cẽſuerũt, vt [3] Iacobus de Ledeſma Iebuſita. *Pro fide*, inquit, *catholica ſcopus hic præcipuè noſtræ diſputationis erit, vt oſtendamus diuinas Scripturas non eſſe quauis lingua paſſim vertendas.* Idem dicit, *maximũ ibi verſari periculum.* Hanc etiam ſententiã ſequutus eſt Ioannes [4] Molanus: & communis eſt ſynagogæ Rom. praxis, vt ſcripturas in linguas vernaculas conuerſas prohibeant, & qui eas legunt, velut de hæreſi ſuſpectos poſtulent.

[5] Alii verſionem vulgatam Latinam non modò aliis omnibus verſionibus, ſed etiam codicibus originalibus anteponunt. Nonnulli ſcripturas transferendas eſſe docent in linguas vulgares, vt [6] Rhemenſes qui nouum teſtamentum Anglicè verterunt; & Iebuſitæ, qui nuper Gallicè, vt aiunt, conuerſas ediderunt Lugduni. Nonnulli denique, quoniam nimis erat inuidioſum à ſcripturis plebem arcere, oſtendunt quidẽ ſcripturas conuerti poſſe in linguas vernaculas, ſed non

[3] *De ſcriptur. quauis lingua non legend. c. 2.*

[4] *De pract. Theolog. tract. 3. c. 27.*

[5] *Synodus Trident. ſeſſ. 3.*

[6] *In præfat. ante Rhemẽſe teſtamentum Anglicum.*

paſſim poſſe legi. Omnes autem eò ſpe-
ctant, vt nec conuertantur in linguas vulga-
res, nec legantur, vt ex argumētis aduerſario-
rum clarè liquet.

Sed quia omnia hactenus allata infirma
eſſe videbantur, exorti ſunt tandem Giffor-
dus & Reginaldus, qui à Turcis ad regnum
ſuum tenebrarum ſuffulciendum auxilium
opportuniſſimum attulerūt. Animaduerte-
runt enim illi Alchoranum ex Arabico non
ſolere in alias linguas conuerti, & ideo [1] con-
cludunt, *nec ſcripturas in linguas vulgares eſſe
vertendas.* ſed planè præuaricari videntur,
qui non aliunde ſua inſtituta confirmant,
quam ex diſciplina Turcica; & ineptè deli-
rare, qui ſcripturis populo Chriſtiano erep-
tis, quæ ſunt quaſi lucerna pedibus noſtris,
tenebras & noctem mentibus mortalium of-
fundere conantur. Quis ergo non abomine-
tur Turcarum mores, quos Chriſtianæ reli-
gioni omnes norunt hoſtes eſſe perpetuos?
quis nō eos ſuſpectos habeat, qui panem vi-
tæ paruulis, & gladiū ſpiritus militibus Chri-
ſtianis eripiunt?

Turcarum deinde aſſumto habitu & per-
ſona aſſerunt, [2] *nihil prodeſſe ſcripturarum
verſiones: literam enim ſine intelligentia eſſe nō
ſolum mortuam, ſed mortiferam etiam, & per-
nicioſam, & innumerabilium ſectarū matrem.*
Qua in re, quis non videt & Turcas, & papi-
ſtas pariter ſcripturas contemnere, & aduer-
ſus eas obloqui? Præterea, pariter nugas a-
gunt,

[1] *Calumino-turo. li. 4. c. 7.*

[2] *Ibid. p. 768. & 769.*

gunt. hoc.n.argumentum nihil valet.nam ſi litera ſine ſenſu nihil prodeſt, tum vertendę ſunt ſcripturæ, vt eas omnes intelligant. Deinde, ſi Scripturæ in linguas vulgares conuerſæ ſunt velut litera mortua; tum malè fecit ſynodus Tridentina, quæ eas verti poſſe pronuntiauit: malè etiam feciſſet eccleſia Rom. quę ſcripturas olim habuit ex Hebręo & Græco in linguam Latinam conuerſas. nã lingua Latina non minus erat olim populo Rom. vulgaris, quã Anglis Anglica, & Gallis Gallica, & Hiſpanis Hiſpanica. Poſtremò, ſi Scripturæ non intellectę habendę eſſent vt litera mortua; tum non minus prohibendæ eſſent verſiones Latinæ, quam aliæ vernaculę. multo enim plura ſunt in lingua Latina, quam in vernacula, quę imperiti non intelligunt.

[3] Affirmant præterea *nos nullam habere certam intelligendi, & interpretandi ſcripturas regulam.* quaſi verò non eadem omnia nobis ſuppetant præſidia, quæ aduerſariis; aut non inſulſum eſſet, quia quædam loca non rectè intelliguntur, verbum vitę populo auferre. Quid quod hoc argumentum nõ minus aduerſus Latinas verſiones, quam aduerſus vernaculas facit? illi enim nullam habent certam ſcripturas interpretandi regulam præter pontificis Rom. incertiſſimam voluntatem: & pauci Latinas verſiones intelligunt. [3] *Ibid. p. 768.*

Aliud etiam argumentum contra ſcriptu-

1 *Caluinot. p.* 771.

2 *Ibidem. p.* 773.

3 *Ibidem. p.* 774.

4 *Ioan.* 5.

rarum verſiones [1] ſumunt, ex eo quod no licet vnicuique ſecundum ſuum ſenſum d earum intelligentia iudicare. Sed nihil ho contra verſiones facit. nam non licet ſcri pturis vel Hebraicis, vel Græcis, vel Latini quoſlibet ſenſus affingere. omnibus tamen qui poſſunt ſcripturas in illis linguis intelli gere, ipſi papiſtæ poteſtatē legendi faciunt

Contendunt [2] prẹterea, *multo fore & ſcri pturis ipſis honoratius, & religioni conſultius & populo ſalutarius, vt ſcriptura non verteren tur in linguas vulgares, nec à populo legeren tur. Vbi*, inquiunt [3] illi, *erit reuerētia ſacris li teris debita, ſi tanquam Æſopi fabulæ om ni um manibus conterantur?* Sed aliter viſum e Chriſto Ieſu æternę patris ſapientię. is enin populum [4] hortatus eſt adſcrutandas ſcri pturas, & Paulus eas vtiles eſſe omnib9 Chri ſtianis cenſuit. *Audite obſecro ſeculares o mnes*, inquit Chryſoſtomus in epiſt. ad Co loſſ. homil. 9. *comparate Biblia animæ phar maca.* & Origenes in Iſaiam homil. 2. *Vti nam*, inquit, *omnes faceremus illud, quod ſcri ptum eſt, ſcrutamini ſcripturas.* quis auten ſcrutari eas poteſt in lingua ignota? Apoſto lica Chriſti eccleſia vetus teſtamentum i Græcam, & vniuerſas ſcripturas in Latinam linguam cōuertit, vt omnibus legendi copi fieret. neque antehac quiſquam ita ſapien erat, vt lectione vulgi ſacras literas contami nari putarit. ſi qui autem moribus euadun corruptiores, hoc ideo fit, quia vel non le

gun

gunt ſcripturas, vel eis non auſcultant. Sed quid mirum eſt, ſi ſcripturis papiſtę iniquiores fuerint, cum eas *Æſopi fabulis* comparare non vereantur? nihil ſcilicet illi cupiunt, niſi vt extincto verbi diuini lumine, omnia ex pontificis Rom. nutu pendeant, atque vt veritate ſub modio occultata, regnent legẽdæ papales, quę magis mendaces ſunt, quam Æſopi fabulæ.

Poſtea [5] confugiunt ad calumnias. *non alio enim nomine ſcripturas in vulgares linguas verſas eſſe dicunt, niſi vt ſuas ſectas ſinguli populo commendarent.* Sed nihil fingi potuit alienius. neq; enim apud nos verſiones autoritatem habẽt. neque vnquam auditum eſt, aut Zwinglium, aut Lutherum, aut quenquam noſtrûm ex verſione propria lucrum quæſiſſe, cum non vlterius probentur verſiones quam quatenus cum originalium veritate conſentiunt. 5 *Ibidem p.* 776.

[6] Aſſerunt poſtremò *verſiones vulgares ſcripturarũ nec ex Chriſti mãdato, nec ex apoſtolica cõſuetudine, aut eccleſiæ lege aliqua, aut ratione edendas, aut recipiendas eſſe.* Sed quid Deus mandarit, vel eccleſia ſeruarit, Turcopapiſtæ iſti non ſatis intelligunt. Deus diſertè [1] præcepit, *vt verba legis coram vniuerſo populo, tam viris, quam mulieribus, paruulis, & aduenis legerẽtur, vt audientes diſcerent, & timerent Dominũ Deum ſuũ.* non autem minus tenentur audire verbum Dei 6 *Ibidem p.* 778. 1 *Deutr.* 31.

Chriſtiani nunc, quàm olim Iſraelitæ. Quo-
modo autem audientes diſcerent, niſi ſcri-
pturę in lingua notâ ederentur? Neque tan-
tum ſacerdotes, ſed etiam alii ex plebe ad le-
ctionem tenebantur. *Erunt verba hæc quæ e-*
[2] Deut. 6. *go præcipio tibi*, inquit [2] Domin⁹ per Moſen,
in corde tuo, & repetes ea filiis tuis, & loquêris
de iis. Principes verò & reges præcipuè ad
lectionem ſacrarum literarum obligaban-
[3] Deut. 17. tur. *Leget in eo*, [3] inquit Moſes loquens de
libro Deuteron. & de Rege, *omnibus diebus*
vitæ ſuæ, vt diſcat timere Iehouam Deum ſuum
& cuſtodiat omnia verba legis huius, & ſtatu-
ta hæc, vt faciat illa. Similiter Deus Ioſuam
[4] Ioſua 1. 8. alloquens; *Non recedet*, [4] inquit, *liber legis*
iſte ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die & no-
cte, vt cuſtodias & facias ſecũdum omne, quod
ſcriptum eſt in eo. Nulla autem ratio affer-
ri poteſt, cur non omnes nunc Chriſtiani a-
que ad ſcripturas ſacras legẽdas obligentur,
ac olim obligabantur ad lectionem legis Iſ-
[5] Iohan. 5. raelitæ. Chriſtus omnes Iudęos alloquens
dicit, *Scrutamini ſcripturas.* quomodo autem
ſcrutentur, niſi in linguas notas conuertan-
tur? laudantur autem [6] Berrhœenſes, *qui*
[6] Act. 17. *ſcripturas ſcrutati eſſent, num ita ſe res haberent*
vt Apoſtolus dixerat.

Præterea quod totius eſt populi, illud
nulli è populo eripiendũ eſt. Quod ad Chri-
ſtianos pertinet, illud à Chriſtianis auferri
non debet. at ſcripturæ Prophetarum & A-
poſtolorum totius ſunt populi. *Narrabit*, in-
qu-

quit [7] Hieronymus, *in ſcripturis populorum, in ſcripturis ſãctis: quæ ſcriptura populis omnibus legitur, vt omnes intelligãt.* quomodo aũt intelligent, niſi ſcripturę conuertantur in linguas populorum? *Quæcumque ſcripta ſunt*, inquit [8] Apoſtolus, *ad noſtram doctrinã & conſolationem pertinent.* Sunt arma militis Chriſtiani iis enim Chriſtus diabolum profligauit, & Apoſtoli & eccleſię doctores omnes hæreticos deuicerunt. gladius ſpiritus nihil aliud eſt, quam [9] *Verbum Dei.* neq; fides hominis Chriſtiani aliud habet fundamẽtum, quam Propheticam, & Apoſtolicam doctrinam. quis ergo nõ videt papiſtas arma & cõſolationem, & ius ſuum Chriſtianis auferre, cum ſcripturas eis eripiũt? planè autem eripiunt, niſi eis legendi in linguis quas intelligunt, poteſtatem faciant.

7 *In Pſal.* 86.
8 *Rom.* 15.
9 *Epheſ.* 6.

Scripturę præterea ſunt inſtar [1] lucernę, & inſtar [2] luminis. *Quod lumen eſt oculo*, inquit [3] Chryſoſtomus, *id eſt lex Dei menti noſtræ.* Abducunt à peccato. *Hæc*, inquit [4] Ioannes, *ſcribo vobis, ne peccetis. Scripturæ*, inquit [5] Chryſoſtomus, *ſunt rudentes, quibus extrahimur ex lacu peccati.* Ex ſcripturis gaudiũ habemus. *Hæc ſcribimus vobis*, inquit [1] Ioannes, *vt gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum. Scripturas* [2] Baſilius *communem animarum medendarum officinam vocat:* κοινὸν τῶν ψυχῶν ἰατρεῖον. & [3] alibi docet eſſe *theſaurũ eccleſiæ.* Quis ergo populo eripiat lumen, gaudium, medicinam, theſaurũ, niſi qui populo

1 *Pſal.* 118.
2 1. *Pet.* 1.
3 *In Iſa.* 2.
4 1. *Ioan.* 2.
5 *In Pſal.* 142.
1 1. *Ioan.* 1.
2 *In Pſal.* 1.
3 *Hom.* 29.

Chriſtiani nunc, quam olim Iſraelitæ. Qu
modo autem audientes diſcerent, niſi ſcr
pturę in lingua notá ederentur? Neque ta
tum ſacerdotes, ſed etiam alii ex plebe ad l
ctionem tenebantur. *Erunt verba hæc qua*
[2] *Deut.6.* *go præcipio tibi*, inquit [2] Domin⁹ per Moſe
in corde tuo, & repetes ea filiis tuis, & loque
de iis. Principes verò & reges præcipuè a
lectionem ſacrarum literarum obligaba
[3] *Deut.17.* tur. *Leget in eo,* [3] inquit Moſes loquens d
libro Deuteron. & de Rege, *omnibus dieb*
vitæ ſuæ, vt diſcat timere Iehouam Deum ſu
& cuſtodiat omnia verba legis huius, & ſtat
ta hæc, vt faciat illa. Similiter Deus Ioſua
[4] *Ioſua 1. 8.* alloquens; *Non recedet,* [4] inquit, *liber leg*
iſte ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die & n
cte, vt cuſtodias & facias ſecũdum omne, qu
ſcriptum eſt in eo. Nulla autem ratio affe
ri poteſt, cur non omnes nunc Chriſtiani a
que ad ſcripturas ſacras legẽdas obligentu
ac olim obligabantur ad lectionem legis I
raelitæ. Chriſtus omnes Iudęos alloquen
[5] *Iohan.5.* dicit, *Scrutamini ſcripturas.* quomodo aute
ſcrutentur, niſi in linguas notas conuerta
tur? laudantur autem [6] Berrhœenſes, *qu*
[6] *Act.17.* *ſcripturas ſcrutati eſſent, num ita ſe res haber*
vt Apoſtolus dixerat.

Præterea, quod totius eſt populi, ill
nulli è populo eripiendũ eſt. Quod ad Ch
ſtianos pertinet, illud à Chriſtianis aufe
non debet. at ſcripturæ Prophetarum & A
poſtolorum totius ſunt populi. *Narrabit,* i

q

quit [7] Hieronymus, *in ſcripturis populorum, in ſcripturis ſãctis: quæ ſcriptura populis omnibus legitur, vt omnes intelligãt.* quomodo aũt intelligent, niſi ſcripturę conuertantur in linguas populorum? *Quæcumque ſcripta ſunt,* inquit [8] Apoſtolus, *ad noſtram doctrinã & conſolationem pertinent.* Sunt arma militis Christiani iis enim Chriſtus diabolum ꝓfligauit, & Apoſtoli & eccleſię doctores omnes hæreticos deuicerunt. gladius ſpiritus nihil aliud eſt, quam [9] *Verbum Dei.* neq; fides hominis Chriſtiani aliud habet fundamẽtum, quam Propheticam, & Apoſtolicam doctrinam. quis ergo nõ videt papiſtas arma & cõſolationem, & ius ſuum Chriſtianis auferre, cum ſcripturas eis eripiũt? planè autem eripiunt, niſi eis legendi in linguis quas intelligunt, poteſtatem faciant. 7 In Pſal. 86. 8 Rom. 15. 9 Epheſ. 6.

Scripturę præterea ſunt inſtar [1] lucernę, & inſtar [2] luminis. *Quod lumen eſt oculo,* inquit [3] Chryſoſtomus, *id eſt lex Dei menti noſtræ.* Abducunt à peccato. *Hæc,* inquit [4] Ioannes, *ſcribo vobis, ne peccetis. Scripturæ,* inquit [5] Chryſoſtomus, *ſunt rudentes, quibus extrahimur ex lacu peccati.* Ex ſcripturis gaudiũ habemus. *Hæc ſcribimus vobis,* inquit [1] Ioannes, *vt gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum. Scripturas* [2] Baſilius *communem animarum medendarum officinam vocat:* κοινὸν τῶν ψυχῶν ἰατρεῖον. & [3] alibi docet eſſe *theſaurũ eccleſiæ.* Quis ergo populo eripiat lumen, gaudium, medicinam, theſaurũ, niſi qui populo 1 Pſal. 118. 2 1. Pet. 1. 3 In Iſa. 2. 4 1. Ioan. 2. 5 In Pſal. 142. 1 1. Ioan. 1. 2 In Pſal. 1. 3 Hom. 29.

Chriſtiano, & ipſi Chriſto ſe aduerſarium eſſe oſtendit?

In ſcripturis Deus nobis loquitur. quis autem nō magis deſideret audire Deum loquentem, quam quemuis è populo nuntium? *Dominus noſter*, inquit [4] Hieronymus, *narrat nobis, & loquitur in ſcripturis populorū*. *Sacræ literæ*, inquit [5] Baſilius, *omnib. vbiq; Dei voluntatē prædicare nō ceſſant.* Scripturas eſſe legendas à laicis, cōmunis eſt patrū ſentētia. *Hinc perſpicimus*, inquit [6] Hieronym. *nō tantū ſufficienter, ſed etiā abundāter debere laicos ſcripturarum cognitionē habere, & ſe inuicem docere.* Idē [7] dicit Apoſtolos & Prophetas *nō paucis, ſed vniuerſo populo ſcripſiſſe.* [8] Baſilius dicit, *ſcripturas eſſe quaſi cōmune ærariū bonæ doctrinæ omnib. propoſitum.* Chryſoſt. requiri [9] putat, *vt populus nō tenuiter, ſed abundāter verbum Dei cognoſcat*, eūq; *ad legendas ſcripturas* [1] excitat. Hoc etiam & praxis eccleſiæ probat. Antiquitus enim antequam tyrānis Antichriſti omnia occupaſſet, ſcripturæ & cōuertebātur in linguas vernaculas, & ab omnib. legebantur. Iuſtinianus facultatē [2] dat Hebręis ſcripturas legendi in lingua Græca, aut quacunq; alia. Hieronym. ſcripturas vertit in linguā Dalmaticam: Vlphilas in Geticā. Beda dicit ſcripturas ſuo tēpore in quinque linguas, quę in Britannia tunc vſitatæ erant, fuiſſe conuerſas. *Ludouici* primi mandato ſcripturas in *Saxonicam* linguam fuiſſe cōuerſas, ex pręfatione in eandē verſionē cōſtat.

[4] *In Pſal. 86.*
[5] *Regul. Breu. 45.*
[6] *In Coloſſ. 3. 16.*
[7] *In Pſal. 86.*
[8] *In Pſal. 1.*
[9] *In hom. 9. ad Coloſſ.*
[1] *Ibidem & hom. de Lazaro.*
[2] *Nouel. 146.*

ſtat. Caroli ſapientis iuſſu cōuerſas fuiſſe in Gallicam linguam, narrat Molinęus. Probatur idem poſtremò ratione. Nam ſi prædicatio & interpretatio ſcripturarum fieri debet in lingua vernacula; tum ſcripturæ edendæ ſunt in lingua vernacula. eadem enim eſt vtriuſque ratio, idem finis; & propterea explicantur, vt à plebe intelligantur. lingua enim ignota loquens nihil prodeſt. *Si venero ad vos,* [3] inquit Apoſtolus, *linguis loquens, quid vos iuuabo?* qui lingua ignota vtitur, eſt ei qui nō intelligit, [4] *barbarus.* Pari denique ratione prohiberi poteſt verſio Grȩca veteris teſtamēti, & Latina vulgata verſio, ac aliȩ omnes vernaculȩ verſiones. quando enim illȩ editȩ ſunt, tum linguȩ illæ vernaculæ & vulgares erant. Qui ergo ſcripturas populo eripere moliuntur, cum Turcis coniuncti aduerſus fidem Chriſti pugnant, & nihil aliud quam lucem rebus offundere quærunt, vt ipſi, in tenebris errorũ demerſo populo, ſublimes regnent. iidem etiam non modò verbi diuini præcepta, ſed etiam apoſtolicam traditionem, & populi ſalutem negligere videntur.

[3] 1. Cor. 14.

[4] *Ibidem.*

Cap. 3.

Non eſſe orandum pro defunctis, aduerſus lib. 4. c. 8.

ETſi magnum multis in rebus vidiſſem papiſtarum cum Turcis affinitatem, nūquam tamen tantam eſſe exiſtimabam in ſummis religionis papiſticæ capitibus conſenſionem, niſi hoc nos Giffordus docuiſ-

ſet, & nos illam maximam eſſe, re explorata, comperiſſemus. Nunc autem video eãdem eſſe Turcis & papiſtis mentem, eandemque in pleriſque ſententiam. Giffordus, & Reginaldus vbiq; Turcica laudant inſtituta: Micheas Turca vniuerſam papiſtarũ hereſim, ſummis virib. propugnat: Turcæq; & papiſtę toto hoc volumine, velut muli ſcabioſi ſe mutuò ſcabũt. Hoc loco, Micheas preces p defunctis omni ſuo acumine defendit. Sed cum preces iſtas, & precandi rationem papiſticam nec argumentis probare ſummi ſophiſtæ, nec ferro & vi introducere ſæui tyranni potuerint; nihil eſt, quod iſte toruo vultu minax Turcellus ſe eam nobis probaturum confidat.

Primò, nullum huiuſmodi precationum in ſcripturis aut mãdatum eſt, aut fundamẽtum. At omnis oratio [1] firma fide facienda eſt; & fides ſuper doctrinam tãtum propheticã & apoſtolicã [2] fundatur. Quomodo ergo oremus pro defunctis, cum nullã habeamus vel regulam certam, vel firmam fiduciã preces noſtras acceptas fore?

[1] *Iacob.* 1.6.

[2] *Rom.* 10. *& Epheſ.* 2.

Deinde, nullus videtur huiuſmodi precationum vſus, aut vtilitas. mortui enim ad terminum peruenerunt, nec precibus iuuari poſſunt. *Si ceciderit lignum ad auſtrum*, inquit [3] Salomon, *aut ad aquilonẽ, in quocũque loco ceciderit, ibi erit.* In cœlis autẽ beati ſunt, & op⁹ nõ habẽt noſtris ſuffragiis: apud inferos miſeri, & inde redimi non poſſunt.

[3] *Eccleſ.* 11.

cum

cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce, inquit [4] Propheta, *hæreditas Domini*. Quis autem oret pro eis, qui iam hęreditatẽ adepti ſunt? *Apud inferos autem*, vt inquit [5] Sapiens, *nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erit*. ergo nec ratio iniri poteſt eos iuuandi. Præterea, duo tantum ſunt genera hominum: [6] *quorum hi benedicti, illi maledicti*. Pro maledictis non eſt orandum, quia ibunt in ignem ęternum: pro benedictis non opus eſt orare, quia poſſidebunt regnum cœlorum. Neque ſanè alio nomine oramus pro defunctis, quam vt à pœnis purgatorii liberẽtur: at [7] *Chriſtus ſolus purgauit peccata noſtra*; & *qui in Domino moriuntur, beati ſunt*, [8] *quia requieſcunt à laboribus ſuis*.

4 *Pſal.* 126.
5 *Eccleſ.* 9.
6 *Matth.* 25.
7 *Hebr.* 1. 3.
8 *Apoc.* 14.

Atque hæc nos clarè docent patres. *Docemur*, inquit [1] Ambroſius, *vt non diutius inhæreamus mortuis*. Quid ergo faciunt illi, qui miſſas anniuerſarias pro mortuis decantant? Diſertè etiam [2] Hieronymus: *Dum in præſenti*, inquit, *ſeculo ſumus, ſiue orationibus, ſiue conſiliis inuicem poſſe nos coadiuuari: cum autẽ ante tribunal Chriſti venerimus, nõ Iob, nec Daniel, nec Noe rogare poſſe pro quoquam, ſed vnumquemque portare onus ſuum, docemur*. His ſuffragatur Cyprianus: *Quando iſtinc exceſſum eſt*, [3] inquit ille, *nullus iam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus*. Auguſtinus nullum locum agnoſcit, vbi preces noſtræ iuuent defunctos. *Primum*, [4] inquit, *locum fides catholicorum diuina autho-*

1 *Lib.* 1. *de Abraham. cap.* 9.
2 *In Galat.* 6.
3 *Contr. Demetr.*
4 *Auguſt. libr.* 5. *hypognoſt.*

ritate credit regnum eſſe cœlorum: ſecundum gehennam, vbi omnis apoſtata, vel à fide Chriſti alienus æterna ſupplicia experietur: tertium penitus ignoramus, imò nec eſſe in ſcripturis ſanctis inueniemus. Caueat ergo Giffordus, ne cum apoſtatis in locum ſuppliciorum detrudatur.

Poſtremò, valdè hæc de precibus pro defunctis doctrina eneruat Chriſtianorum ad benè agendum ſtudium; & frenos ad nequitiam laxat. Dum enim ſpem ſibi in miſſis, & ſuffragiis repoſitam videt mortales; quaſi ſoluti omnibus vinculis, liberè in omnem turpitudinem feruntur. *Qui poſt cruciatus & tormenta,* inquit Hieronymus in Iſai. cap. vlt. *docuerunt fore refrigeria, hæc abſcondenda dixerunt ab iis quibus timor vtilis eſt: vt dum ſupplicia reformidant, peccare deſiſtant.* Neque ſanè alio nomine inuenta eſt purgatorii doctrina, quam vt pontificis Rō. regnum tueretur, & opes ſacrificorum augeret, & quæſtum perennem ſynagogæ Rom. ſuppeditaret. hinc enim miſſæ, hinc baſilicę magnificæ, hinc fundi, hinc regna profecta ſunt, imò in precibus pro defunctis & monachorū & mendicantium armenta, & ſacrificorum colluuies, & vniuerſa raſorum ſentina ſpem habet. Non mirum ergo, ſi pro hoc articulo papiſtæ, tanquam pro aris & focis depugnent.

Hic etiam Turca, vt aliquam apud ſodalem ſuum Giffordum gratiam ineat, multum

tum in eo probando laborat.ſed vt alii, fruſtra. Ex Machabæorum [5] libris probari non poteſt. nam & liber non eſt canonicus ;& verba in quib. vis argumenti fundatur, perturbata ſunt;& ſi gloſſema vnū ſuſtuleris, factum tantum narratur, nō laudatur. Verum vt omnia hęc miſſa faciamus, factum hoc Iudæ Machabæi à cauſa pontificia alienum eſt. Ille enim pro decedentibus in mortali peccato, vtpote qui legem tranſgreſſi erant, oraſſe videtur: papiſtæ pro talibus non orant. Nec ſanè veriſimile eſt eos in articulo mortis facti pœnituiſſe; quod [6] Bellarminus tanquam σοφὸν φάρμακον comminiſcitur. Iudas enim pro omnibus ſacrificium obtulit, & etiam oraſſe dicitur. At quis omnes eos ſaluos fore crediderit, qui pro ſcelere in pœnam incidiſſe videntur?

[5] *2.Mach. 12.*

[6] *Lib.1. de purgatorio.*

Præterea, ſubducere conatur Turcicus ille aduerſarius fundamentum ſentētię noſtræ. ***multa enim neceſſariò credēda dicit, quæ non cōtinentur in ſcripturis.*** in iſtis etiam preces pro defunctis haberi cupit: quæ certè niſi credantur, res iſtis ad reſtem rediit. vnde enim illis tanta opulentia, niſi ex iſtis precationibus? ſed nos iſtius obiectionis iam antea neruos incidimus.

Aſſerit in veteri teſtamento multos propheticos libros intercidiſſe. ſed neque illud probari poteſt, neq; ad rem facit, niſi ex aliquo fortè libro iam deperdito perditā ſuā & deploratam cauſſam probare poſſit.

Profert etiam duo alia ex ſcripturis teſtimonia; quorum vnum in libro Tobiæ, alterum in libro Baruch habetur. ibi enim Tobias *panem & vinum ſupra ſepulchrum iuſti conſtitui* [1] *iubet:* hìc propheta orans [2] dicit, *Domine omnipotens noli meminiſſe iniquitatum patrum noſtrorum.* Sed nullæ hinc orationes ꝑ defunctis concludi poſſunt. Nã aliud eſt in funere epulari, aliud pro mortuo orare. aliud orare, ne nobis peccata maiorũ noceant, vt, eſt apud Baruch: aliud pro mortuis orare. Præterea librorum horum non eſt canonica authoritas. Nec ad rem facit, quod *Vrbanus Regius* putarit hìc Prophetam orare pro mortuis, & Pellicanus ibi exiſtimarit parentalia mortuis feciſſe. nam illa ſingularis eſt fortaſſe *Vrbani* ſententia: & Pellicanus ea in re Tobiam non laudat, ſed vituperat potius, vtpote qui morem gẽtilium, qui mortuis parentare ſoliti ſunt, retinuit.

[1] *Tobiæ cap.* 5.
[2] *Baruch cap.* 3.

Ex *Ioſephi* filii *Gorionis*, & Iudæorum liturgiis fortaſſe probari poteſt, morem hunc orandi pro mortuis à Iudęis receptum fuiſſe. Sed nihil hoc pro cauſa Michęæ & Giffordi facit. nam orarunt etiam pro mortuis ethnici, & purgatoriũ animarum primi excogitarunt. orant etiam nunc Turcæ. At eccleſiaſticæ diſciplinę regulam, nos non ex corruptis Iudęorum moribus, aut ex ethnicorum erroribus, ſed ex lege Dei haurire debemus. Verum, vt aliquid eſſet in morib' Iudæo-

Iudæorum & ethnicorum momenti; tamen adeo magnum eſt inter papiſtarũ & Iudęorum orationes pro defunctis interuallũ, vt plus valeat ad eas euertendas, quam ſtabiliẽdas eorum exemplum. Papiſtæ enim papę ſuo regnum apud inferos tribuunt: iidemq; preces & miſſas habent venales, & beatos putant qui in purgatorio miſerè torquentur, & mille habent argutiolas, Iudęis & ethnicis ignotiſſimas.

Poſtea [1] pugnat teſtimonio veterum eccleſię patrum: *patres enim pro mortuis oraſſe; idque Bullingerum, & Muſculum, & alios è noſtris fateri dicit.* Sed longè aliter patres eccleſię, quam papiſtę orarunt. Illi enim ſacrificium gratiarum actionis offerebant, & ne in ſe mortuorum peccata reciderent, orabant: iſti orant vt defunctis peccata remittantur, & purgatorii dira ſupplicia. Illi orabãt pro virgine Maria. Martyribus & viris piis, quos nõ dubitabant gloria cæleſti frui: iſti pro illis tãtum, quos in purgatorii flammis torqueri credunt. Illi, vt ſtudium ſuum & dilectionem erga mortuos oſtenderent, magis quam quod illis preces ſuas prodeſſe putarent: iſti pręcipuam partem cultus diuini in mortuorum officiis collocant. Illi nullas habuêre pro defunctis miſſas aut officia: iſtorum libri rituales talium ſuperſtitionum pleni ſunt. Verum vt aliqui patres aliquos habuerint ritus papiſticis officiis nõ admodum diſſimiles; nos tamen legibus,

[1] *Caluino-p.* 788.

non exemplis viuimus. Illi ſequuti ſunt ſuę regionis mores: nos ad Apoſtolicæ eccleſiæ conſuetudines noſtram eccleſiam conformauimus. Ex patribus denique vnus aut alter, operoſum hunc mortuorum cultum probauit: pro nobis autem & plurimi faciunt, & antiquiſſimi. Poſtremū argumentum ſumitur à moribus Ethnicorum, Turcarum, & Græcorum. Miror non etiam addidiſſe ipſum teſtimonium Synagogæ Romanæ, & pontificum Rom. quod tantidem valet. Adiungit præterea teſtimonium *Vrbani Regii*, & aliquot doctorum noſtrorum confeſſiones. Sed ad omnia hæc facilis eſt, & expedita reſponſio. Primò, nihil eſt ſtultius, quam à corruptis morib⁹ Ethnicorum, & Turcarum, & hæreticorū, Chriſtianę religionis deriuare fundamenta. Vnū .n. eſt cultus diuini fundamentum verbum Dei, vt nos Chriſtus ex verbis prophetæ docet. *Fruſtra*, inquit, *colunt me, docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum*. Apoſtolus etiam ἐθελοθρησκείας, & commentitios cultus condemnat. Neque reſpōdere poſſunt illos ex luminis naturalis reliquiis hęc habere. nā vt præcepta teneant generalia homines animales; tamen cum ad cultus Diuini rationem peruētum eſt, ſine radiis luminis Diuini nihil prorſus intelligunt. Gręci autem etſi orent pro defunctis, longè tamē alia ratione illud faciunt, quam papiſtę. Iſti enim pro defunctis orāt, quos putāt in purgatorii carcere

a *Matth.* 15.

cere detineri; illi autẽ non[3] credunt aliquod omnino eſſe purgatorium. Iſti pro beatis orare nõ ſolent, nec pro damnatis: illi omnes orationibus ſuis commendare videntur. Sic etiam *Vrbanus Regius*, & aliqui ex noſtris, nõ putarunt nefas eſſe orare pro defunctis. ſed orationes illæ potius erant laudes & gratiarum actiones, quam ſupplicationes pro peccatorum remiſſione. iidemque licet ad memoriam ſuorum conſeruandam orationes probent; negant tamen aut purgatorium eſſe aut miſſis ad animas ex illo loco extrahendas opus eſſe.

[3] *Apolog: Græcor.*

Atque hęc ſunt Turcopapiſtarum noſtrorum ad preces pro defunctis probandas argumenta inſtituta. Videamus nunc eorundem maledicta & venena. Primò inter *Sadducæos* numerant, qui non orant pro defunctis. At ſacra ſcriptura Sadducæos vocat, qui non crediderunt animæ immortalitatem: cuiuſmodi hominum niſi magnus fuiſſet inter papiſtas numerus, nunquam Leoni decimo operæ pretium viſum[1] fuiſſet, condemnare *omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe*. Qua in re probanda, licèt ille multum ſudaſſet, nunquam tamen hoc Clementi ſeptimo cognato ſuo perſuadere potuit. is enim animam agens[2] dixit, *breui ſe certiorem futurum an anima eſſet immortalis, de quo ſæpe multumque in vita dubitaſſet.*

[1] *Concil. Lateran. ſeſſ.* 8.

[2] *Zegedini ſpeculum pontific.*

[3] Dicunt noſtros homines *baſilicas euertiſſe*,

[3] *Caluino-turc. p.* 800.

& ſepulchra mortuorum diruiſſe; & omnia hæc feciſſe peſtem illam ſolius fidei, & animarum a morte corporis dormientium. Sed niſi monaſteria intelligant, nullum templum oſtendere poſſunt publico conſilio à noſtris euerſum. In ſepulchrorũ effoſſores publicè magiſtratus animaduertere ſolent. nihil eſt ergo, quod propter priuatorum ſcelus fidē Chriſti blaſphement Turcopapiſtæ. nã non aliter nos exiſtimamus, quã apoſtolus, qui fidem abſque operibus legis iuſtificare dicit. Lutherus animas quiete frui exiſtimauit; ſic

4 *Ioann.* 11. etiam Chriſtus [4] dixit, *Lazarum dormire.* extinctas eſſe, aut ſopore oppreſſas iacere non putauit. Neque ſanè vllis debetur mortuis honos qui nõ à noſtris libētiſſimè defertur. At, inquiunt Turcopapiſtę noſtri, *nulla templa, nulla Xenodochia à veſtris ædificata ſunt.* quaſi verò religio in tectis & baſilicis ędificandis, & charitas tantũ in Xenodochiis fundandis cerneretur. Præterea, vt ex Xenodochiis, & beneficētia erga pauperes cauſarum noſtrarũ fieret cõparatio: multa tamen memorare liceret in omnib. hui⁹ regni partib' Xenodochia, ptochotrophia, noſocomia, intra hos quadraginta annos extructa. Lõdini etiã & in vrbib. aliquot illuſtriorib. Angliæ noua muſis cõſtituta ſunt collegia; vbi pauperes literarum ſtudiis vacare poſſunt. neque vſquam pauperum maior habetur ratio, ne rebus ad vitam neceſſariis egeant. Papiſtæ autem, quia non vbique iactamus ędifi-

ædificia noſtra, vt fecit Sixtus quintus; nec eleemoſynas noſtras tubarum clangore proclamamus, [5] *ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & vicis*, & pontifices Rom. per vias vrbis Romæ, cum ad Mineruæ templum [6] proficiſcuntur, neſcio quid æris pauperculis monialibus & meretricibus donaturi facere ſolent; nihil nos pauperibus elargiri exiſtimāt. Turcopapiſtæ verò iſti, licèt ſumma noſtri homines beneficentia vterentur erga pauperes, nullam tamen videre aut agnoſcere volunt. De templis ſanè miror ipſos verba feciſſe, cum templa ſint apud Anglos magnificentiora, quam in vrbe Roma, eaque ſumma cura ſeruentur, & exornentur.

[5] *Matth. c. 6.*

[6] *Singulis annis in feſto annuntiationis.*

At apud papiſtas nec tot noſtra ętate ædificata ſunt templa & Xenodochia; nec tam amplæ in pauperes collatæ eleemoſynæ, vt meritò alios deſpicere poſſint. Imò apud ipſos egent pauperes, & fame moriuntur, dū Iebuſitis pulcherrima extruuntur palatia, & fratres mendicantes & alii homines ignauiſſimi bona pauperum comedunt, eiſque omnes eleemoſynas præripiunt. Tempore verò Innocentii tertii, multa in Germania euerſa ſunt templa, dum ille bello hoſtes perſecutus eſt, & cultus diuinus vbique ferè ceſſauit, vt inquit Vrſpergenſis. Schiſmata etiam pontificum Rom. magnam attulere tēplis vaſtitatem. Quando autem pontifices Rom. vrbe Roma & Italia relicta, in Gallia habitarunt, plurima & in vrbe Roma, & per

totam Italiam, ſitu & vetuſtate collapſa ſun
templa. Papiſtæ etiam aliquando ex templi
Deo conſecratis arces aduerſus Chriſtiano
[1] fecerunt. neque vlla nuper ipſos extruxiſſe
aut templa aut Xenodochia intelligere po
tuimus. Vbi ergo, quaſi fræno excuſſo, in
longum ſermonem de Turcarum Xenodo-
chiis & Moſcheis erumpunt; nihil aliud agũt,
niſi vt omnes videant Turcas in templorum
& Xenodochiorum ſubſtructionibus papi-
ſtis longè præſtare; ipſoſque peſſimè facere,
qui pauperum Chriſtianorum eleemoſynas
in pingues ventres, & ſeditioſos Iebuſitas
cõferunt, qui verè ſunt peſtes eccleſiæ & reip.
& Synagogæ Rom. opprobrium, & orbis &
populi Chriſtiani dedec⁹. Sed nolo iam plura
de templis & Xenodochiis dicere. quid enim
illa ad argumẽtum de ſola fide & animarum
poſt mortem conſequente beatitudine, de
qua hîc agitur, ſpectant?

Euangelium quoque noſtrum, vel Alcho-
rano [2] dicunt eſſe deterius. Sed habemus nos
quod lætemur, *Euangelium*, noſtrum dici.
nihil autem cauſæ eſt, cur papiſtæ gloriẽtur,
ſuam doctrinam ex fontibus Alchorani flue-
re. Multa deniq; paſſim in noſtros congerunt
maledicta, quaſi nihil aliud eſſent, *quam Li-
bertini, athei, ſcelerati, impii*. Sed dum in nos
eloquentiæ ſuæ oſtentant vires, non ineptè
pontificum Rom. & ſacrificorum, & mona-
chorum deſcribunt mores. tales enim ſunt
iſti, & multò nequiores, vt iam oſtenſum eſt.

Nos

[1] *Matth. Paris in Henr. 3.*

[2] *Caluinot. p. 805.*

Nos autē, etſi de virtutibus & operibus noſtris gloriari non ſolemus; tamen niſi pontificiæ Synagogæ prælatis longè præſtemus, cauſam non dicimus, quin omnes nos fugiant, illos ament.

Conantium dicere plura ſolœciſmorum ſingultus vocem fortaſſe abrupit, pro [1] *Tigurinorum* illi *Tigurum* ſcribunt: & conuerſa rerum natura, *aquas* dicunt *in fontem fluere.* pro *Diagora* habent illi *Diogera*, totum denique caput hoc ſolœciſmis, vt corpus Giffordi ſcabie Gallica, ſcatet. ſed hoc ipſe viderit: nos Turcæ iſti, vt cœpimus, flagellis corium cōſcindere pergemus.

1 *Ibid.* p. 786
2 p. 804.
p. 805.

C A P. IV.

De via ad vitam, & vera Christi eccleſia, aduerſus lib. 4. cap. 9. 10. & 11.

Viam hoc loco ad vitam, veramq; Chriſti eccleſiam quærimus. opus ſanè pręclarū & planè neceſſarium. neque enim hęreditatem cœleſtem adipiſci poteſt, qui extra viam errat, nec vlla eſt extra eccleſiam ſalus. Sed ſi rectam viam ingredi voluerimus, tū Chriſtū ſequi debemus: ſi eccleſiam quęrimus, illa ex verbo Dei inueſtiganda eſt. [1] Chriſtus enim *via eſt, & veritas, & vita. Is ſuos deducit in* [2] *viā rectā. Is deducit nos in* [3] *via æterna. Is cæcos* [4] *educit in viam, quam neſciuerūt, & in ſemitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciet.* Eſt etiam oſtium illud ſolum, per quod in vitam intrādū eſt. per *hūc* [5] *intrant omnes veri paſto-*

1 *Ioan.* 14.
2 *Pſal.* 106.
3 *Pſal.* 138.
4 *Iſa.* 42.
5 *Ioan.* 4.

tes ouium. Literæ etiam ſacræ eos ad ouil Chriſti pertinere docent, apud quos vera e verbi prædicatio. *Oues enim Chriſti verum paſtorem* [6] *ſequuntur, quoniam ſciunt vocem eius: alienum autem non ſequuntur, ſed effugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorũ* *Oues meæ*, inquit Chriſtus, *vocem meam audient.* Neque ſanè, ſi à ſcripturis diſceſſeris, vſquam veram Chriſti eccleſiam inuenies. *Nolo*, inquit [7] Auguſtinus, *humanis documentis, ſed diuinis oraculis eccleſiam demonſtrari.* Et idem etiã antea vberius. *Quæſtio*, [8] inquit, *inter nos verſatur, vbi ſit eccleſia. quid ergo facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis capitis ſui? puto quod potius in illius verbis, eam quærere debeamus, qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum.* Similiter [9] Chryſoſtomus: *qui ergo*, inquit, *vult cognoſcere quæ ſit vera eccleſia Chriſti, vnde cognoſcat, niſi tãtummodo per ſcripturas?*

[6] *Ibid.*

[7] *De vnit. eccleſ. cap. 3.*

[8] *Ibidem.*

[9] *In Matth. homil. 49.*

At Giffordus & Reginaldus, dum Turcam de via vitæ, & eccleſia Dei differentem inducunt, planè inſaniunt. Quid enim ille de via rectè prçcipiat qui in prçcipitium omnis impietatis fertur extra viam? quomodo ille eccleſiam nobis commonſtret, qui eſt extra eccleſiam? ſimiliter nec ipſi audiendi ſunt, qui extra Chriſtum vias per auia ad ſalutem quærunt, & pro caſta Chriſti eccleſia, meretricem Babylonicam commonſtrant. Non ſunt enim paſtores, ſed mercenarii, latrones, fures: non ſerui Chriſti, ſed antichriſti mancipia.

ſpia. iſti non ſunt ingreſſi per oſtium, ſed euerſa Chriſti eccleſia, per ruinas eius intrarunt. neque illi pauerunt oues, ſed eas aut fame macerarunt, aut hæreſi & ferro mactarunt & perdiderunt. Ab huiuſmodi mercenariis & lupis, quis viam rectam aut eccleſiã quærat? quis planè non rideat Turcam de via ad vitam & eccleſia Chriſti diſſerentem? aut quid ab huiuſmodi homine exſpectandum, quod non Turcicum ſtuporem & odium ſapiat?

Primò eccleſiam [1] *vult adiri, vt certam viam ad ſalutem.* ſed in ipſo limine, vt aiunt, offendit. non enim eccleſia via eſt, ſed per viam Chriſtum, eccleſia ad ſalutem incedit. Deinde *in eccleſiam ingreſſos vult vera fide præditos eſſe.* quaſi verò quiſquam in eccleſiam ingredi poſſet ſine fide; aut non turpiſſimum ſit ædificium ſynagogæ Rom. quod ſine fide conſtructum eſt.

1 *Caluino-turciſ. p. 806.*

Tertiò [2] aſſerit *eccleſiam Mahometanam eſſe ſecuriorem ad cœlum viam, quàm noſtrã.* ſed impiè ille, & aduerſus Chriſti eccleſiam contumelioſe loquitur, qui turbę Mahometanorum eccleſiæ nomen tribuit; & pręceps fertur in exitium, qui ibi ſalutem quærit. Sed neq; in Babylone ſalus quærenda eſt. Deus enim ſuos ex ea [3] euocat, ne participes ſint delictorum & plagarum eius.

2 *Ibid. p. 807.*

3 *Apoc. 18.*

Quartò, [4] negat *noſtram veram eſſe eccleſiam: neque enim ibi haberi verbi rectam prædicationem, nec ſinceram ſacramentorum ad-*

4 *Caluino-turc. p. 807. & ſeq.*

miniſtrationem, nec notas reliquas vera eccleſia. Sed hæc omnia demõſtranda erant, & argumentis concludenda; & non, vt iſte nugator facit, calumnioſe & nude aſſerenda. *Eccleſiam à tẽpore Gregorii magni interiiſſe*, quod iſte [5] dicit, & plus millies iam dixit, nemo noſtrũm affirmauit. nam nõ tantum in oriente, ſed etiam in occidẽte ſemper multi nobiſcũ eandem fidem tenuerunt. Neque ſanè dubitandum eſt, quin Chriſti fides ſemper viguerit. nos autẽ noſtram, non aliam eſſe, quã Chriſti fidem parati ſumus oſtendere. [6] *Lutherus* & *Caluinus*, vbi de eccleſiæ deformatione loquuntur, non intelligunt eos qui occulti erant, ſed qui palàm ſe vocabant eccleſiam: nec de vniuerſali eccleſia, ſed de parte quæ conſpicua erat, loquuntur.

[5] *Caluinot. p.* 809.

[6] *Ibid. p.* 810.

Fides Chriſtiana per Germaniam, & Angliã, & omnes nationes diffuſa eſt, licèt Turca aliter [7] credat: neque in illa vlla accidit mutatio, licèt per callidas hominum interpretationes confeſſiones noſtræ in alium, & aliũ ſenſum torqueantur. Auguſtana confeſſio eadem nunc manet, quæ ſemper. noſtra fides eadem eſt, quæ fuit temporibus Edouardi ſexti. pacem omnes noſtræ eccleſiæ colunt, licèt hanc nobis papiſtæ inuideant. nec ſanè aliquid iſte Turcellus affert, quod non millies à noſtris refutatum eſt. De doctrina & ſacramentis, & forma eccleſię, cauſam noſtrã aduerſus ſummos ſynagogæ Rom. patronos defendimus. nihil eſt ergo, quod ſuis cauilla-

[7] *Ibid. p.* 813.

tiun-

[ri]dunculis iterum repetitis vberiorem reſpõſionem Turcopapiſtæ iſti exſpectent.

Quintò,[1] aſſerit *nos nullis ſectariis, aut hæreticis contradicere, modo pontifice Rom. abiiciant: nam non tantum Anabaptiſtas, ſed etiam Marcionitas & Antitrinitarios pro noſtris habere.* quæ omnia non aliunde, quam ex patre mendacii, & fonte impudētiæ profecta ſunt. nam vt aliqui è noſtris hæreſeôn diſtinctionē faciant; nullus tamen noſtrûm nõ fatetur ſingulas graues eſſe. At Alphonſus de Caſtr, lib. 2. de hæreſ. cap. 24. dicit *hæreticos eſſe mēbra & partes eccleſiæ*; & Bellar. & alii papiſtæ fatētur hæreticos occultos ad ſuos pertinere. nihilne ergo iſtos puduit aliena crimina noſtris obiicere? nos ſanè hæreticis nõ fauemus. Noſtri enim Anabaptiſtis, Papiſtis, Marcionitis, Antitrinitariis, & aliis hæreticis ſimul omnibus anathema dicunt.

[1] Caluinot. lib. 4. c. 10.

Sextò, *nullam nobis certã eſſe rationem veritatis inueniendæ contendunt, quia regibus noſtris ſummum in eccleſia tribuimus principatum.* Sed miſer iſte nõ modò ſententiã noſtrã diſſimulat, ſed vlcus illud pontificis attingit, quod ſummi medicinæ magiſtri in ſynagoga Romana nunquam poterunt ſanare. Nos enim, etſi ſummum tribuamus regibus principatum; nullam tamen eis poteſtatem tribuimus, aliquid contra verbum Dei, aut fidem Chriſti ſtatuendi. Quare quicquid illi definiunt, fides noſtra firma erit, & certa ſuper immotum verbum Dei fundata. At põ-

tifices Rom. quibus aduerſarii principatum deferunt, poteſtatem habent de fide definiendi, & ſtatuendi; omneſque qui eius definitiones reiiciunt, pro hæreticis [2] habentur. Apud illos ergo, cum tanta ſit pontificum Romanorum in iudicando & definiendo inſulſitas & peruerſitas; nihil eſt certum, nihil nō mutabile. Nihil eſt autem, quod in noſtra quoad regiam poteſtatem ſententia Turcopapiſta iſte merito reprehendat. nam quod poteſtatem regibus tribuimus errores corrigendi, & ſacerdotum ſcelera puniendi; hoc principes populi Dei fecerunt; hoc etiā principes Chriſtianos potuiſſe accepimus. Iidem etiam veram fidem legibus ſuis confirmarunt, & de politeia eccleſiaſtica leges [3] condidęre. nec vſquam ante confirmatam pontificum Rom. tyrannidem alicui pōtifici, aut ſacrifico, faſces ſubmiſerunt. Cum ergo nullū aliud ius principes noſtri vendicēt, nec eis aliquid maius deferatur; impudenter Turca iſte nos religionem à ſceptro principum ſuſpendere calumniatur.

[2] *c. ad abolēdam, de hæretic.*

[3] *C. de ſum. Trin. & fid. cathol. & de ſacroſanct. eccleſ.*

Poſtremo, abſoluta hac ſua de via ſalutis, quam ipſe prorſus ignorat, diſputatione; in veterem illam ſuam cōuitiandi viam, quam ad vnguem tenet, Turca iſte ingreditur, & *Turcas multò eſſe magis de fide ſua ſecuros, quā noſtros* [1] *dicit: reges enim noſtros ſubinde fidem* [2] *mutare: & Zuinglium aſſerere homines ſaluari poſſe abſque fide Chriſti, & Lutherum* [3] *Zuinglianos Turcis eſſe deteriores exiſtimaſſe.*

[4] *Caluinot. cap.* 11.
[1] *Ibid. p.* 854.
[3] *Ibid. p.* 856.

Quæ

Quæ omnia ita cohærent, quaſi arena ſine calce. Nam vt reges noſtri non idem ſemper de fide ſentirent; nos tamen non pendemus ex regum nutu. Præterea, vt Zuinglius de ſalute infantum non baptizatorum malè ſentiret; quid hoc ad nos? imò quid hoc ad fidei certitudinem, aut incertitudinem? Poſtremo, vt Lutherus ſibi à maledictis non temperaret; nihil tamen illud ad principum poteſtatem, de qua hîc agitur, ſpectat. Præterea, nuſquã nos reperire potuimus, vbi aut Zuinglius docuerit aliquem ſine fide ſaluari, aut *Lutherus* dixerit Zuinglii diſcipulos Turcis eſſe deteriores. Cum ergo nec vera, nec cohærentia dicat Turca; nihil eſt quod aduerſarii noſtri hæc eius dicta ſtolidiſſima mirentur.

Cap. V.

De vocatione & ordinatione miniſtrorum Verbi Dei, aduerſus lib. 4. cap. 12. 13. 14. & 15.

VT in ſeditione ciues ſaxa & ſudes; ſic in velitatione hac, hoſtes patriæ vndique tela, quæ in nos coniiciant, arripiunt. Hoc loco ex vocatione miniſtrorum arrepta calumniæ occaſione, magnam in nos contumeliarum vim effundunt. Sed ſi res ipſas ſpectes, tum, vt [4] loquitur Poeta, [4] *Martialis epigram.*

Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis.

Aſſerunt *Turcas in multo minore errore*

s Caluinot. p. 865. & ſequent.

verſari, quàm noſtros, & propterea minus grauiter damnatos iri: noſtros enim nullam ad miniſterium legitimam vocationem habere. Sed ſtultum eſt quærere de pœna, antequam demonſtretur culpa; & temerarium partes ſibi iudicum aſſumere, cùm propter infamiam & turpitudinem indigni ſint vel accuſare, vel teſtimoniũ dicere. Nos aduerſariorum minas nõ pertimeſcimus. agetur enim cauſa noſtra coram iudice iuſtiſſimo, nõ coram nummariis pontificum Rom. auditoribus: coram iudice miſericordi & miti. non coram immitiſſimis & ſæuis inquiſitoribus. iudiciumque feretur, nõ ex pontificum Rom. decretalibus & determinationib⁹, ſed ex lege Dei: neq; teſtes recipientur mendaces, corrupti, leues, ſed tantum omni exceptione maiores. In huiuſmodi autem iudicio nihil eſt, quod cauſæ noſtrę metuamus, Attamen videamus quod ſit illud flagitium tam graue, propter quod nos in grauiore errore, quàm Turcas verſari autumant. Negant *eccleſiæ noſtræ paſtores vllam legitimam vocationem habere.* At hoc ſanè non tantum eſt flagitium, vt Turcis nos faciat magis damnabiles. Atq; vt eſſet omnium maximum; tamen nunquam aduerſarii, licèt Turcico odio inflati & dirupti, oſtendẽt vocationem paſtorum noſtrorum non eſſe legitimã. Vocat enim eos eccleſia, cui Chriſtus claues dedit; approbat grex cuius curam gerunt; ordinant eccleſiæ paſtores; ſeruanturq; non tantum eccleſię antiquæ leges, ve-

rumet-

rumetiam eccleſiæ Chriſti recentioris conſuetudines. Poſtremo, ſecũdum vocationis leges paſtores noſtri officio ſuo funguntur. At ſi ſynagogæ Rom. prælatos ſpectes, nihil illi more aut modo legitimo faciunt: nec vllam dant, aut habent legitimam ordinationem. Idque *primò*, quia nouo more ordinantur, [1] *ad ſacrificandum, & miſſas tam proviuis, quam defunctis celebrandas. deinde*, quia nulla præcedit apud eos examinatio, nec legitima electio: ſed vtplurimũ pontifex Rom. per prouiſionum, ſeu exſpectatiuarum gratiarum bullas omnia expedit. *tertiò*, quia ordinantur à non rite ordinatis, ab excommunicatis, ab hæreticis & apoſtatis, & Antichriſti mancipiis: tales enim eſſe prælatos ſynagogę Rom. nemini dubium eſt. *quartò*, quia contra eccleſiæ apoſtolicę formulam ordinãtur. *quintò*, quia multas continet ordinatio papiſtica inutiles & ſuperſtitioſas cęremonias. *poſtremo*, quia non ad paſcendum gregem, ſed ad mactãdum Chriſtum, & perdendum gregem ordinantur. Quod ſi ergo tam graue ſit flagitium non habere legitimam ordinationem; tum papiſtæ Turcis erunt deteriores, & ipſi grauius quàm Turcæ mulctabuntur; & foris [2] ſtabunt cum *canibus, veneficis, impudicis, homicidis & idololatris*. nã non tãtum legitimã nullam habẽt vocationem, ſed vt canes aduerſus bonos oblatrãt; vt venefici venenis optimo cuique inſidiantur; vt impudici, ſe omni morũ turpitudine polluũt; vt

1 *Hieron. Mach. in lib. promiſſ. Epiſcop. pro ſacr. ord.*

2 *Apoc. 22.*

latrones, multorum martyrum ſanguinem hauſerunt; vt ethnici, idola colunt, & venerantur.

In noſtra autem vocatione & ordinatione quid habēt inſulſi iſti declamatores quod reprehendant? Aſſerunt quidem primò, *non fuiſſe eam extraordinariam, quia nullis miraculis eam noſtri probarunt.* ſed neque opus erat miracula adhibere, neque ad omnem extraordinariam vocationem confirmandam miracula requiruntur. eſt enim quædam vocatio legitima contra formam præſentis eccleſiæ, & propterea quodammodo extraordinaria, quę non habet opus nouis miraculis: cuiuſmodi ſuam eſſe vocationem *Lutherus*, & Caluinus fatentur. At ſi leges apoſtolicas ſpectes; tum erat illa maximè ordinaria. neq; enim nouam eccleſiam ædificabant, nec nouam doctrinam prædicabant, neque nouo munere fungebantur: ſed omnia ad apoſtolicę eccleſiæ mores, & leges reuocabant. Vocatio autem ſacrificorum eſt prorſus extraordinaria. nam licèt nunc ſucceſſionem ordinariam prętendant, & mores huius ſeculi ſeruent, per omnia tamen à priſcæ eccleſiæ moribus declinarunt.

[1] *Caluin. ot. lib. 4. cap. 13.*

Deinde [1] contendunt *vocationem noſtram non fuiſſe ordinariam: negare enim nos ſynagogam Rom. vnde Lutherus & Caluinus, & primi Euangelii inſtaurandi miniſtri poteſtatem habuêre ſuam, veram eſſe eccleſiam: & nolle nunc ad prohibitionem ſynagogæ Rom. à vocatione*

tione ceſſare: quoſdam etiam è noſtris negare ordinationem papiſticam ſine noua manuum impoſitione ſufficere. Sed nihil aliud hæc ſunt, quàm nugæ germanæ, & futiliſſimæ delirationes. Nam etſi non agnoſcamus nos ſynagogam Rom. veram eſſe eccleſiam; tamen non peccarunt vindices libertatis noſtrę, qui paſtorum munus ab ea ſuſceptum, licèt non legitimè, ad rectum, & legitimum vſum cõuerterunt. Præterea, non ita legitimum putarunt, vt nõ quod deerat, ſupplendum cenſerent. Quod autem nunc hanc vocationem damnamus, hoc ideo fit, quia eſt contra formulam non noſtræ tantum, ſed etiam Apoſtolicæ eccleſiæ. Poſtremo, non tam propter ſucceſſionem externam *Granmeri*, *Ridlei*, *Latimeri*, *Lutheri*, *Zuinglii*, & aliorum noſtræ eccleſiæ paſtorum, vocationem ordinariam dicimus; ſed quia ſecundum leges Apoſtolicæ eccleſię legitimè vocatione ſua functi ſunt.

Breuiter autem ad hoc de ordinatione verbi miniſtrorũ argumentum reſpõdemus: Eam nunc eſſe apud nos ordinariam, hoc eſt, ſecundum ordinem eccleſiæ apoſtolicæ. quã nos nunc ſeruamus: primis autem temporibus eam fuiſſe partim ordinariam, quia ea functi ſunt primi noſtri à ſeruitute pontificia liberatores ſecundum leges apoſtolicas, & ſusceperunt ſecundum ſynagogæ pontificię morem; & partim extraordinariam. quia comperta veritate, noluerunt illi laqueis, &

corruptis ſynagogæ Rom. moribus teneri. Secundum hanc diſtinctionem etiā dicimus vocationem ſynagogæ Rom. extraordinariā eſſe, quia relictis primæ eccleſiæ moribus, nouas conſuetudines ſequuta eſt, eamq; abſque miraculis cōfirmari non poſſe. Cum ergo miniſtri eccleſię noſtrę non aliàs dicantur habere vocationem extraordinariam, quam quia ſynagogæ Rom. leges neglexerunt, non opus habuêre miraculis. At ſacrifici Rom. cum ad nouum officium, & contra leges eccleſiæ Chriſtianæ ordinati ſint; aut miracula debent oſtendere, aut à vocationis ſuæ iactatione ceſſare.

1 *Caluinot. lib. 4. c. 14.*

2 *Capgrau. in Dunſtano.*

3 *Idem in S. Aido.*

Poſtea multa commemorant [1] miracula, quæ Mahometus feciſſe perhibetur; ſed ea non negant cōficta fuiſſe. Huiuſmodi etiam multa miracula narrāt papiſtę in ſuis legēdis. Dunſtanum *diabolum naſo apprehendiſſe, & flagellis concidiſſe* [2] dicunt. De Sancto Aido multa mirabilia [3] narrant: *eum enim agnos à lupis deuoratos è ventriculis luporum ad vitā reuocaſſe, & ſub aquis illæſum manſiſſe, & cuidā naſum abſciſſū reſtituiſſe, & ſuper aquas ambulaſſe.* Capgrauius ſcribit, *Eanſwidā trabē nimis breuem oratione longiorem feciſſe.* Idem dicit Brendanum, *omnes cuiuſdam loci pulices interfeciſſe, & cū puer eſſet, in cymba quadā in paradiſum fuiſſe delatū.* Heliam prętereà monachū *ab Angelo dicit fuiſſe caſtratū.* Sed quid nos quædam commemoremus; cum legendæ

dæ nihil ferè contineant, præter mendacia, & cõficta miracula? completum .n. videmus quod prædixit [4] Apoſtolus, *aduentum Antichriſti futurum in ſignis mendacibus*: & quod dixit [5] Spirit⁹ ſanctus, *beſtiam facturam ſigna*. In hoc ergo ſynagoga Rom. non tantum oſtendit ſe regnum eſſe Antichriſti, ſed etiam turbam Turcarum colluuiei valde ſimilem. At, inquiunt illi, *veſtra religio armata manu creuit*. At nihil hoc ad controuerſiam, quę in manibus eſt, attinet. Præterea, impudenter gladiatores & ſicarii, hominib. pacis & quietis cupidiſſimis bella & armorũ ſtudium obiiciunt. quid enim nos non fecimus, aut quid potius non ſumus paſſi, vt pacem ab hoſtibus redimeremus? In Germania, principes, vt Caroli quinti bellum aduerſus ſe molientis animum mitigarent, non modo honeſtiſſimas pacis conditiones, verumetiam maximam pecuniam, & operam ſuam, & auxilia magna aduerſus Turcam obtulerunt. Belgæ miſſa in Hiſpaniam legatione ſua omnia Philippi arbitrio permiſerunt, vt ipſis ſecundum apoſtolicæ eccleſiæ leges Deum colere liceret. ſed nihil vel Germanis, vel Belgis ꝓfuit vel ſtudiũ pacis, vel iactura pecunię, vel amicorũ gratia. Gallis qui verã ꝓfitentur religionem, etſiiã victoriã in manibus haberẽt, pacis tamẽ nomen sẽper arma è manibus excuſſit. imò pacis nomine decepti, ſępi⁹ arma poſuerunt. In Anglia & Scotia, etſi multi voli-

[4] 2. Theſſ. 2.

[5] Apoc. 13.

tent papiſtę, eos tamẽ armis principes noſtr nõ oppugnant nec oppugnarũt. Quid eſt ergo quod nobis vim obiiciant, quaſi nos armis potius, quã verbo rẽ ageremus? an quia ſicas & ferrum hoſtium, qui nos & publicè oppugnarunt, & priuatim nobis inſidiati ſunt, non recepimus, propterea armis religionem propagauimus?

Ipſi verò quo tempore primùm eccleſiæ collapſos mores ad antiquam formam reducere conati ſumus, nunquam nos bello petere deſtiterunt. Aduerſus Germanos Paulus tertius Carolum quintum armauit. Gallorum reges à Pio quinto, Gregorio decimotertio, & Sixto quinto concitati, aduerſus viros pios bella geſsêre. ab eiſdẽ bellum Reginæ Angliæ illatum eſt. iſti etiam Belgii res turbarunt. neque præter ſectæ pontificię propagationẽ vlla cauſa tãtos motus fecit. Quod ergo de nobis aſſerunt, hoc in ſectatores põtificis Rom. rectè quadrat. ipſi enim bellis regnum ſuum nutans ſuffulciunt. ipſi etiam bellis & ſeditionibus creuerunt, & nunc niſi in armis nullã ſpẽ habent. ab iſtis tot hominũ millia in Gallia & Belgio cæſa: ab iſtis tot vrbes captę; ab iſtis regiones opulentiſſimæ ad egeſtatẽ & vaſtitatẽ redactæ ſunt. horũ inſidiis & proditione cæſi ſunt in Gallia vnà cũ Admirallio homines nobiliſſimi. In Germania veneno ſublatus eſt vir fortiſſimus Caſimirus, & Saxoniæ decus Chriſtianus, & multi præterea viri principes. eorundem ſcelere occu-

occubuit Iacobus Scotiæ prorex, & princeps Auranienſis patriæ libertatis ſtrenuiſſimus defenſor. Quod ergo horum mentionem fecerunt, nihil aliud quęſiuerunt, niſi vt ſceleris & perfidię papiſticę memoriam renouarent. Victi ſunt in bello Saxoniæ dux & Lantgrauius. In bello etiã occubuit princeps Condęus, & Zuinglius. Sed nihil eſt, quod papiſtæ horum calamitate lætentur. nam Deus etiam ſuos quandoque caſtigare ſolet. nos ſi clades aduerſariorum memorare vellemus, nullum exitum reperiremus. hoc interim ſatis eſt, nullas vnquam a noſtris quęſitas belli cauſas, nec vnquam nos bellum amaſſe, vbi in pace tutò viuere licuiſſet.

[1] Queruntur etiam, *multos à noſtris in Anglia, Gallia & Belgio cæſos eſſe ſacrificos, & monachos, & alios papiſtas.* At apud nos nulli ſupplicio affecti ſunt, niſi ſeditioſi, rebelles, incendiarii, patriæ proditores. Quare ſi aliqui ſacrificiaut monachi, aut alii pontificis Rom. miniſtri apud nos ſupplicio affecti ſint, eos neceſſe eſt homines fuiſſe ſeditioſos, rebelles & patriæ proditores. Papiſtis ſanè qui pacem colunt, nullum vitę infertur periculum. In Gallia & Belgio monachi & ſacrifici nõ tantum tubas ſe belli ciuilis prębuerunt, ſed etiam armati aduerſus noſtros pugnarunt. Cur ergo hoſtes noſtros, & bella aduerſus nos gerentes non vlciſceremur? num quod iura omnia diuina, & humana cõ- [1] *Caluino-turc. p. 904.*

cedunt, hoc illi nobis eripient, ne vitam, corpus, patriam aduerſus crudeliſſimos & perfidiſſimos hoſtes defenderemus? Quod ſi hoſtes ſe eſſe negauerint, negent ergo *Paulum* tertium, Henricum octauum diris [2] deuouiſſe: neget tumultum in partibus Angliæ ſeptentrionalibus à pontifice Rom. Cardinali Polo, monachis & ſacrificis excitatum: negent Iebuſitas & ſacrificos à pontifice Rom. in Angliam ad res turbandas noſtris temporibꝰ fuiſſe ſubmiſſos: negent his authoribus, & in Anglia, & Hybernia rebellionem & motus grauiſſimos excitatos fuiſſe: negent ab his excitatos homines nequam in necem ſereniſſimæ reginæ cõſpiraſſe: negent ſicarios & veneficos ad principem & viros nobiliſſimos occidendos fuiſſe ſubornatos: negent denique Alanum, Perſoniũ, Giffordum, & alios ſeditioſos transfugas, Hiſpanos & alios hoſtes contra remp. cõcitaſſe. & cum nihil horum negare poſſint, nihil eſt cur huiuſmodi homines ſupplicio fuiſſe affectos querantur.

[2] *Sander. de Schiſm. lib.* 1.

Poſtremò, [1] aſſerunt *verbi miniſtros apud nos nullam habere vocationem, præterquam à populo & magiſtratu: eamq; a Beza, Muſculo, Luthero, & aliis approbari.* Sed calumniæ eos conuincunt & acta publica, & rerũ euidẽtia. nuſquam enim ordinantur miniſtri apud nos, niſi ab eccleſiæ epiſcopis & paſtoribus: idq; magis Apoſtolicè, & legitimè, quã apud aduerſarios. Ordinati autẽ iſto modo vel in

[1] *Caluino-turciſ. p.* 908. *&* 909.

epi-

epiſcopos eligũtur à presbyteris, & cõfirmãtur à principe, & ap pbantur à plebe; vel paſtores deſignãtur, & ſic alicubi à gregib. ſuis approbantur, alicubi à magiſtratu ſecundum leges eccleſiaſticas in poſſeſſionẽ mittũtur.

Atque hoc illud eſt quod Beza & alii dicunt *ſe a ſuis eccleſiis, & magiſtratibus approbatos fuiſſe.* non vt ordinationẽ & manus impoſitionem principib. politicis, & plebi tribuerent; ſed vt ad ordinationem epiſcoporũ magiſtratus & plebis cõſenſum accedere debere demõſtrarẽt. quod ſanè adeò ęquum & antiquũ eſt, vt aduerſarii potius reprehẽdendi ſint, qui illud antiquarunt, quã ferendi, quod eo nomine alios reprehendunt.

At, inquiunt [2] iſti, *Apoſtoli ſuos diſcipulos, iſti epiſcopos, epiſcopi ſucceſſores ſuos deſignare debuerunt.* quaſi verò nos nõ hoc ſeruemus, idque multò accuratius, quam aduerſarii. Apud ipſos enim pontifices Rõ. qui nihil habent epiſcopi præter nomẽ, omnia peragũt. ipſi coquos, lenones, ſtabularios, cinædos, & adoleſcentes nequiſſimos ordinant, eóſque abſque electione in epiſcopatus & beneficia intrudunt. nonnunquam viuentis epiſcopatum per gratias exſpectatiuas alteri conferunt. ipſi demum pontifices Rom. nõ a clero & populo Rom. vt antiquitus mos erat, ſed à cardinalibus, quod genus auium nuper natum fuit, per largitionem eliguntur. Atque hoc & experientia docet, & teſtes locupletiſſimi loquuntur & aduerſarii

[2] *Ibid. p. 912.*

pudenter negare non poſſunt. *Subtili practica atque techna factum eſt,* inquiunt [1] Germani, *quod plurima, aut certe pinguiū beneficiorum magna, ſi non maxima portio, ex Germanorum manu Romam eſt translata, quæ beneficia hinc idiotis inidoneis, ac inhoneſtis etiā perſonis non rarò ſunt collata, & quidem nec Germanis, ſed barbaris.* Iidem [2] aſſerunt, *plures indoctos idiotas inhabiles, vileſque ac ludicras perſonas ad ſacerdotii functionem ordinari.* Auentinus [3] oſtendit, *homines turpiſſimos & miniſterio ſacro indigniſſimos* ad epiſcopatus & alias eccleſiaſticas dignitates à pontifice Rom. promoueri.

Beneficiorum eccleſiaſticorum patrimonia & bona, inquiunt [4] Pariſienſes, *indigni occupabant, & ſæpe dignitates, & beneficia notabilia & opulentiora perſonis conferebantur incognitis & indignis.* [5] Budęus tam ineptos & fatuos ad ſummas eccleſiaſticas dignitates prouehi ſcribit, vt *illis anima videretur dari pro ſale tanquam ſuibus,* ſcil. ne putreſcerent.

Neque tantum in Gallia & Germania epiſcopi & curati ordinati ſunt homines turpes, & indigni, ſed per reliquas etiam Chriſtianæ reip. regiones. Petrus [6] de Alliaco ſignificat *fatuos & ignaros ſcientificis & ſapientibus, iuuenes ſenibus, & nobiles pueros probatis clericis præponi. Apud pleroſque religionis noſtræ primores,* inquit [7] Ioannes Picus, *aut nullus, aut certè exiguus [illegible] cultus, nulla bene viuendi ratio atque inſtitutio, nullus pudor, nulla mode-*

[1] *Grauam. German.* 21.
[2] *Grauam. c.*47.
[3] *Præfat. in lib.6. & lib. 7. annal. Boior.*
[4] *In appellat. à Leone* 10.
[5] *In annot. prior. in ff. de leg. & de aſſe*
[6] *De reform. eccleſ.*
[7] *In orat. ad Leon.* 10.

modeſtia. Iuſtitia vel in odium, vel in gratiam declinauit, pietas in ſuperſtitionem penè procubuit. Idem dicit, *ſacras ædes & templa non modò lenonibus & catamitis, ſed nefariis lupis committi.*

Modernis temporibus, inquit epiſcopus [8] Chemenſis, *pauci canonicè atque abſque ambitione eliguntur.* Idem dicit, *pontifices ſuos coquos, tributarios, ſtipendiarios, & ſtabularios, animarum cura atque dignitatibus præficere. Communiter,*[9] inquit, *ad prælaturas intrant ambitioſi, ſimoniaci, aut aliter vitioſi.* Et rurſus: *In eccleſiis,*[1] inquit, *tam cathedralibus quam conuentualibus, innumera committi ſolent ſcandala, vbi hodie plerumque fæces mundi eccleſiaſticis gubernaculis præficiuntur, vtpote quib. mundus vti vel frui nequit.* Et poſtea: *vt plurimum qui defectuoſiores inter filios nobilium apparent, clericali ſtatui adiiciũtur, quaſi mundo inutiles.*

[8] *Onus eccleſ. c.* 21.

[9] *Ibid.*

[1] *Ibid. c.* 22.

Quid, quod neque Petri, vt vocant, cathedra ab iſta labe immunis fuit? eam enim inuaſerunt lupi, hirci, homineſque turpiſſimi, indoctiſſimi, ineptiſſimi: quod nos exemplis multis paſſim in hoc tractatu confirmauimus. Atque iſti ſunt omnium ſynagogæ Rom. prælatorum mores. *Singuli pontifices*, inquit Epiſcopus [2] Chemenſis, *tam ſummi quã inferiores, exhibent ſe magis mixti Antichriſti præcurſores, quam veri Chriſti fideles ſeruitores.* Stultè ergo Giffordus fecit, vbi nobis Apoſtolicam ſucceſſionem, & ordina-

[2] *Ibid. c.* 19.

tionem in mentem reuocauit: & impudenter, vbi nobis ſucceſſionis & ordinationum noſtrarum labem obiecit.

Minora peccata nos aduerſariis noſtris condonamus. In principio capitis 14. ſententia perplexa eſt. p. 897. pro [1] Helia Iſaiā ponunt. de Beza & noſtris paſſim mēdacia narrant. Annam Boleniam fœminam innocentiſſimam, & iudicio iniquiſſimo oppreſſam, inceſtus falsò inſimulant. De Admirallio & noſtris hominibus licèt ſumma crudelitate & perfidia cæſis, triumphos agunt: quos tamen contra fidem datam, & nihil minus exſpectantes oppreſſos fuiſſe conſtat. Eorum ergo ſanguis innocentiſſimus pro vindicta aduerſus pōtificem Rom. & eius ſæuiſſimos miniſtros continuò clamat. Paſſim denique maledicta in nos effundunt. ſed hoc vbique faciunt, & nos eis audiendis planè aſſueuimus. Ex eis ſanè quæ iam diximus, immeritò ea in nos dici omnes intelligunt.

[1] *Caluino-turciſ. p. 897. & ſequen.*

Cap. 6.

Aduerſus libr. 4. c. 16. 17. 18. 19. 20. & 21. repetitas calumnias.

QVæcunque vel inueteratum erga patriam odium transfugis, vel malè loquendi & conuitiandi vſus frequens ſcurris maledicētiſſimis, vel furioſus aduerſ⁹ veritatis amicos impetus, hoſtib. veritatis ſuggerere potuit maledicta; ea omnia Reginaldus & Giffordus in hoc ſuo *Caluinoturciſmo*, vt vocant,

cant, aduerſus eccleſiam Dei, veramque Chriſti religionem, & homines pios & pacificos plenis faucibus euomuerunt. Qua in re, vt nihil aliud effecerint; ſe tamen patriæ hoſtes, ſcurras impuros, & veritatis aduerſarios planiſſimè & apertiſſimè demõſtrarunt. Adeóque hoc malè loquendi ſtudium eos delectauit, vt licèt vniuerſum pectoris ſui virus effudiſſent, & nihil præterea noui cõuitii genus comminiſci poſſent; vetera tamen & millies decantata maledicta potius repetere, quàm malè loquendi finem facere voluiſſe videantur. hoc in loco mutata perſona, verbis & verſibus eiſdem, eadem maledicta, tanquam crambem non bis, ſed ſæpius recoctam [1] reponunt. [1] *Caluino-turciſ. cap. 16. & ſeq. lib. 4.*

Noſtram religionem cum Mahometana perfidia comparant, & eam [1] *Caluinianam apoſtaſiam vocant.* ſed hæc plus millies audiuimus. Nos prętera *Caluiniſtas, & hæreticos* eſſe [2] dicunt. ſed cui non ſunt notiſſima hæc trita in nos conuitia? Poſtea *ſeditionis* [3] inſimulant. ſed gerras iſtas ſępius refutauimus. Ad hæc [4] adiungunt *nos raptores eſſe.* ſed neq; hoc nouum eſt crimen: ſed & ſæpius obiectũ, & ſępius refutatũ. Deinde [5] aſſerunt nos *trãſiiſſe ad Mahometiſmũ.* ſed hęc cuculorũ eſt cantio, eamque à cucullatis monachis iſti ſumpſerũt; & nobis vbiq; vt ineptiſſimi cuculi occentarunt. Inde ad *ſectarum & diſſidiorũ* mentionẽ [6] relabũtur, multaq; de Lutheri & Zuinglii, & aliorũ diſcordia ſcribũt:

[1] *Ibid. p. 918.*
[2] *Ibid. p. 919.*
[3] *Ibid. p. 923.*
[4] *P. 926.*
[5] *Ibid.*
[6] *Ibid p. 929.*

quæ nos nō ſine nauſea, velut crambem repetitam deuorauimus. Neque [7] tacent veterem ſuam de Reginæ Elizabethę in eccleſiaſticis ſumma poteſtate cantilenam. [8] Aſſerunt præterea, noſtros *dogmata quædam Chriſtianæ religionis amputare, circūcidere, & negare.* ſed tramas iſtas putidas nos ſæpe abrupimus & diſſlauimus. Laudes ſynodi Tridentinę non ita multò poſt [9] decantant. ſed nihil opus erat hoc loco, eas dicere: ſępius enim ſuperque iam, etiam nulla data occaſione, illas decantarunt, licèt eas nulli pio probarint. In Caluinum ex Bolſeco & Schluſſelburgio [1] corradunt maledicta. nos autē hoc non miramur: mortuos .n. viros fortes viliſſimi allatrare ſolēt canes. Iterum etiā [2] repetūt ſuas de vocatione verbi miniſtrorū apud nos calumnias. ſed multas iam antea paginas eiſdē nugis compleuerant. [3] Queruntur homines *terroribus & ſuppliciis apud nos ad fidē cogi.* ſed hęc eadē fuse more ſuo Turcico diſputarat Michæas, & tamē nihil profecerat. Multa deniq; de Turcarum paradoxis, [4] repetūt, & ea cum noſtrę religionis dogmatis comparant, & inde [5] concludunt *noſtros homines ad Turciſmum valdè inclinare.* quę omnia, vbique inculcata ſunt, & creberrimè repetita. Sed nos tricas illas & nugas, & inanes ſcriptiunculas ſępius etiā refutauimus.

Hoc ergo loco omnem hanc calumniationem breuiter diſſoluemus. Quod de apoſtaſia loquuntur, in nos minimè quadrat. nullum

[7] *Ibid. p.* 933.
[8] *P.* 938.
[9] *Ibid. p.* 943.
[1] *Ibid. p.* 944.
[2] *Ibid. p.* 955. *& ſequent.*
[3] *Caluino-turciſ. p.* 977.
[4] *Ibid. p.* 983. *& ſeq.*
[5] *Lib.* 4. *c.* 21. *p.* 997. *&c.*

nullum enim afferre poſſunt Chriſtianę religionis dogma, à Chriſto & Apoſtolis traditum, quod nos nō libentiſſimè recipimus, credimus & profitemur. At in pōtificis Rō. ſynagogam aptiſſimè omnia cōueniunt quę Paulus loquutus eſt. nā ipſa diſceſſit à maiorum fide, & [6] *prohibet* nubere, & *abſtinentiā à cibis* imperat. In ea etiā antichriſtus ſublimis ſedet, [7] *extollēs ſe ſuper omne quod dicitur Deus.* Pro Chriſto vbiq; ſancti & angeli inuocantur, & noua religionis forma introducta eſt. Nusq̃ in ea apparet priſca eccleſię Chriſti ſimplicitas & candor, & fides. Pro verbo Dei, legendæ & decretales leguntur: ꝓ vera fide, ſucceſsêre multiplices hæreſes. nunc meretrix Babylonica, expulſa in deſertum ſponſa Chriſti, diu regnauit. ipſa etiam nunc ſanctos perſequitur. atq; ibi, vt inquit epiſcopus Chemenſis, oneris eccleſ. c. 19. *magis veneratur lupanar, quam ſancta Dei eccleſia.*

[6] 1. Tim. 4.

[7] 2. Theſſ. 2.

De hæreſis crimine quod nobis obiiciūt, iam antea ſatisfactum eſt. ſed aduerſarii quæ nos aduerſus eos attulimus nunquā diluent. nam non tantum veteres, ſed etiam nouas hęreſes defendunt. ſint itaq; hęretici omnes quouis ſupplicio digni, & deteriores Mahometanis; nihil hoc aliud eſt, quā vt proprio ſe ore papiſtæ condemnent.

Immeritò etiam noſtros ſeditionis & rapinę accuſant. magiſtratuum enim maximas pertulimus iniurias. nec, licèt aliquando in bello ſuperiores, victoria immoderatè vſi

ſumus. monaſteriorum fundos & eccleſiarũ bona ſi qui rapuerint in vſus priuatos, reſpõdebunt ipſi & Deo & hominibus: hoc ſanè nos non probamus. At papiſtæ in Gallia aduerſus regem Henricum tertium coniurarunt: & cum alia ratione vincere non poſſent, per nefarium monachum eũdem perfidè & crudeliter trucidarunt. Similes etiam motus in Anglia aduerſus Henricum octauum, Edouardũ ſextum, & sereniſſimam Elizabetham excitarunt.

Nec ſanè vel mare, vel procella eſt illis rapacior. illi enim viuorum, & defunctorum bona rapientes, totius ferè orbis ad ſe congeſſerant opes. horũ verò bona rapere ſolitus eſt pontifex Rõ. atq; ex prædatorib. prędam egit. [1] Matthæus Paris dicit, *Innocentiũ quartum à prælatis eccleſiæ impudenter extorſiſſe infinitam pecuniam.* nec ſanè veriſimile eſt reliquos fuiſſe in rapiendo modeſtiores.

Quantũ verò à Mahometiſmi impietate abhorreamus, non tantum verbis, ſed re ſemper oſtendimus. At ex Põtificum ſuperbia & tyrannide, occaſionem deficiendi [2] accepit oriẽtalis eccleſia. Quo minus autem Turcarum regno ſurgenti occurſum fuerit, eorundem ambitione factum eſt. Ipſi enim imperatores Romanos, qui ſoli Turcis reſiſtere potuerunt, excõmunicationibus & armis fregerunt, & milites nomina dantes in militiam aduerſus Turcas, accepta pecunia, à ſacramento militię nõ modo abſoluerunt, ſed

[1] *In Henr. 3. p. 779.*

[2] *Matth. Paris in Hẽric. 3.*

[3] *Ibid. & Vrſpergenſis Paralipom.*

m profecturos morati ſunt, & impe-
nt: quæ omnia nos antea copioſè
nſtrauimus.

ſidia noſtra hactenus inter homines
os fuerunt manente concordiæ gluti-
ter eccleſias. At homines pontificii
antum de principatu eccleſiaſtico, ſed
n de rebus politicis armis ſępe inter ſe
…tenderunt. neque vllum eſt dogma ec-
cleſiæ, de quo non ſint pugnantes ſcholaſti-
corum ſententiæ. Thomam oppugnat Sco-
tus, Scotum alii flagellant. Neq; tantum de
Sacramentis, & creaturis, ſed ſummis etiam
fidei myſteriis contraria opinantur: quod o-
mnes qui libros eorum legunt, optimè no-
runt, & ipſi negare non poſſunt. nos, quia o-
mnia perſequi non licet, vnum tantum ex-
emplum ponemus, atque illud ex aduerſa-
riorum de ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramē-
to diſputationibus, quia nobis ſacramenta-
riis pugnas paſſim obiiciunt, deſumptum
erit.

Vna pars negat corpus Chriſti à brutis a-
nimalibus ſumi. *Illud ſanè dici poteſt, quod à brutis animalibus*, [1] inquit Magiſter ſenten-
tiarum, *corpus Chriſti non ſumitur, etſi videa-
tur.* Eius ſententiam ſequitur Bonauentura.
Piæ, [2] inquit, *aures abhorrent audire quod in ventre muris, vel in cloaca ſit corpus Chriſti, quamdiu ſpecies ibi ſubſiſtāt.* Et rurſus: *ſi ita diceremus*, inquit, *hæretici & infideles deriderēt nos, & irriderent.*

1 *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 13.

2 *In illā diſt.*

ſumus. monaſteriorum fundos & ecc bona ſi qui rapuerint in vſus priuatos, debunt ipſi & Deo & hominibus : ho nos non probamus. At papiſtæ in Gal uerſus regem Henricum tertium con runt: & cum alia ratione vincere non ſent, per nefarium monachum eũdem fidẽ & crudeliter trucidarunt. Simil iam motus in Anglia aduerſus Henricum o-ctauum, Edouardũ ſextum, & ſereniſſimam Elizabetham excitarunt.

Nec ſanè vel mare, vel procella eſt illis rapacior. illi enim viuorum, & defunctorum bona rapientes, totius ferè orbis ad ſe congeſſerant opes. horũ verò bona rapere ſolitus eſt pontifex Rõ. atq; ex prædatorib. prędam egit. [1] Matthæus Paris dicit, *Innocentiũ quartum à prælatis eccleſiæ impudenter extorſiſſe infinitam pecuniam.* nec ſanè veriſimile eſt reliquos fuiſſe in rapiendo modeſtiores.

Quantũ verò à Mahometiſmi impietate abhorreamus, non tantum verbis, ſed re ſemper oſtendimus. At ex Põtificum ſuperbia & tyrannide, occaſionem deficiendi [2] accepit oriẽtalis eccleſia. Quo minus autem Turcarum regno ſurgenti occurſum fuerit, eorundem ambitione factum eſt. Ipſi enim imperatores Romanos, qui ſoli Turcis reſiſtere potuerunt, excõmunicationibus & armis fregerunt, & milites nomina dantes in militiam aduerſus Turcas, accepta pecunia, à ſacramento militię nõ modo abſoluerunt,

ſed

1 *In Henr. 3. p.779.*

2 *Matth. Paris in Henric. 3.*

3 *Ibid. & Vrſpergenſis Paralipom.*

ſed etiam profecturos morati ſunt, & impediuerunt: quæ omnia nos antea copioſè demonſtrauimus.

Diſſidia noſtra hactenus inter homines priuatos fuerunt manente concordiæ glutino inter eccleſias. At homines pontificii non tantum de principatu eccleſiaſtico, ſed etiam de rebus politicis armis ſępe inter ſe contenderunt. neque vllum eſt dogma eccleſiæ, de quo non ſint pugnantes ſcholaſticorum ſententiæ. Thomam oppugnat Scotus, Scotum alii flagellant. Neq; tantum de Sacramentis, & creaturis, ſed ſummis etiam fidei myſteriis contraria opinantur: quod omnes qui libros eorum legunt, optimè norunt, & ipſi negare non poſſunt. nos, quia omnia perſequi non licet, vnum tantum exemplum ponemus, atque illud ex aduerſariorum de ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramēto diſputationibus, quia nobis ſacramentariis pugnas paſſim obiiciunt, deſumptum erit.

Vna pars negat corpus Chriſti à brutis animalibus ſumi. *Illud ſanè dici poteſt, quod à brutis animalibus*, [1] inquit Magiſter ſententiarum, *corpus Chriſti non ſumitur, etſi videatur.* Eius ſententiam ſequitur Bonauentura. *Piæ*, [2] inquit, *aures abhorrent audire quod in ventre muris, vel in cloaca ſit corpus Chriſti, quamdiu ſpecies ibi ſubſiſtãt.* Et rurſus: *ſi ita diceremus*, inquit, *hæretici & infideles deriderēt nos, & irriderent.*

1 *Lib. 4. ſent. diſt.* 13.

2 *In illã diſt.*

Similiter [3] gloſſator decretorũ: *Nec dicendum*, inquit, *quod mus ſumat corpus Domini*: in eadem ſententia eſt Pelbardus de *Themeſwar*, lib. 4. Roſar. & *Angelus* de *Clauaſio* ſum. Angel. vocab. Euchariſt. diſt. 3. §. 9. & Raimundus in ſummulas, c. 1. fol. 14. & confirmat ſententiam ſuam teſtimonio Innocentii, lib. 3. de offic. eccleſ. & iſtis ſuffragantur alii plures.

[3] *De conſecrat. 2. c. qui bene.*

At [4] Alexander Hales contrarium tenet. *Si canis*, inquit, *aut porcus deglutiat hoſtiam conſecratam, non video quare corpus Chriſti non ſimul traiiceretur in ventrem canis vel porci.*

[4] *P. 4. ſum. quæſt. 45. membr. 1.*

Similiter Thomas [5] Aquinas: *Quidam dixerunt*, inquit, *quod quamprimum ſacramentum ſumitur a mure, vel a cane, deſinit ibi eſſe corpus Chriſti, & ſanguis eius. ſed hoc derogat veritati huius ſacramenti.* Atque hanc opinionem probat Stephanus Brulifer lib. 4. ſent. diſt. 13. & Marſilius Inguen in lib. 4. ſentent. quęſt. 6. art. 4. & Ioannes de Burgo de cuſtod. Euchariſt. l. 10. & Durandus in lib. 4. ſentent. diſtinct. 9. q. 3. & Franciſcus Mayronis in 4. ſentent. diſt. 13. aliique multi. Neque verentur illi hanc impiam ſententiam, quæ cedit in irriſionem fidei, defendere. Præterea, illi qui negant corpus Chriſti cõedi à brutis animalibus, & qui aſſerunt etiam comedi, maxima ſunt in diſſenſione poſiti, quid fiat de corpore Domini. Alii dicunt euolare in cœlum, vt Bonauentura in 4. ſent. diſt.

[5] *Part. 3. ſum. q. 80. art. 3.*

diſt. 13. alii negant euolare, vt Biel ſuper can. miſſæ, lect. 84. Hardingus noſter dicit corpus Chriſti ſe clàm ſubducere. alii dicunt bruta animalia reuerētiam facere ſacramento, & ab eo ſponte abſtinere, vt promptuarium exemplor. exemp. 30. Gloſſator dicit *Corpus Chriſti in cœlum rapi, quamprimum ſpecies dentibus teruntur*. de conſecr. diſt. 2. c. *tribus gradib*. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 6. dicit, *hoc eſſe hæreticum.*

De adoratione etiam Euchariſtiæ pugnantes ſunt papiſtarum ſententiæ. *Qui hoſtiam conſecratam adorat*, inquit [1] Thomas, *adorare eam oportet cum conditione, ſi eſt conſecrata.* Ita etiam tenet Raimundus in ſummula, & alii nonnulli. communis tamen praxis eſt in contrarium.

[1] *In lib. 3. ſent. diſt. 9.*

Similiter de ſpeciebus & accidentibus in ſacramento inter ſe altercantur. quidam negant ſpecies nutrire, & inebriare. at Thomas & Bonauentura contrarium docent.

Poſtremò, in multis hęrent, in multis ſe planè ignorare dicunt. Qui ergo iſta meminerint, aliaſque pugnas ſcholaſticorum de omnibus fidei Chriſtianæ articulis conſiderarint, deſinent (credo) diſcordias noſtras de ſacramento Euchariſtiæ poſthac nobis obiicere

Principibus politicis & magiſtratibus ſummis nullam nos ſupra, vel contra fidem tribuimus poteſtatem. nihil tamen æquius eſt, quam cum ſint eccleſię nutritii, vt eccle-

ſiam defendant, & fidem integram defendant, & negligentes excitent, & errantes & delinquentes reducant & corrigāt. Fidei ſanctæ dogmata nos nec ex mulieris, nec ex viri alicuius ſuſpendimus iudicio. At apud aduerſarios omnia in vnius hominis, eiuſque vt plurimum inſulſi, & indocti, ne quid grauius dicam, arbitrio poſita ſunt. eius iudicium omnes ſequuntur. qui contra eum ſentit, eum hæreticum eſſe pronuntiant. Hunc etiam Scripturis authoritatem, quoad nos, tribuere contendunt: quę omnia ſuperius fusè diſputata ſunt.

De fidei articulis nihil nos noui docemus, nihil enim niſi à Chriſto & Apoſtolis traditum, vt ipſi aduerſarii probè norunt, neceſſariò credendum cenſemus. imò nec Caluinum, aut Lutherum, aut alium aliquē ex noſtrę eccleſię doctorib⁹ exiſtimamus de fidei articulis malè ſenſiſſe. Thāmerus qui ethnicos quoſdam ſine fide ſaluatos fuiſſe dicit, non erat è noſtro numero, vt iſti [a] aſſerunt, ſed totus quantus papiſta. In eadem ſententia erat & Andradius, vt ante dictum eſt.

[a] *Caluino-turciſ. p. 941.*

Si autem vel Caluinus, vel alius quiſquam noſtrûm errauit; nō tamen adeo præfractus erat, vt, oſtenſo errore, in eodem perſiſtere vellet. At papiſtarum ratio alia eſt. Nos enim multos oſtēdimus ipſorū grauiſſimos errores, & nonnullos qui inter ipſos ingenuitatis laude maximè excellunt, confeſſi ſunt: nullos tamen corrigi volunt. imò pontificis

Rom.

Rom.ſententiam certam & infallibilem eſſe credunt, nec à ſuis hæreſibus ſe abduci patiuntur.

Tridentinum conuentum nos oſtendimus nihil fuiſſe aliud, quam aſylum impiorum, & luſtrum latronum, qui aduers' Chriſti veritatem, non ſecus ac Scribę & Phariſęi olim contra Chriſtum, conſpirarunt. Iudicabant pontificis Rom. mancipia & aſſeclæ, quos noſtri grauiſſimorum criminum accuſabant. cōdemnabantur viri boni, inauditi & indefenſi. leges nullæ ibi ſeruabātur, præterquam pontificum Rom. omnis inde iuſtitia, libertas & veritas exulabat.

Aduerſus *Bolſecum*, & *Schluſſelburgium*, & huiuſmodi ſcurras, legitimas habemus exceptiones, ne illis contra Caluinum gannientibus credamus. erāt enim Caluini hoſtes, & ex eius obtrectatione gloriam quærebāt. quis ergo magis illis credat, quam inimicis, quam ſcurris, quam teſtib. leuibus, ſubornatis, mercede conductis?

Vocationem miniſtrorum eccleſiæ noſtrę aduerſus acutiſſimos partis aduerſę diſputatores probauimus. aduerſarii ergo hac in re actū agunt, vbi ſe aliquid amplius poſſe ſperant. De Caluini etiā & Lutheri miniſterio ſępe reſponſum eſt. neque puto quenquā in ea fuiſſe ſententia, vt vel *Lutherum*, vel Caluinū ſingulariter a Spiritu ſancto prędictū, & Prophetice in ſcripturis pręnūtiatū fuiſſe exiſtimaret. hoc enim nos in papiſtis repre-

hendimus, qui de[1] Franciſco & Dominico ſuo plurimas producunt prophetias.

[1] *In lib. conſor. Franciſ. c. Franciſcus declaratus.*

De clementia principum noſtrorum, & quam ipſi nihil contra papiſtas crudeliter deſignant, ipſi accuſatores noſtri, niſi ad malè loquendum conducti fuiſſent, teſtari poſſunt. Multos enim ſereniſſima princeps Elizabetha, legibus læſæ maieſtatis condemnatos, à mortis ſupplicio liberauit. imò eiùs beneficio viuūt Rishtonus, Hartus, & alii, qui omnes ingenii ſui vires in eius iniuriam conferunt. apud nos etiam papiſtæ, qui nihil rerum nouarum moliuntur, alacres volitāt, honoribus & opibus fruuntur: eorumque nonnulli in audacia & malitia confirmantur. In Gallia nulla in eos pœna à noſtris ſtatuitur. In Scotia & Germania, ſi quieti ſtudeant, nulla eis moleſtia infertur.

At apud aduerſarios alia eſt ratio. nulla eſt enim vrbs, aut regio, vbi non multa habentur papiſticę crudelitatis contra noſtros monumenta. In Hiſpania inquiſitores ſæuiunt. In Italia & in Gallia, prælati velut Pilati in nos graſſantur. vbiq; ignes accenduntur, milites & ſicarii contra nos armantur: nouæ & acerbiſſimæ leges promulgantur: neque tantum bona rapiuntur, ſed vita noſtris eripitur: ſanguis denique noſter, velut aqua, à ſanguinariis papiſtis fuſus eſt. ſed Deus aliquando, vt ſpero, meretricem hanc Babylonicam, quæ ebria eſt ſanguine ſanctorum, iudicabit, & in exitium præcipitabit. Aſſe-

runt

rũt quidem aduerſarii ſuos ſimiliter apud nos pro religione occubuiſſe. ſed & teſtes, & iudices, & iudiciorum formulæ, & pœnæ genus, & acta publica, læſæ maieſtatis damnatos fuiſſe oſtendunt; & res ipſa indicat. quis enim vnquam audiuit aliquem apud nos papiſtam alio quàm vel lęſę maieſtatis, vel coniurationis aduerſus rempublicam & principẽ nomine poſtulatum?

Quæcunque autem recitantur Mahometanæ religionis dogmata, ea cmnia ad nos nihil attinẽt. ſed ſi papiſticã religionem cum ea conferre voluerimus; non tam facilè hanc à ſe ſuſpicionem aduerſarii amoliri poſſent: & huius rei nos iam multa argumenta diximus.

Nihil denique nobis cum Turcarum impietate commercii eſt. imò nec cum Turcarũ imperatore, niſi de mercatorũ negotiis aliquis intercedit tractatus. qua in re, ſi nos cõdemnare velint; eodem crimine & Hiſpaniæ regem ſuum cacolicum, & Gallos, & Venetos, & multos principes Chriſtianos condemnent neceſſe eſt.

Nunquam Lutherus dubitauit, an contra Turcas bellũ gerere liceret; ſed an neglectis fœderis initi legibus; & vtrum nullis acceptis ab eis iniuriis, id quod papiſtæ ſępe fecerunt, illud liceret.

Iacobus Sota quid belli iure contra Iebuſitas captos fecerit, nõ magnopere laborãdũ eſt. illud ſanè conſtat, peſtem hanc, cum ſe

Antichriſto in ſeruitutem addixerit, & ex eius nutu bellorum & tumultuum incendia excitare ſoleat, eradicari meruiſſe.

Ordinem militum Rhodiorum, vnà cum reliquis monachorũ ſectis, ex hoc regno Hẽricus octauus eradicauit, nihil minus quàm de Turcicis rebus cogitãs. Sed ſi illi Turcis fauere putandi ſunt, qui aliquos ex iſto ordine milites vel ſuſtulerunt, vel ſtipendiis priuarunt; quid de Clemente quinto exiſtimandũ eſt, qui vniuerſum vbiq; Templariorum ordinem vna decretali ſuſtulit, & homines aliquot; vt aiunt, innocẽtiſſimos maximis ſuppliciis affecit? Aduerſus Turcam copias & auxilia nõ mittimus, quia noſtro milite aduerſarii vti nolunt. Sin autem, omiſſis Chriſtianis, Hiſpani Turcas aggredi voluerint; aut ſi hoc omnes velint; reperient noſtros nemini ceſſuros, & ad bellum contra Turcas gerendum fore promptiſſimos.

Pontificem Rom. vti peſtem huic regno machinantem hoſtem eſſe iudicamus. nihil ergo noui facimus, ſi transfugas nonnullos Anglos cum illo ſentientes, & res nouas hîc molientes, velut patriæ proditores pœnis afficimus.

Philippum & Hiſpanos nõ oppugnamus, ſed patriam libertatem & religionem aduerſus crudeliſſimum eorum impetum, & Antichriſti inſidias, defendimus. ipſe autem, *Anno* 1567. dum adhuc pax eſſet, & fœdus à noſtris ſeruaretur, cum Pio quinto aduerſus Anglos fœdus

dus [2] iniit. nobiles quoſdam Angliæ viros ad arma ſumenda contra reginam Elizabetham hortatus eſt. coniurationem, authore pontifice, & Nicolao Mortono adminiſtro, contra reginam Angliæ factam promouit.[3] Veneficos & [4] ſicarios ad trucidandam reginam aut conduxit, aut ſubornauit, aut ſaltem hæc à ſuis fieri permiſit. Nos autem contra nihil ipſi damni fecimus, niſi neceſſitate coacti. imò licèt ꝓpter mercatorum negotia nõnulli inter Turcas, & Mauros, & Reginæ ſubditos interceſſerint tractatus, vnde nonnihil ipſa apud eos gratiæ & authoritatis habere videtur; hac tamen illa ſemper ad opem Chriſtianis ferendam vſa eſt. Licèt ergò multa vndique conquirant argumenta, nihil tamen reperire poſſunt Turcopapiſtæ, vnde nos vel minima in re Turcis prodeſſe, aut fauere conſtet.

2 *Vita Pii 5.*

3 *Lopezium.*
4 *Parium, Yorkium, Williamum.*

At ſi in papiſtis quærere libêret, multa & grauiora ſtatim argumenta reperire liceret. Clemens quintus vniuerſum ordinem Templariorum, qui res Chriſtianorum in Aſia labentes diu fortitudine ſua ſuſtinuerant, ſubito, cauſa ipſorum inaudita ſuſtulit.[1] Gregorius nonus per Templarios imperatorem Rom. Turcis prodidit. Ioannes viceſimus ſecundus pecuniis Turcas contra Armenos pontificis Rom. imperium detrectantes cõcitauit. Innocentius quartus & Gregorius nonus, dũ cruce ſignatos iã ad iter accinctos prohibent, & impediunt, ne in Aſiam profi-

1 *Matth. Paris in Henr. 3.*

ciſcerentur; Chriſtianorum ibidem res labefactarunt. regnum Conſtantinopolitanum pontificum perfidia amiſſum eſt. Alexander ſextus, in gratiam Baiazetis, Gemem ipſius fratrem veneno ſuſtulit. Imperatoribus Germanorum ſubactis, facilem Turcis dedêre pontifices Rom. victoriam. quæ omnia iam antea vberius oſtendimus.

Imperator qui dicitur Rom. multos iam annos vel muneribus, vel tributo pacem redimere ſolitus eſt. inter ipſum & Turcas multi interceſſere tractatus. Similiter Philippus rex Hiſpaniæ, & cum Turcis & cũ Mauris aliquoties fœdera pepigit. Franciſcus primus Galliæ rex contra Chriſtianos Turcarum vſus eſt auxiliis. Ferdinandus dum regno Hungariæ inhiat, Ludouicum regem, nulla habita affinitatis ratione, deſeruit. vnde factum eſt, vt magna Hungariæ pars amiſſa fuerit.

Quare, ſi ad Turciſmum inclinant, qui aliquid negotii cum Turcis contrahunt; tũ iſti quorum auxilio auctum eſt imperium Turcicum, non longè ab eo abſunt.

Multa præterea hîc verba de rebus Scoticis & Gallicis faciunt: ſed loco allieniſſimo. agitur enim de rebus, & religionibus Turcicis. aduerſus Gallos nihil tentauimus, etſi tumultus apud eos graues, magnam nobis facultatem dederint. Scotos autem à ſeruitute Gallorum, deiecto ex *Letha* præſidio Gallico, liberauimus. cur autem non ferremus

ſup-

ſuppetias afflictis, cauſſam nullam dicere poſſunt.

Neque Galli, neque Scoti, neque Belgæ, quibus nos auxilium tulimus, quicquam fecerunt, quod non & ius diuinum & humanum concedit. Quis enim patrias leges, & religionem Chriſti à pontificum ſecta ſub regio titulo conculcari non indignetur? quis capitis defenſionem aduerſus tyrannidem manifeſtam prohibeat? Papiſtæ aduerſus caput Regis Galliæ coniurarunt. Si quicquam huiuſmodi feciſſent noſtri, nos eorum factum non defenderemus. At noſtri homines defenſionis iuſtæ & neceſſariæ terminos non exceſſerunt: reges nullos trucidarunt: venena non propinarunt. nemo ergo ipſos iure reprehendere poteſt, niſi cui moleſtum eſt, quod viuamus: cuius nos malitiæ & inuidię cedere non debemus.

Cap. VII.

Totius operis ſumma colligitur, & concluſio aduerſarii refellitur.

NOn dubito, quin iamdudum legendis Giffordicis nugis defeſſi ſitis. ego, vt ingenuè fatear, dum lutum hoc eius concinno & tracto, propè defeſſus ſum; neque enim vel lutum eſt magis lutulẽtum quàm totum hoc craſſum conuitiorum volumen. Author eius *Reginaldus* ſcribendo immortuus eſt. miror non ipſum etiam Giffordum ex lectione tam longa ægrotaſſe. mihi ſanè multò magis mo-

lecta fuit tam craſſi voluminis lectio, quàm refutatio. Sed bene ſe res habet. nam tanquã ex lõga nauigatione, nunc terram mihi aſpicere videor. finis enim iam propè adeſt, & ex luto tandem emerſimus. Calumniarum Giffordi dolium ad fundum vſq; exhauſtum eſt. Nihil autem iam ſupereſt, niſi vt breuiter vobis expoſita & conſilii, & facti noſtri ratione, aduerſariorum concluſionem & ſupremam ad vos exhortationem refellamus.

Meminiſſe poteſtis pontificiæ ſynagogæ, à primis eccleſiæ inſtauratæ temporibus, aduerſus omnes pios odiũ, & calumnias. quos enim in ſua poteſtate habuerunt, eos crudeliſſimè trucidarunt: quos occidere nõ potuerunt, eos omni calumniarum genere apud principes Chriſtianos in odium inducere conati ſunt. Ac primò quidem hęreſeõn grauiſſimarum accuſarunt: deinde *magiſtratibus & rebuſpub. infeſtos eſſe* dixerũt: *pernitioſum ſcil. hominum genus, & ex toto terrarum orbe eradicandũ.* Poſtea verò, cum nihil excogitare poſſent grauius, Turcicam illis impietatem obiecerunt; & nõ tantum in cõcionibus, ſed etiam in ſcriptis publicis Turcas, & Turcarum ꝓgeniẽ, & Turcis deteriores hæreticos eos [1] appellarunt, mirificeq; papiſtis maledictum hoc arriſit. Sed cum nõ tam ex maledictis, quã ex veritate, cauſæ pendi ſoleant; vulguſq; hominum accuſatores noſtros Turcarũ impietati & nequitiæ magis quã nos affines eſſe exiſtimaret: ſurrexit tandem *Reginaldus,*

[1] *Bunderius in fine opuſculi. & Adrianus ſextus.*

dus, qui maledicti huius rationes, partim vt à ſe inuidiam amoliretur, partim verò, vt nobis odium conciliaret, longo hoc volumine explicauit. Eius etiam cõſilium nõ tantũ *Giffordus*, qui cõfuſum hoc opus poſt alterius mortem in ordinem redegit & edidit, ſed etiam *Stapletonus*, vetus in hac palęſtra gladiator, & ſcurra notiſſimus, approbauit. & Et ſanè, niſi me fallit coniectura, nõ mediocriter iſti farraginem hãc nugaciſſimis ſuis additamentis auxerunt. videor enim mihi Stapletonianam verboſitatem agnoſcere. & qui Giffordum norunt, aiunt talibus eum offuciis lectores ſuos hiantes in ſcholis deludere.

Totius autem huius legendæ fundamentum in hoc vno poſitum eſt, *quod quædam cũ Turcis communia, quædam deteriora nos habere exiſtimant*. Aſſerunt enim nos veterum hæreticorum dogmata retuliſſe, & præcipua quædam religionis Chriſtianæ capita in dubium vocaſſe: ſimiliter etiam Turcas feciſſe: neq; minus noſtros, quam Turcas religionẽ noſtram armis propagaſſe exiſtimant. quod autem miſſę ſacrificium, iuſtificationem per opera, & horarias preces, & inuocationẽ ſanctorum, & preces pro defunctis negamus; in hoc Turcis eſſe deteriores autumant. Turcarum denique ordinationes & liturgias, & vniuerſam politeiam, noſtris rebus anteponere non verentur.

Huic ergo ſingulari aduerſariorum impudentiæ & petulantię quid reſpondere? quid

facerem? aut quam tantæ amarulentiæ dignã mercedem rependerem? num tacerem tantam iniuriam? at nihil minus hominem Chriſtianum decet. nam ſi nec hęreſis crimẽ muſſitandũ eſt, certè tantæ impietatis criminatio non eſt ſilentio prętereunda. Num ergo maledicta maledictis referrem? at ſcurrilis dicacitas non tantum à Theologo, ſed etiam ab Oratore aliena eſſe debet. Cum ergo multum mecum cogitaſſem, nihil viſum eſt æquius, quam vt viam illam ingrederer, quã mihi aduerſarii commonſtrarunt. Ipſi fundamenta vniuerſę defenſionis noſtræ poſuerunt. in iſtis non malè me reſponſionem opportunam ædificaſſe exiſtimo. nam ſi illi ſuſpecti ſint Turciſmi, qui intermortuas, & iacentes veterum hæreſes, nouis coloribus excitarunt, quiq; cum Turcis multa religionis Chriſtianæ dogmata euerterũt; tum ad Turciſmum, vt omnes agnoſcunt, papiſmus vergit. Sin autem Turcis ſint deteriores, qui reliquias aliquot Chriſtianæ religionis & legis naturæ ab illis retentas abiecerunt, & illos omni morum ſpurcitie ſuperant, quique Turcarum regnum auxerunt, & augent, quod iſti toto hoc volumine diſputant; tum papiſtas Turcis deteriores eſſe neceſſe eſt. Ego ſanè, vt ingenuè intimos animi mei ſenſus proferam, penè inuitus tanti criminis reos perago. ſed non alia ratione aduerſariorum importunitati occurri potuit. hoc ſanè nos argumentis validiſſimis, & teſtibus omni exce-

ptione

ptione maioribus oſtendimus; papiſtas & veteres hæreſes in lucem reuocaſſe, & ſimilia habuiſſe cum Turcis initia & progreſſus, multaque habere dogmata cõmunia, multa etiam deteriora. In moribus autem ita prolapſos eſſe conſtat, vt non dubitem tolerabilius fore Sodomorum & Gomorrhæ ciuitatibus, quàm ſynagogæ pontificię. Videant ergo quæſitores Hiſpanici, & tota Iebuſitarum ſodalitas, an verè illi Turcis ſint vel pares, vel deteriores, qui vel communia habent cum Turcis principia & dogmata, vel peiora & magis abſurda, ſicut Giffordus & Reginaldus plus quàm ſexcenties affirmarunt. Et ſi hæc ipſis ratio diſpliceat, agant cum Stapletono illo veternoſo ſilicernio, & patriæ proditore, qui hæc in odium patrię ſtultè approbauit: agant cum Giffordo, qui ſuos omnes ad Turciſmum viam capeſſere demõſtrauit.

Quod ad nos attinet, nihil eſt cur non vniuerſam hanc actionẽ ſummè deſpiciamus. nam licèt grauiſſima quæque nobis obiiciãt crimina; tamen cum nullos teſtes afferant, niſi domo productos, eoſque leues, inſulſos, ſubornatos, cõductos; nec teſtimonia citent, niſi ex chartis laceris & diſiectis, & à ſcurris vt plurimum confictis, nec eccleſias noſtras accuſent, ſed vel aduerſus Lutherum, vel Caluinum, vel Zuinglium, vel Melãchthonem, vel aliquem è noſtris hominem priuatum declamitent: quis non videt hęc ipſorum crimina nihil aliud eſſe, quàm petulantiſſimorum

ſcurrarum maledicta? Hoc in loco[1] vetera recoquunt conuitia. nobis enim *ſtudium nouitatis, licentiam latrocinandi, ſceleratos mores, ſectarum varietatem, eccleſiæ & patrum contēptum, principum politicorum in eccleſia rebus principatum, cōtentionū grauitatem, & magiſtrorum noſtrorum turpitudinē obiiciunt.* ſed nos nō verbis tantum, ſed teſtimoniis indubitatis oſtendimus, omnia apud nos eſſe quā apud papiſtas honeſtiora. Oſtēdimus etiam Lutherum, Caluinum, Martyrem, Cranmerum, & Iuellum, & reliquos religionis reformandę pręcipuos adiutores, viros fuiſſe pios, probos, & pontificibus Rom. quos iſti ſanctiſſimos vocant, longè præſtantiores. Atq; vt non ſine omni errore fuerint; ab iſtis tamen criminibus, quorum ab iſtis accuſantur alieniſſimos fuiſſe conſtat. quid enim illi aſferunt, quod non confinxerunt? quid illi ſe Conſtantinopoli audiſſe memorant, quod non abſurdè fingitur? At pontifices Romanos, quorum iudicium vocant infallibile, & vitas velut ſanctiſſimas laudant, nos grauiſſimarum impietatum, & ſcelerum conuicimus. Quod ergo aduerſarii in peroratione ſua hortātur omnes, vt à religione noſtra caueant, quā Turcica deteriorē eſſe prædicant; nulla hoc ratione inducti fecerunt. nihil enim contra fidem noſtram attulerunt, quod vel impietatem, vel improbitatem ſapiat.

[1] *Caluinot. lib. 4. c. 22.*

At vos ego, viri Chriſtiani, hortor, & per Ieſum Chriſtum obteſtor, vt impudentiſſimorum

morum iſtorum canum violentiſſimę inſa-
niæ reſiſtatis; vt ſynagogam antichriſti, quæ
non aliis nunc nititur adminiculis quã men-
daciis & calumniis, fugiatis. ibi enim *creſcẽ-*
tibus hominum flagitiis, vt loquitur [1] Petrar- [1] *In prolog. in epiſt. ſine nomine.*
cha, *creuit veri odium, ac regnum blanditiis ac*
mendacio datum eſt. [2] Illa eſt *Babylon illa nouiſ-* [2] *Ibid. epiſt. 19.*
ſima, feruẽs, æſtuãs, obſcœna, terribilis. vbiquic-
quid vſpiam perfidiæ & doli, quicquid incle-
mentiæ ſuperbiæque, quicquid impudicitiæ ef-
frenatæque libidinis audiſtis aut legiſtis, quic-
quid denique impietatis, aut morum peſſimo-
rum ſparſum habuit, aut habet orbis terræ, to-
tum iſtic cumulatum videatis, aceruatimque
reperiatis. hęc meretrix impudentiſſima hos
paraſitaſtros & canes impuriſſimos, qui ad-
uerſus viros bonos oblatrarent, mercede cõ-
duxit. hos ergo ſcurras cynicos, ſi crura eis ſuf-
fringere non poteſtis, fugite & cauete. neq;
enim dum aduerſus viros pios & probos ob-
ganniunt, aliud quærunt; quam vt vos à ve-
ritatis amore, & veræ religionis ſtudio abs-
terreant. diligenter quærite; nolite temere
iudicare; clamoſum hunc aduerſariorum la-
tratum cõtemnite. & ſic tandem, re diligẽter
quæſita & explorata, reperietis nullum cri-
men, nullum alicuius hæreſis vel veſtigium,
vel ſuſpicionẽ his latratib. & clamorib. ſubeſ-
ſe; & ipſos noſtros accuſatores multo rectius,
quã noſtros doctores, Turcarũ nomẽ mereri.

Vos autẽ Angli degeneres, qui ad hoſtes
trãsfugiſtis, moneo, vt vel latrandi hoc offi-

cium deponatis, vel fures illos & latrones, qui diruta maceria aliunde quàm per oſtium in ouile Domini ad mactandum & perdendũ ingreſſi ſunt, allatretis: vel denique vt aliquã iuſtam obganniendi cauſam nobis demonſtretis.

Omnes deniq; ſectæ pontificiæ ſtudioſos oro, vt non tam verborum grauem ſonitum, & accuſatorum clamoſam grandiloquentiã, quàm argumentorum pondera ſpectare velint. Crimina obiiciuntur grauiſſima: ſed teſtimonium dicũt inimici capitales; & inſtrumenta producuntur aut corrupta, aut nullius authoritatis, aut denique nihil probantia.

Lutherum, Caluinum, Zuinglium, Petrũ Martyrum, & Cranmerum honorandum Chriſti martyrẽ, & Iuellum, & reliquos quos iſti accuſant, Germani, Angli, Galli, illi præſertim quibus noti erant, memorant fuiſſe viros bonos. hoc etiam acta ciuitatum vbi illi vixerunt teſtantur. nefanda autem crimina quę aduerſarii illis obiiciunt, in illos competere non potuêre, niſi & vita perdita, & ſingularis audacia, & furor, & amẽtia, & inſignis improbitas præceſſiſſet. hæc autem nec ipſi accuſatores, vel potius conuitiatores commode fingere potuerunt.

Verum vt illi erraſſent, hoc nos præſtare non debemus: abſurdeq; Lutheri errata Caluino; Caluini, aliorumque nobis imponuntur. hęc ego ab omnibus animaduerti cupio: nec cauſa eſt, cur ipſi nolint. quis enim non iniquiſ-

iniquiſſimus iudex reum aut non auditum, aut non conuictum condemnauerit?

Sed quoniam nihil ipſi poſſumus, niſi Deus qui eſt prima veritas, & Chriſtus Ieſus qui eſt Via, Veritas, & Vita, veritatem ſuam reuelare dignetur: ipſum ſupplices rogamus, vt diſperditis labiis doloſis, & detectis antichriſti & eius ſectæ fallaciis, meretricem Babylonicam omnibus Chriſtianis manifeſtam reddat, eamq; iudicet, quæ corrupit terram proſtitutione ſua, & ſeruorum Dei ſanguinē, velut aquam, per vniuerſum fere terrarum orbem effudit, & in turpitudine ſua gloriatur. Tua, Domine, vera & iuſta ſunt iudicia. tu ergo exurge, & iudica cauſam noſtram.

FINIS.